




12
34 G
11

CVRSVS PHILOSOPHICVS MONASTERII S. GALLI.



TOMUS I.

Seu

LOGICA.

AVTHORE

Eminentissimo & Illustrissimo S. R. E.

CARDINALE

COELESTINO SFONDRATI.

OLIM

Principe & Abbate S. Galli.



Ex Typographia eiusdem Monasterij S. Galli.

PER JACOBUM MÜLLERUM.

Anno M. DC. LXXXXVI.



PHILOSOPHIÆ
PARS PRIMA
SEU
LOGICA


PRÆLUDIA.
§. I.
NECESSITAS LOGICÆ
Summaria.

1. Logica dirigit intellectum ad omne verum cognoscendum.

2. Triplex necessitatis gradus explicatur.

3. Logica alia naturalis, alia artificialis.

4. Logicam artificialem omnibus scientijs valdè utilem esse, multis rationibus evincitur.

5. Logicæ nihil obest, multos abuti Logicâ.

6. Logica artificialis ad alias scientias in gradu perfecto acquirendas moraliter est necessaria, nec sufficit Logica naturalis.

7. Major est Logica, quàm aliarum scientiarum inter se connexio.

8. Logica naturalis ad paucos tantùm actus est sufficiens.

9. Quomodo Logica sibi ipsi,

10. Et ſingulis alijs ſcientijs ſit neceſſaria, explicatur.
11. Logica artificialis Phyſicè, & abſolutè non eſt neceſſaria ad alias ſcientias in gradu imperfecto acquirendas.

I.



Ot. 1. Artem, aut ſcientiam Logicæ eò ſpectare, ut præſcriptis quibusdam, certíſque regulis ac præceptis intellectum dirigat, gubernétque in veri cognitione, ne fallatur. Veritas enim etſi aliqua ex parte clara ſit, & ſponte in oculos cadat, qualia ſunt prima principia, v. g. triangulum tribus angulis conſtare, quinque eſſe numerum imparem: non poſſe unum animal eodem momento eſſe & non eſſe, vivum & mortuum, &c. magna tamen ex parte veritas latet, & in receſſu hæret, numquam videnda niſi quæſita, nec quærenda niſi intellectu certis regulis ac præceptis inſtructo, quæ Logica velut faces præfert in obſcurum eunti. Sicut ergo in ſole v. g. multa ſunt, quæ paſſim omnes docti indoctíque cognoſcunt, vidéntque, modò non ægris ſint oculis: quis enim ſolem lucere, moveri, rotundum & globoſum eſſe non videt? ac alia quamplurima ſunt, quæ cognoſci niſi à doctis non poſſunt, quíque Mathematicas ſcientias calleant, qualia ſunt, ſolem *166.* vicibus majorem terrâ eſſe, tribus orbibus veluti ſupremo, medio, infimo unâ horâ metiri milliaria 258404. &c. Hæc inquam, cognoſci nudo rudíque oculo non poſſunt, ſed regulis indigent, quæ intellectum ducant, ne aberret: harum verò regularum quamplurimas in omni ſcientiarum genere Logica tradit, quæ propterea Scientia univerſalis appellatur. Ars pictoria pro ſolis imaginibus & coloribus regulas tradit, non pro ſtatuis, non pro navibus agendis. Ars nautica pro ſolis navibus, non pro curru, non pro equis gubernandis. Medica ſolam curat ſanitatem, imaginum, ſtatuarum, navium negligens. Ars Logica ad omnes ſcientias pertinet. Intellectui ſiquidem pro ſcientijs omnibus inſtrumenta ſciendi parat, qualia ſunt diviſiones, definitiones, demonſtrationes; nec enim

enim solus Logicus, sed & Physicus, & Mathematicus & Theologus dividunt, definiunt, demonstrántque, idque in materia quidem diversa, eâdem tamen formâ, & omnino ex Logicæ præscripto, quemadmodum licèt alia sit marmoris, auri, argenti, ærisque materia, omnibus tamen eandem formam statuæ, & ex ijsdem regulis artis sculptor inducit. Sive ergo Theologus Deum, sive Mathematicus solem definiat, utérque necessariò suam definitionem ad regulas Logicæ formabit, quæ præcipit, ut *definitio sit clarior definito: adæquet definitum: ex genere & differentia constet, vel aliquo alio, quod differentiæ æquivaleat,&c.* Quæ regulæ definitionis, ut dixi, ad omnes æquè disciplinas pertinent, cùm nulla sit, quæ definitionibus non utatur, & præsertim Mathematica. Idem de alijs sciendi instrumentis dicas.

II. *Notandum 2.* Varios esse necessitatis gradus. *Primò:* dicitur aliquid *Metaphysicè* necessarium, quod ne divinitùs quidem suppleri potest, quâ ratione anima homini componendo necessaria est, adeò ut ne Deus quidem hominem creare possit, qui animâ careat, tunc enim non erit homo, sed aliquid aliud. Sic etiam centrum necessariò ad circulum requiritur. Hoc modo certum est, Logicam alijs scientijs necessariam non esse; nec enim repugnat, Deum omnes scientias etiam in statu perfecto alicui conferre Logicæ artificialis imperito. *Secundò Physicè* necessarium dicitur, sine quo naturaliter loquendo aliquid esse non potest: sic cibus corpori conservando, sol aëri illuminando necessarius est, quia naturaliter sine cibo & sole neutrum fieri potest. Et hæc naturalis ac Physica necessitas latitudinem habet: erit enim aliquid necessarium ad omnem collectionem actuum, vel ad longum tempus, quod ad breve tempus, vel unum alterúmve actum necessarium non est, idque ob limitationem & imbecillitatem potentiæ ad aliquos actus, non ad multos sufficientis: sic vita sine cibo conservari aliquamdiu potest: sic oculus etiam integer sanúsque videre colores potest, sed intra certam distantiam. Denique quod uni ob defectum aliquem aut impedimentum potentiæ necessarium est, alteri non erit eo defectu non laboranti, quomodo ocularia vitra ad supplendam vel distantiam objecti, vel tenuitatem visûs aliquibus necessaria sunt, non omnibus. Ne-

ceſſarium *denique Moraliter* illud dicitur, ſine quo fieri quidem abſolutè & intra vires naturæ aliquid poteſt, imò ab aliquibus factum eſt, ſed adeò difficulter, ut rariſſimè eveniat, & nulla aut vix aliqua ſpes ejus faciendi affulgeat: ita circinum aliúdve inſtrumentum neceſſarium dicimus lineæ perfectè circulari deſcribendæ; quamvis enim repertus fuerit Pictor, qui ut Benedicto IX. artem ſuam probaret, cubito tantùm, nec alio inſtrumento nixus perfectiſſimum circulum in folio duceret: hoc tamen adeò rarum & difficile eſt, ut hominum æſtimatione pro impoſſibili habeatur. Eodem modo fieri naturâ poteſt, ut qui aleam, aut taxillum jacit, eundem numerum idémque punctum v. g. ſenarium centies reddat, quod enim ſemel natura fecit, poterit iterum & ſæpius, nec repetitis actibus potentia ad ſimilem caſum jactúmque in taxillis, ut in alijs rebus frangitur, & tamen motum & agitationem ac jactum aleæ tam æqualiter moderari, ut ſemper eadem cadat, moraliter impoſſibile eſt, fieri tamen abſolutè poſſet, ut Tyrius Max. *ſerm. 19.* de quodam adoleſcente Græco narrat, qui granula & pulviſculos arenæ tam certo ac deſtinato ictu per foramen acûs vibrabat, ut nunquam aberraret, totâ Græciâ mirante, & uſque Babylone velut ad miraculum quamplurimis accurrentibus, *Nec*, inquit Tyrius, *ſe deteriorem ob eam collimationem, quàm Achilles exiſtimabat ob fraxinum ex Pelio.*

III. *Notandum 3.* Logicam aliam naturalem, aliam artificialem eſſe. Naturalis eſt ipſum lumen Intellectûs, quo ſine alio habitu diſciplina Logica ſyllogiſmos, definitiones, diviſiones format; ſicut enim videmus naſci aliquos bene diſpoſitos ad natandum, pingendum, ædificandum; ita etiam ad diſcurrendum. Et hæc Logica naturalis ſine dubio ad omnes ſcientias abſolutè eſt neceſſaria, cùm nulla ſcientia ſine demonſtratione acquiri poſſit: demonſtratio verò eſt effectus Logicæ ſaltem naturalis.

IV. Hiſce prænotatis, *quæritur primò.* An Logica Eccleſiæ, atque ſcientijs acquirendis ſit utilis?

Reſp. Negari non poteſt, Logicam omnibus ſcientijs etiam ſacris parandis & acquirendis valde utilem eſſe.

Probatur 1. ex SS. Patribus. S. Aug. *lib. 2. de Doctr. Christ. c. 36. Scientia hac*, inquit, *plurimum juvat intellectorem.* *Et de Ord. l. 2. c. 13. Quando ratio ad alia fabricanda transiret, nisi ipsa sua quadam machinamenta & instrumenta distingueret?* Vide eundem Aug. *l. 3. contra Acad.* Orig. *homil. 2. in Exod. Eruditio ista ad omnem pervenit sensum, & per eam quisque medicatus & fotus ad divinorum intelligentiam paratior venit.* Clemens Alex. *l. 2. & 6. stromat. Dialectica velut manu ducit ad veram æternámque sapientiam, & ad cognitionem supremæ veritatis.*

Hieron. *in Ezech. Verè quidquid perversorum dogmatum est, & putatur esse robustum in terrena sapientia, hoc Dialecticâ arte subuertitur, & instar incendij in cinerem favillásque dissolvitur.* Cui consonat illud Tullij *l. 3. de finib. Sine Dialectica quemvis arbitramur à vero abduci, fallíque posse.*

Plura videri possunt apud citatos PP. & Cicer. *l. 5. Tuscul. 2. & 3. de finib.* Quintil. *l. 2. c. 2.* Clem. Alex. *l. 7. Stromat.* Dialecticam sepi comparat, quæ flores fructúsque, ne bestijs & prædonibus pateant, tuetur.

Probatur 2. Ratione. *1.* Dialectica ex sua natura & primario officio parat alijs scientijs acquirendis, & contra impugnatores tuendis instrumenta: at istorum in omni opere artificioso conficiendo maxima utilitas est, ut experientia & usus docet; quamvis enim demus, aliqua sciendi instrumenta, aut præcepta definiendi, dividendi, argumentandi, apprehendendi, enuntiandi sine Logica artificiali parari, & confici posse, ea tamen & pauca erunt & rara, & numquam ad eam perfectionem, quam aliàs à Logica acciperent, pervenirent; quemadmodum etiam aliquis artis ignarus imaginem pinget, aut navim gubernabit, sed nunquam pari perfectione & felicitate, præsertim ventis adversis, ac mari scopuloso, cum ijs, qui earum artium periti sunt.

2. Quàm utile est veritatem agnoscere, & falsum ei oppositum primò detegere, deinde convincere; tam utilia sunt media ad hunc finem directa: Dialectica verò, quæ nihil aliud est, quàm ars bene disputandi, hæc ipsa media facit & docet, sine quibus tam eris ad disputandum & refellendum promptus, quàm miles ad pugnandum & vincendum sine armis: potest quidem & hoc fieri, sed quàm rarò, quàm periculosè, quàm temerè?

3. Certum eſt,quæ multùm nocent, multùm etiam prodeſſe, ſi non ad nocendum, ſed ad juvandū applicentur,ut in omnibus armis, medicinis,artibus experientia & uſus docent: ſed hæreticos ac Gentiles Philoſophos ſubtilitate diſputandi ac Dialecticâ arte multùm Eccleſiæ nocuiſſe, & veram Religionem validè impugnâſſe certum eſt. S. Auguſtinus adhuc Manichæus argumentandi peritiâ adeò Catholicos angebat, ut in publicis Litanijs precarentur: *A Logica Auguſtini libera nos Domine.* Eam poſtea Catholicus factus adeò feliciter in hæreticos vertit, ut idem illi eſſet cum hæreticis certare quod vincere, & nihil magis quàm Dialecticam Auguſtini formidarent. Vide *lib. 1. contra Creſconium Grammat.* Idem de Luthoro Florimundus tradit, tam vid. eum Dialecticâ valuiſſe, ut rarò cum aliquo in pugnam iret, quem non implicaret. Quantùm Gentiles Philoſophi Niceam ab Arrianis evocati Patribus negotij fecerint,quos tamen pari ſubtilitate & Dialecticâ, & præſertim miraculis Catholici triumphârunt, videre eſt in Actis Concilij Nicæni, & apud Socratem & Sozomen. ac præſertim in egregia illa diſputatione, quâ S. Athanaſius cum Arrio conflixit, ubi planè apparuit, & S. illum Doctorem Dialecticis artibus inſtructiſſimum fuiſſe, & Chriſtianam veritatem diſcurſu armatam & invictam, modò & victricem eſſe. Averroës circa annum 1140. in Ariſtotelis doctrina, quam etiam Commentarijs ſubtiliſſimis explicavit, & præſertim Dialecticâ verſatiſſimus, cæterùm nullius Religionis; nam Mahometicam porcorum, Judaicam infantum, Chriſtianam verò fatuorum & impoſſibilem dicebat, ſolam Philoſophiam homine dignam eſſe; hinc ejus totum: *Moriatur anima mea morte Philoſophorum.* Dici non poteſt quàm multos diſſerendi ac ingenij ſubtilitate Averroës à Chriſtiana Religione averterit, aut ejus Myſteria in dubium vocaverit, cui malo ut occurreret S. Thomas Aquinas, Summam & alia opera Theologica methodo Ariſtotelicâ inſtruxit, Commentarios in Ariſtotelem ac multa alia Philoſophica ſcripſit, de quibus Bartholomæus Keckerman, in ſuo Logico ſyſtemate, homo aliàs Catholicis iniquiſſimus, *Tr. 2. c. 2. f. 17.* hæc habet: *Præceptore Alberto major Diſcipulus Thomas Aquinas, qui Coloniæ diu Albertum audivit, & ſecutus eſt, ſcripſit in univerſum Ariſtotelis Organon, in quibus Commentarijs velut ſtella fulgidiſſima lucent lectiones*

nes ejus in Posteriora Analytica Aristotelis, magna diligentia magni acuminis: scripsit & summulam: opuscula etiam Logica alia edidit non pauca, ut de quatuor oppositis lib. 1. de Demonstratione, de Fallacijs, de modalibus, de Natura generis, de Natura accidentis, de Natura syllogismorum, libros singulos diligentiæ admiranda profectò & suspicienda; à quibus quantum ars Logica incrementi capere possit, ij possunt experiri, qui cum judicio sine præjudicio tenellarum aurium hæc talia ignei verè ingenij monumenta lubenter legunt. Ubi licet advertere, S. Thomam tantæ sanctitatis, & cujus doctrina à cœlo potiùs accepta quàm studio fuit, nunquam tantum operæ laborisque Dialecticis rebus impensurum fuisse, si non credidisset Ecclesiæ & Religioni utilissimas. Si ergo tantùm nocet Dialectica, cùm militat falsitati, quantò magis proderit juvabitque veritatem, cujus causa longè melior est, & cujus illa naturale quoddam instrumentum est?

4. Et ideo non sanctos Patres modò, sed etiam Prophetas ipsúmque Christum Dialecticâ usum esse docet S. August. *lib. 1. cont. Crescon.* per multa capita. Lactantius *lib. 4. Instit.* Philosophia humana suis armis est confecta, quia nimirum disputandi officio (quod ipsa docet) quidquid à Philosophia humana non rectè, id est, non consonè ad Christianam sapientiam dicitur, potenter destruitur, & falsum esse Dialecticâ disputatione convincitur. Rupertus Abb. Tuit. *l. 7. de operibus Spirit. Sanct. c. 13. Hujus artis utilitas & virtus tota ostenditur in syllogismis, quorum conclusio plurimùm lectorem adjuvat ad veritatem investigandam, tantùm ut absit illi error decipiendi Adversarium per sophimata falsarum conclusionum. Quis autem omnium secularium ita ut hæc sancta scriptura fortiter aut suaviter novit aut potuit nodosum texere aut stringere syllogismum?* Et *c. 10. Ingressæ sunt ergo septem artes liberales tanquam famulæ in sacrum & reverendum Dominæ suæ sapientiæ triclinium, & quasi de trivijs licentiosis ad districtum & severum Verbi Dei magisterium disposita, & assidere jussæ sunt. Vagabantur enim priùs per circuitum lasciva, garrulæ & verbosæ puellulæ, nihil operantes, sed curiosè agentes solummodò, ubi negotiosæ magis esse videbantur circa creaturam discutiendam cursitantes, ipsum autem Creatorem negligentes. Missæ sunt ergo in opus, ut non jam quod superfluum erat, de creatura mundi fabularentur, sed seriò fideliterque quod expediret, de Creatore loquerentur, bonúmque ad honorem ejus sermonem opere splendido texentes operarentur, id est, ut jam non res verbis, sed verba rebus ornarentur.* Me-

Memoriâ digna ſunt, quæ Spondanus in laudem Philoſophorum generatim ſcribit. Ad annum *234. n. 2. Caeterùm*, inquit, *quòd audis Chriſtianum hominem* (Ammonium Philoſophum Platonicum) *externam Philoſophiam publicè profiteri coram auditoribus Gentilibus, non ſine divino conſilio id fieri conſueverat his temporibus tum Alexandriæ, tum alijs locis, ad magnam Chriſti gloriam & Evangelij profectum, quòd ejuſmodi ſchola eſſent compluribus veluti introductio quædam ad fidem capeſſendam, dum quæ apud ſapientiores Gentiles Philoſophos ſublimiora eſſent, eadem longè facilius feliciúſque ipſo doctrinæ Chriſtianæ exordio ediſcerentur: quâ viâ conſtat quamplurimos, ac præſertim Platonicos, ad Eccleſiam eſſe perductos; & qui ſe profiterentur Orbis magiſtros, libenter factos eſſe diſcipulos humilitatis Chriſtianæ. Conducere námque ad Chriſtianam pietatem Philoſophicas diſciplinas, præſtaréque, ut Chriſtiani homines illis inſtituantur, non ſemel Clemens Alexand. & ipſe eas ibidem profeſſus inſinuat, & in primis cùm adverſus eos agit, qui Chriſtianis Philoſophiam profitentibus detrahebant. Sed quòd eâ interdum abuti homines contingat, videlicet cùm non eâ ut organo ad veritatem utuntur, ſed finem in ea conſtituunt, idcirco apprimè poſt Philonem idem Clemens ſymbolicis figuris Agar & Sara docet ancillam debere ſubijci dominæ, nempe humanam Philoſophiam divinæ Theologiæ. Et æquè eleganter Gregorius Nyſſenus alienigenæ fœminæ comparat externam Philoſophiam, quam Judæus ritè legitiméque accipiet in uxorem, dummodò ipſa deponat ungues & capillos, & ejus partus circumcidatur.* Et ad annum *411. n. 12. Habuit is* (Syneſius videl. ex præſtantiſſimo Philoſopho Chriſtianus, & Epiſcopus Ptolemaidis factus) *amicum Evagrium nomine Philoſophum Ethnicum: quem cùm Syneſius reddere Chriſtianum conaretur, excipiebat ille de multis dogmatibus Chriſtianorum creditu difficilibus, atque inter alia, de receptione, poſt hanc vitam à Chriſto centuplicis remunerationis bonorum, quæ hìc diſperguntur in pauperes. Sed cùm etiam in hoc ſatisfeciſſet ei Syneſius, Evagrius tandem factus Chriſtianus dedit ei tria auri centenaria, ut in pauperes erogaret; eâ tamen conditione, ut Syneſius ipſi cautionem manu propriâ ſcriberet, quòd Chriſtus redderet illud aurum in futuro ſæculo; factum eſt, & poſt aliquot annos Philoſophus moriens præcepit filijs ſuis, ut unà cautionem illam ſepelirent. Tertiâ poſt die apparuit ipſe Syneſio quieſcenti, juſsítque recipere chirographum ſuum, quòd à Chriſto ſatisfactum ipſi eſſet abundè. Cùm autem Syneſius aperto ſepulchro chirographum reciperet, reperit in eo confeſſionem accepti debiti, recenti manu Philo-*

ſophi

sophi scriptam his verbis: Ego Evagrius Philosophus tibi Sanctissimo Domino Synesio Episc. salutem. Accepi debitum in his literis manu tuâ conscriptum, satisfactúmque mihi est: & nullum contra te habeo jus propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & Salvatori nostro. *Hæc ibi.*

5. Sicut officium Pictoriæ est, manum Pictoris ad ritè pingendum dirigere: officium Nauticæ, dirigere Nautam ad ritè navigandum; ita Logicæ officium, dirigere intellectum ad ritè apprehendendum, judicandum, discurrendum, & veritatem consequendam. Sicut ergo nulla est potentia Intellectu nobilior: nullum objectum Vero extensius & diffusius: nullus error perniciosor, quàm mentis & Intellectûs, qui cùm voluntati præluceat, hanc quoque seducit, in eámque suos errores derivat: denique nullibi quàm circa Verum frequentior lapsus & aberratio, tum propter ejus amplitudinem, quæ res omnes complectitur; tum propter ejus cum falso similitudinem, quæ vix peritissimos non fallit; tum propter sensuum imbecillitatem, qui vel ob distantiam objecti, vel medij alterationem, vel ob alias causas & ipsi falluntur & Intellectum fallunt; oportebit ergo artem, quæ potentiam tam nobilem dirigit, & in objectum, tam pulchrum & appetibile, quale veritas est, velut manuducit, & à falso docet declinare, nobilissimam & utilissimam esse. Denique nulla scientia est, in qua non mentio creberrima sit definitionum, divisionum, demonstrationum, substantiæ, generis, differentiæ, proprij, accidentium, terminorum, propositionum absolutarum, & conditionatarum, &c. quæ nisi intelligantur, nihil intelligitur; intelligi verò sine Logica non possunt.

V. *Nec obstat*, in Logica multa reperiri difficilia, obscura, superflua (qualia sunt de entibus rationis, & de medio inveniendo) barbaris vocibus plena, & ideo Logicam à SS. PP. sæpe improbatam esse, ut videre est apud Tertull. *l. de præs.* *Origin. in Exod.* Ubi Logicam cum plaga cyniphum, quâ Ægyptij vexati sunt, comparat, &c.

℟. Enim, utilitatem rei alicujus non esse ex defectibus æstimandam aut abusibus, alioqui nulla res creata, aut etiam à Christo instituta utilis erit, cùm nulla defectu & abusu careat. Nullum granum sine palea, nulla lux sine umbra. *Neque enim*, inquit August. *lib. 1. contra Crescon. pro patria non est miles armandus, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt, aut ideo uti non debent boni, doctique Medici medicinalibus ferramentis ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti pessimíque abutuntur.* Abusus ergo, qui objiciuntur, non sunt artis ipsius, sed arte aut abutentium, aut ignorantium: sicut cùm Nauta, quia ventum non observavit, ad portum non pervenit, error fuit non artis, sed luminis in artem peccantis. Obscuritas Logicæ partim ex ignorantia discentium est, ad res tam arduas novásque rudem & inexpertum adhuc intellectum afferentium, quemadmodum ferè qui diu nocti & tenebris assueverunt, primo lucis aspectu offenduntur, nec iste lucis, sed oculi defectus est. Barbariem vocum quod attinet, sciendum est, veritatem, quæ in Logica, alijsque scientijs quæritur, simplicitate, neglectúque sermonis gaudere, quod maximè verum est in scientijs disputativis & argumentativis ac demonstrativis, quales sunt Logicæ & Mathematicæ; impediuntur enim ornatu vestitúque verborum, & dum verbis comendis operam & studium locant, & tempus, & rem ipsam perdunt. Hinc in omnibus scientijs videmus, verba quamplurima esse minùs quidem Latina, sed multum significantia. Ergo Logicæ pretium in fructu, non folijs est. Illos tamen non probo, qui barbariem affectant, & sine ulla necessitate malunt turpiter quàm pulchrè dicere, & veritatem, quam sordido vase propinant, multorum contemptui ac fastidio exponunt. Mihi veritas sine ornatu quidem, non tamen sine decoro, vestitúque placet, qui castam & pulchram deceat. Patres quod attinet, non Logicam, sed abusum damnant, ut ex dictis apertum est.

VI. *Quæritur secundò.* Utrum Logica artificialis ad alias scientias in statu perfecto acquirendas, moraliter loquendo, sit necessaria? ℟. Affirmativè.

Probatur 1. Res aliqua aut veritas tunc scitur, cùm demonstratur; nec enim alio modo quàm per demonstrationem sciri potest;

ueſt; ergo oportet priùs cognoſci, ipſam demonſtrationem bonam & legitimam eſſe, ſed hoc ſciri niſi à Logico non poteſt, applicando videl. demonſtrativum Syllogiſmum ad ejuſdem regulas: nulla enim alia ſcientia eſt, quæ fieri demonſtrationem doceat.

2. Experientia docet, eos, qui Logicâ deſtituuntur, in alijs ſcientijs ad omnia hærere, præſertim verò in Theologicis & phyſicis, ubi tam multa de Diſtinctionibus, Relationibus, Ubicationibus, Unionibus, Quantitate occurrunt, quorum ſine Logica ne nomina quidem intelligi poſſunt.

3. Logica ex omnium conſenſu inſtrumenta ſciendi, & ſine errore intelligendi tradit: atqui nulla res moraliter loquendo ſine inſtrumentis operari poteſt, ſaltem non diu, nec conſtanter & perfectè.

4. Paucæ ſunt veritates, extra Mathematicas, ex ſe evidentes, ſed pleræque per bonam conſequentiam ex evidentibus deduci debent: atqui unum ex alio deducere, conſequentias texere, earúmque bonitatem examinare, eſt ſolius Logicæ.

5. Huc denique ſpectat elegans diſcurſus S. Thom. *in lib poſter. l. 1. Lect. 1.* Sicut dicit Philoſoph. *1. Metaph. Hominum genus artibus & rationibus vivit, &c.* Vide cit.

VII. *Objicies 1.* Ex allatis rationibus ſequi, non ſolùm Logicam, ſed omnes etiam alias Scientias ſibi mutuò neceſſarias eſſe, nulla enim perfectè ſine alia haberi poteſt; Mathematica v. g. quàm multa ſupponit ex Phyſica de quantitate, de cœlis, de coloribus, oculo? &c. Phyſica quàm multa ex Metaphyſica de ſubſtantijs, de vero, uno, bono, ente, exiſtentia? &c.

℟. Omnes Scientias catenatas, & aliquo modo ſubordinatas eſſe, adeò ut unius perfectiſſima cognitio aliarum notitiam ſaltem imperfectam requirat: Sicut enim in hoc mundo viſibili omnia ſibi mutuò connexa ſunt, unúmque ab alio vel in eſſe, vel in conſervari, vel gubernari aut perfici pendet, ita in mundo intelligibili unum verum ab alio, una cognitio ab alia pendet, & illuſtratur. Specialis tamen eſt Logicæ ad alias Scientias reſpectus, inſtrumenti vid. ad opus inſtrumentatum, & ideo magis hæc eſt neceſſaria quàm aliæ ſcientiæ. Sicut Pictoria habet quidem aliquam dependentiam ab Optica, facilius tamen erit imaginem ab eo

 pin-

pingi qui Opticâ caret, quàm qui penicillo: & Mathematica pendet à Physica, faciliùs tamen circulum formare sine Physica quàm sine circino disces. Accedit quòd sicut v. g. pictoria ars ab Optica dependet quoad aliquos tantùm effectus. v. g. distantias, umbras, colorum refractiones, &c. à penicillo & alijs pingendi instrumentis dependet absolutè & ferè quoad omnes effectus, & ideo major est necessitas penicilli ac instrumenti quàm Opticæ; ita scientia quoad omnes actus scientificos, & Intellectus quoad omnes demonstrationes à Logica pendet: cùm enim ex vero antecedente non solùm verum, sed etiam falsum consequatur, semper aut ferè semper Intellectui Logicâ opus est, quæ Intellectum determinet, gubernétque, ut ex vero non falsum, sed verum deducat. Sic Epicurus ex vero illo antecedente, *Etiam bonis mala eveniunt*: falsum deducebat: *Ergo Deus humana non curat.* Cujus consequentiæ falsitas mox à Logica deprehenditur & corrigitur: non enim argumentari licet *à sensu disjunctivo ad determinatum.* Sicut enim non valet: *Omne animal vel est homo vel brutum, ergo Petrus est brutum*; ita non valet: Bonis mala eveniunt, vel quia Deus præmium in aliam & immortalem vitam reservat: vel quia occasionem fortitudinis & exemplum in adversis ex tolerantia malorum hominibus parat: vel quia humana non curat; ergo humana non curat. Sic aliqui Antiquorum ex vero antecedente: videl. *Tempus futurum non est*, *Tempus* præteritum non est, Tempus præsens non est, tempus est enim tantùm instans, h. e. principium temporis; sicut unitas non est numerus, sed principium numeri, inferebant falsum consequens; *ergo tempus nullum est*, quæ est fallacia à sensu diviso ad sensum compositum: tempus enim cùm essentialiter sit transitus & motus, componitur ex non esse & esse, ex præsenti & futuro; Sicut ergo non sequitur, Anima non est homo, corpus non est homo, ergo nec anima & corpus sunt homo, ita non sequitur; Præteritum non est tempus, præsens non est tempus; ergo præteritum & præsens non sunt tempus.

Lutherus & Calvinus ex vero illo antecedente: *Deus omnia etiam futura necessariò cognoscit*: deducunt falsum; *ergo futura necessariò contingunt, ergo nulla est ad futura libertas.* Hujus consequentiæ falsitas

sitas ex Logicæ ignorantia nascitur, quia ut illatio sit bona, oportet non variari in antecedente, & consequente suppositionem, hîc autem variantur, quia de sensu immanente ad transeuntem, sive de necessitate consequente, & hypothetica ad necessitatem antecedentem & absolutam, quæ sola perimit libertatem, transitur. Patet ergo ex adductis exemplis, in omnibus ferè actibus scientificis & illativis Logicæ influxum & regulationem necessariam esse, quod de alijs Scientijs dici non potest; major ergo est Logicæ quàm aliarum scientiarum se mutuò illustrantium necessitas.

VIII. *Non obstat 2.* Ad bene argumentandum, & in qualibet scientia verum ex vero deducendum, sufficere Dialecticam naturalem, hoc est, ipsum lumen & perspicaciam Intellectûs naturalem, quâ videt unum in alio contineri, aut non contineri, unum ex alio sequi, aut non sequi: quis enim tam rudi brutóque intellectu sit, qui non videat has consequentias esse bonas: Omnis stella movetur, ergo & Saturnus: Centrum æqualiter distat à circumferentia, ergo omnis linea recta de centro ad circumferentiam est æqualis: Testamentum sine solemnitatibus est nullum, saltem civiliter, ergo nullum hæredibus jus parit saltem civile: Principes imitari omnes aut necessitate aut spe aliquâ cupiunt, ergo mala Principum exempla magis quàm privatorum nocent? Videmus ergo, omne genus scientiarum ex sola naturali Dialectica, quamvis artificiali careant, argumentari posse, & hoc ipsum experientia docet, imò artium & scientiarum omnium origo: priùs enim quàm esset Arithmetica, Grammatica, Astrologia, Musica, usus numerandi, loquendi, cœlum observandi cantandíque erat: & de Medicina testatur Plinius, 600. annis Romam sine Medicis, non tamen sine remedijs morborum fuisse. Idem ergo de Logica, quod de alijs Scientijs dicendum erit, naturalem scilicet sufficere. Si enim curari sanitas 600. annis sine Medicis potuit, cur non totidem annis ratio sine Logicis?

℞. Logicam naturalem artificiali destitutam ad paucos actus eósque valde faciles, non verò ad multos, multò minùs ad omnes, ac valde difficiles sufficere, & infinitis erroribus obnoxiam esse, ut experientia docet: nec nos negamus, Logicam natura-

lem ſcientijs acquirendis in aliquo imperfectóque gradu ſufficere: Qui artem iaculandi ignorat, naturali diligentiâ eò quidem perveniet, ut aliquando metam feriat, ſed longè ſæpius errabit: qui arte medicâ caret, aliquem fortè morbum cognoſcet, aliquem curabit, ſed mille alios non cognoſcet, & plures morti quàm ſanitati reddet: Idem de Logica dicas; hæc enim morbos Intellectûs, hoc eſt, errores, ut Medicina corporis ſanat: cùm enim ars ſit collectio multorum præceptorum, quæ longiſſimo uſu, perpetuâ experientiâ, aſſiduo ſtudio, labore ac lectione quamplurimis annis homines doctiſſimi ac inſigni ingenio præditi invenerunt, fieri moraliter non poteſt, ut unius hominis ingenium paucis annis privato ſtudio ac labore id ſolâ naturâ conſequatur, quod tanto tempore, ſtudio, labore tam multi naturâ & arte moliti tandem ſunt: quis enim credat, equum quamvis perniciſſimum eò unâ horâ currendo perventurum, quò aquilæ multis menſibus volando pervenerunt? Audi Hugonem à S.Vict.? *l. 1. Didaſcalica eruditionis. Omnes Scientiæ*, inquit, *priùs erant in uſu quàm in arte. Sed conſiderantes deinde homines uſum poſſe in artem converti, & quod vagum fuerat ac licentioſum priùs, certis regulis & præceptis poſſe reſtringi, cœperunt conſuetudinem, quæ partim naturâ, partim uſu exorta fuerat, ad artem reducere, quod pravum habebat uſum emendantes, quod minus habebat ſupplentes; quod ſuperfluum habebat reſecantes, & de cæteris ſingulis certas regulas ac præcepta præſcribentes. Hujuſmodi fuit origo omnium artium. Priuſquam eſſet Grammatica, & ſcribebant & loquebantur homines. Priuſquam eſſet Dialectica, ratiocinando verum à falſo diſcernebant. Priuſquam eſſet Rhetorica, Jura Civilia tractabant. Priuſquam eſſet Arithmetica, uſum numerandi habebant. Priuſquam eſſet Muſica, canebant. Priuſquam eſſet Geometria, agros menſurabant. Priuſquam eſſet Aſtronomia, per curſus ſtellarum temporum diſcretiones capiebant. Supervenerunt artes, quæ licèt ab uſu principium ſumpſerunt, uſu tamen meliores ſunt.*

Et Rudolph. Agric. *l. 2. de invent. c. 5. Sic quod Dialectices eſt, invenerunt argumenta homines, & errores malè inventorum aliquando deprehenderunt, antea quàm eſſent omnia præcepta illius in artis formam collecta. Ariſtoteles tamen, quiquè poſt eum illâ inſtructi fuêre, facilè libris ſuis oſtendunt, quàm magnus ſit uſus ejus, & quàm tractandis omnibus rebus accommodatus: utquè ſine ea non ſolùm ſingula, de quibus in artium decurſu dubitare-*

taretur, explicari nequirent; sed ne artes quidem colligi possent, & in hanc, quam acceperunt, redigi formam.

IX. *Non obstat 3.* Logicam sine alia Logica discere quis potest (si enim ut Logicam discas, aliâ Logicâ opus sit, erit processus in infinitum) ergo etiam alias scientias.

℞. Logicam perfectè sine Logica, vel potiùs sine cognitione partium & principiorum faciliorum, & universalium ejusdem Logicæ acquiri non posse, sicque non aliam, sed eandem Logicam inadæquatè spectatam sibiipsi necessariam esse; ut adæquatè, perfectéque acquiri possit, quâ ratione pars ad totum necessaria est; & hoc est omnibus scientijs commune: Grammatica enim sine Grammatica, hoc est, sine primis Grammaticæ principijs, & elementis acquiri non potest: idem de Physica, idem de Mathematica dixeris. Quia ergo actus perfectissimus Logicæ est demonstratio, & hæc sine cognitione terminorum ac propositionum, quæ sunt etiam objecta & opera Logicæ: in hoc sensu verum est, Logicam imperfectam esse Logicæ perfectæ necessariam; Logicam verò perfectam, hoc est, quoad actum perfectum, qui est Demonstratio, esse alijs scientijs necessariam, quia sine Demonstratione acquiri non possunt.

X. *Non obstat 4.* Veteres Philosophos ante Zenonem Eleaten primum Dialecticæ cultorem sine Dialectica multas scientias calluisse, & Platonis tempore Dialectica modò post Mathematicas docebatur: ipse Plato 7. *de Repub.* præcipit non ante trigesimum annum Dialecticam disci: & de Mathematicis, ac Jurisprudentia dubitari vix potest, Dialecticâ non egere.

℞. Ne veteribus quidem illis Philosophis Dialecticam defuisse, quamvis non ita cultam & in ordinem redactam, ut postea ab Aristotele factum est, & ideo in multos gravésque errores lapsi sunt, ut Aristoteles notat. Si ergo ne illi quidem, quantumvis summo ingenio præditi, hâc luce destituti cavere lapsum nequivêre, quid de alijs dicendum erit, & minùs videntibus, & magis ignorantibus? Verum est, Mathematicas minùs quàm alias Scientias Logicâ indigere, quia resolvunt in principia sensibiliter evidentia, & cum suis conclusionibus evidenter connexa, ad quam connexionem, utpote manifestissimam, ritè intelligen-

dam

dam non tam arte, quàm oculo opus eſt: cæterum dubitari non poteſt, etiam Mathematicam definitionibus & illationibus Logicis uti, maximè cùm reſolvit in principia intelligibilia; hæc enim propoſitio, *Linea recta eſt inter duo determinata puncta omnium breviſſima,* demonſtrari vel ad ſenſum poteſt circino metiendo lineam rectam & curvam inter duo puncta determinata, & continuò ac ad oculum apparebit, curvam multò longiorem eſſe. Vel demonſtrari intelligibiliter poteſt hoc Syllogiſmo: *Linea, quæ plus ſpatij in longum occupat, longior eſt, quàm quæ occupat minus ſpatij: ſed linea curva plus ſpatij occupat quàm recta, occupat enim ſaltem virtualiter totum ſpatium rectæ, & adhuc multò plus; ergo, &c.* & hæc demonſtratio ſine dubio Dialectica eſt. Juriſprudentiam quod attinet, ea ſine Logica vix poteſt perfecta eſſe; quàm enim multa & paſſim in ea occurrunt de ſubſtantialibus, de accidentalibus contractuum, de relativis, qualitatibus, de oppoſitis, diſparatis &c. quorum ne nomina quidem ſine Logica intelliguntur? *Rurſus.* Certum eſt, Juriſprudentiam argumentativam eſſe: vel enim reſolvit ſuas concluſiones in Legalem & clarum textum, tanquam in cauſam effectivam, & tunc non opus eſt Dialecticâ artificiali, propter clariſſimam connexionem concluſionis cum ſuo principio: vel non reſolvit in textum clarum, & immediatum, ſed tantùm ex textu argumentatur, & per diſcurſum concluſionem deducit, & tunc Juriſprudentia artificio & locis Dialecticis omnino utitur, vid. à ſimili, à contrario, à relativis, ab identitate, à majori ad minus, &c. de quibus integri Tractatus Juriſconſultorum extant, & ideo Philoſophiæ nomen Juriſprudentiæ tribuitur in *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.* Audi cenſuram Doctoris Hermes Clariſſimi J C. in faſciculo *c. 37. n. 163.* ubi: *Miſeratione*, inquit, *potius quàm refutatione digni videntur, qui inutile putant, in Philoſophia operam locare, cùm uſum rei non intelligant, ſimiles vulpi Æſopicæ; nec mirum quòd non appetant, cùm ignoti nulla cupido, & tantùm velimus, quantum intelligimus; qui verò neglectis Philoſophorum ſcholis, ſpretis artium adminiculis ad Jureconſultorum facultatum pulpita ſe convertunt, Baldum crepant, Juſtinianum ſomniant, hi Priſcianum ſæpe ut coquus muranam ſoſſare ſolent, & Phaetonteâ planè audaciâ, fortunâ verò pius quàm Icariâ longè peius ac Solares.*

Ex-

Exspatiantur equi, nulloque inhibente per auras
Ignota regionis eunt, quáque impetus egit,
Hâc sine lege ruunt.

Imò, quod magis mirêre, etiam Medico Dialecticam esse summè necessariam tradit Hippocrates ipse *l. de probit.* Hali *l. 1. c. 3.* Galenus apud Cardan. *l. 7. artis Medicat. & 2. de simplicib. c. 2.* Cardan. *Tomo 6. in contradicentibus Medicor. l. 1. Tr. 3. post med.* Quod etiam ex dictis facilè probari potest; Logica enim est Physicæ necessaria, & Physica Medicinæ: quam ergo scientiam Logicæ subduces, si etiam Medicina, quæ maximè practica est, nec disputat, sed curat, illi subjecta est? Ergo etiam morbi & mors ipsa disputando vincuntur.

XI. *Quæritur tertiò.* An Logica artificialis sit Physicè, & absolutè loquendo necessaria ad alias scientias, in gradu saltem imperfecto obtinendas? *Resp. negativè.*

Probatur 1. Ex rationibus, quæ contra Conclusionem 2. productæ sunt.

2. Sicut se habet claritas objecti ad cognosci, ita se habet claritas & activitas Intellectûs ad cognoscere: sed quando veritas aliqua clarissimè & evidenter connectitur cum suis principijs, sine Logica ea connexio cognoscitur, quilibet enim sine Logica artificiali bonitatem istarum consequentiarum intelliget: *Dies est, ergo sol lucet: Omne totum est majus suâ parte, ergo totum templum majus est campanili.* Sicut ergo magna claritas & evidentia illationis supplet necessitatem Logicæ artificialis, ita etiam magna claritas & activitas Intellectûs uno obtutu & sine discursu Logico quamplurimas conclusiones in uno principio spectantis, ad quas sigillatim & distinctè deducendas alius Intellectu minùs illuminato multo tempore, multo labore, multísque consequentijs, ac Logico artificio vix tandem pertinget. Quod etiam validè confirmari potest ex proportione Intellectûs & oculi corporei: oculus enim coloratum non videt nisi intra certam distantiam, & quò longiùs objectum distat, eò semper minus apparet, ejusdem objecti cono seu angulo semper magis magísque extenuato. Quodsi objectum extra sphæram & distantiam naturalem ponas, omnino disparebit, & visum fugiet, nisi forsan instrumenta aliqua aut specilla optica adhibeas, quorum ope

ſpecies colligantur, & collectæ fortiùs agant, ipsámque objecti imaginem in oculo pingant. Reperiuntur tamen aliqui, quorum in videndo activitas & diſtantiam objecti, & ſpecierum imbecillitatem, & neceſſitatem inſtrumentorum vincit ſupplétque. Tiberius Imp. in tenebris & nocte videbat. *Suet.* Strabo à Lilybæo claſſes Carthaginenſium è portu ſolventes videbat, in ijsque ſingulas numerabat naves. Diſtantia verò erat centum triginta quinque mille paſſuum. Val. *l. 1. c. 8.* Hiſpanus quidam Lopes Gadibus fuit, qui uſque in Africæ littus acie penetrabat ſpatio trium aut quatuor horarum, & quæ illic agebantur, indicare poterat. Camerar. *horar. ſubc.* C. 3. *c. 81.* & denique de Zahuris ſeu Lynceis Hiſpaniæ res certiſſima eſt, abdita in terræ viſceribus, venas aquarum, metallorum, theſauros videre, & talem Lynceum del Rio teſtatur Madriti à ſe viſum Anno 1575. & hanc videndi activitatem Cœlius Rhodig. *l. 16. antiq. lect.* alijque naturæ & ſpirituum vehementiæ tribuunt. Sicut ergo poteſt oculus corporeus naturali videndi facultate ea cernere, quæ aliàs, & moraliter loquendo, ſine inſtrumentis artificiatis videri non poſſunt; cur non etiam Intellectus ſine Logica artificiali ea cognoſcere, quæ alioquin & moraliter loquendo ſine arte & inſtrumentis Logicis cognoſci non poſſunt? Nec enim major eſt oculi ad viſibile, quàm Intellectûs ad intelligibile proportio.


3. Licèt S. Aug. *l. 2. de Ord.* doceat, ſtatim poſt Grammaticam inventam fuiſſe Dialecticam, tanquam aliarum ſcientiarum inſtrumentariam, alij tamen primò Phyſicam inventam eſſe dicunt, tum Mathematicam, ac tandem Logicam; ídque non caſu, ſed ordine maximè naturali: experientia enim ſcientias genuit. Primò autem in ſenſus incurrunt tam multæ & quotidianæ mutationes, dies vid. & noctes, vitæ, mortes, ſanitas, morbi, voluptates, dolores, gaudia, triſtitiæ, hyemes, æſtates, ortus, occaſúsque, ſerenum, nubilum, &c. quorum effectuum experientia admirationem genuit, admiratio explorationem cauſarum, ac conſiderationem entis mutabilis, quod eſt objectum Phyſicæ; ex Phyſica cœpit Intellectus relictâ materiâ ſenſibili ad figuras, numeros, proportiones, magnitudines, motúſque præſertim corporum cœleſtium ferri, & hinc natæ Mathematicæ, qua-

quarum objectum eſt ens extenſum. Tardiùs inventa Metaphyſica, utpote de rebus à ſenſu remotiſſimis. Tandem cùm homines animadverterent ſe in rebus apprehendendis, enuntiandis, & præſertim per diſcurſum inferendis ſæpe falli, aut etiam ab alijs in errorem induci, cœperunt ſuper actus ſuos mentémque reflectere, & regulas aliquas excogitare, quibus & ipſi in cognoſcendo ducerentur, & aliorum fallacias fucata pro veris obtrudentium certò detegerent: & hanc Dialecticam dicimus, artem vid. ex erroribus & inſidijs natam. Si ergo poſt alias ſcientias Logica & ultimò reperta eſt; quomodo illis abſolutè neceſſaria?

4. Artes licèt in uſu ab inſtrumentis dependeant, ſicut etiam ſcientiæ practicæ; in eſſe tamen intelligibili, ubi propriè ſcientiæ ſunt (cùm opus ſit effectus ſcientiæ eámque ſupponat) priùs eſt ſcientia quàm inſtrumentum ſcientiæ, quod ad executionem pertinet: quemadmodum oportet priùs aliquem Mathematicum eſſe, quàm inſtrumenta Mathematica conficere, ijſque uti poſſit, nullus quippe niſi Mathematicus aſtrolabio, globo, quadrato uti poterit, niſi qui Mathematicam calleat. Cùm ergo Logica ſit inſtrumentum aliarum ſcientiarum, hæ priùs quàm Logica erunt, & ita potiùs Logica ſcientiam, in aliquo gradu & imperfectam, ſupponet quàm econtrà; v. g. in hoc ſyllogiſmo: *Quod contrarijs formis caret, corrumpi non poteſt: materia contrarijs caret* (cùm omnes formas accidentales, & ſubſtantiales appetat, nihil autem ſibi contraria appetit) *ergo, &c.* in hoc ſyllogiſmo priùs cognoſco, *Materiam contrarijs carere, contraria eſſe radices corruptionis, contraria non eſſe, quæ naturaliter appetuntur*, quàm judicem, tres illas propoſitiones aptè collocatas, & formâ Dialecticâ præditas eſſe. Sicut quælibet forma artificialis materiam ſupponit; ergo ſcientia Phyſica, ad quam illæ propoſitiones ſpectant, ſupponitur ad directionem & operationem Logicam.

5. Denique Logica eſt inſtrumentum Scientiarum non adæquatum & continens totam vim intelligibilem ac formatricem operis (ſicut ars Architectonica eſt tota ratio fabricandæ domûs, non verò lapides & ligna) ſed eſt inſtrumentum coadjuvans Intellectum, & dirigens operationes mentis, in quibus reperiuntur

semina & principia moventia ad producendum effectum artis & cognitionem scientificam. Sicut Medicina est ars adjuvans naturam ad consequendam sanitatem; & ideo natura, in qua est principium sanitatis, sæpè ad hanc sine arte & medicina reducitur, idem de Logica sentiendum, de quo vide S. Th. eleganter disserentem *1. p. q. 117. a. 1. & 2. cont. Gent. c. 75.*



§. II.

De objecto scientiarum in genere.

Summaria.

1. Quid sit objectum, & quomodo per cognitionem nobilius esse acquirat?

2. Singulis potentijs, & scientijs necessarium esse aliquod objectum.

3. Et quæ sint objecti officia?

4. Ut objectum aliquod sit scibile, necessariò aliquibus proprietatibus ornatum esse oportet.

5. Objecti divisio.

6. De ratione formali sub qua, ejus necessitate, usúque in scientijs specificandis.

7. Non obest rationi formali sub qua, quòd ingrediatur definitionem potentiæ, vel scientiæ, & econtrà.

8. Effectus primarius rationis formalis sub qua est specificare potentiam, vel habitum.

9. Solvuntur objectiones.

10. Conditiones objecti pro scientijs tum speculativis; tum practicis.

I. Ob-



I.



Bjectum dicitur, quod potentiæ cognoſcitivæ aut ſcientiæ alicui cognoſcendum, conſiderandum, & ad eſſe intentionale aut cognoſcibile elevandum objicitur: quælibet enim cognitio objectum ſuum transformat, & ad aliud ac elevatius eſſe perducit, Planta v. g. ſecundum eſſe ſuum reale ac entitativum, quod extra intellectum habet, eſt ens corporeum, corruptibile, multiſque modis alterabile: ſecundùm verò eſſe intentionale, quod in intellectu habet, quamvis ſit tantùm imago & expreſſio accidentalis veræ arboris, & hoc reſpectu imperfectior: ex alia tamen parte acquirit eſſe vitale, intelligibile, immateriale, ac ex ſua natura incorruptibile. Sicut enim roſa in auro, aut ebore ſculpta aurum, & ebur eſt, induítque omnes perfectiones & æſtimabilitatem auri eburíſque, ac præterea gradum artificiati tantò nobiliorem, quantò propiùs ad ſimilitudinem veræ ac naturalis roſæ accedit; ſic multóque magis intellectui impreſſa omnes conditiones, & perfectiones intellectûs induit, ac præterea gradum ac eſſe imaginis, nec tantùm quoad externam & ſuperficialem apparentiam ac figurationem objecti, ſed quoad internam, intimam ac viſceralem omnium proprietatum & eſſentiæ expreſſionem; & ita imago objecti intellectualis ſuperat nón ſolùm perfectiones rei ut eſt, ſed etiam ut in artem cadit, quia nullâ arte tanta ſimilitudo in imaginem derivari poteſt, quantam cognoſcendo intellectus in ſuos actus & imagines derivat.

Nec obſtat, ut dixi, roſam extra intellectum ſubſtantiam eſſe, in cognitione tantùm accidens, ergo perfectior eſt in eſſe naturali, quàm in eſſe ſcibili.

℞. Omnino in eſſe naturali & entitativo nobiliorem eſſe, ſed hæc ipſa perfectio entitativa vincitur tot alijs perfectionibus, quæ objecto in eſſe ſcibili adveniunt, illúdque in hoc ſtatu reddunt longè magis appretiabile & appetibilius; quis enim non

majori pretio rosam in auro à perfectissimo sculptore ductam emat quàm naturalem ? Aut quis & in seipso & in alijs non majoris faciat scientiam rosæ quàm ipsam rosam ? Licèt hæc sit substantia, illa accidens: quâ ratione S.Th. *1. 2. q. 113. a. 9. ad* 2. de gratia sanctificante docet (quæ accidens solùm est) unum gradum gratiæ majus esse bonum bono totius universi; patet ergo, perfectionem in gradu substantiæ compensari, imò excedi posse multis alijs perfectionibus accidentalibus, saltem quoad rei pretium & æstimabilitatem. Hoc prænotato

II. *Quæritur primò.* Utrum oporteat aliqua objecta singulis potentijs, & scientijs assignari ?

Resp. Omninò oportere; id patet inductione omnium potentiarum & scientiarum; quis enim videt sine colore, audit sine sono, intelligit sine vero, amat sine bono, pulchróque ? Et ratio est, quia potentia dicit relationem ad actum, actus cognoscitivus ad rem cognitam (est enim cognitio alicujus cognitio) ergo nec potentia sine actu, nec actus sine objecto, utpote correlativis, esse potest.

III. *Quæritur, secundò.* Quæ sint officia objecti ?

℞. Varia esse officia, quæ objectum immediatè in actum & mediatè in potentiam exercet; nam

1. Objecta limitant, & obsepiunt potentias, & actus, ut extra objectum ferri non possint; habet enim quælibet natura suos terminos, quibus cingitur, & intra quos sistit: Elementa suum centrum, Planetæ suos orbes, Agentia suam sphæram activitatis, Essentiæ suas differentias: sic & Scientiæ sua objecta, quæ Horizontem seu Finitorem intelligibilem constituunt, qualem oculo corporeo Mathematici etiam assignant: & ita videmus, nec oculum ad sonos, nec aurem ad colores extendi; nec Logicam de triangulis, aut numeris disputare, nec Mathematicam de Syllogismis, quâlibet videlicer Scientiâ intra suum orbem & lineas collectâ, adeò ut sicut ne absolutâ quidem Dei potentiâ fieri potest, ut triangulus plures angulos, quàm tres complectatur, aut essentia humana ultra specificam differentiam suam aliam assumat, ita fieri nequit, potentiam extra suum objectum vagari, hoc est, visum in sonos ferri, auditum in colores, &c.

2. Quod

2. Quod ex primo sequitur, Objecta Scientias & potentias specificant, non quidem in genere causæ formalis intrinsecæ, sed causæ formalis extrinsecæ, & exemplaris; cùm enim cognitio sit objecti assimilatio & imago, objectum se habebit ut exemplar, cognitio ut exemplatum. Sed hæc specificatio non datur à toto objecto, sed à sola *ratione formali sub qua*, ut paulò infra dicetur: tantùm hic *nota*, duplicem causalitatem ab objecto in cognitionem, actualémque scientiam exerceri, causæ videl. efficientis & exemplaris; hanc purè terminando actum; illam effectivè per species producendo; est enim cognitio speculum intelligibile veritatis, quam contemplatur: imago autem in speculo recepta partim effectivè ab objectis procedit, quæ per species impressas seipsa in speculo pingunt, partim terminativè, quatenus dicunt similitudinem & imitationem objectorum; imitatio verò & similitudo non dicit ullum influxum effectivum, sed purè terminativum, ut patet in creaturis, quæ nullum influxum effectivum in Deum habent, quamvis ut exemplaria imitationésque divinarum perfectionum, imò objecta divinam cognitionem terminantia, terminativè se ad illam habeant.

3. Scientiæ sicut ab objectis specificantur, quod magis paulò pòst explicabitur, ita etiam distinguuntur; quælibet enim res per differentiam specificam ab alia distinguitur.

4. Ordo & Dignitas quæ in scientijs est, ab objectis desumitur; tantò enim dignior est scientia, quantò perfectius objectum, & perfectior est modus, quo circa illud versatur; cùm enim veritas sit unicum centrum & maxima perfectio ac felicitas intelligentis, quò illa est altior, ac viciniùs & clariùs intellectum irradiat, tantò etiam magis perficit; quemadmodum, quia visio est coloris, & lucis possessio, quò pulchrior erit lucis & coloris in objecto attemperatio, eò perfectior erit visio: & sicut forma tam accidentalis quàm substantialis, quò perfectior est & subjectum perfectiùs actuat, eò perfectius compositum reddit: sic & scientia, quæ est compositum ex actu & objecto velut forma intelligibili & ideali, ex hujus majori perfectione & ipsa perfectior evadit: quemadmodum ergo annulus ex gemma, ita scientiæ ex objecto pretium & dignitatem habent.

IV. *Qua-*

IV. *Quær. Tertiò.* Utrum objectum ſcientiæ habeat aliquas proprietates? *Reſp.* Neceſſarium eſſe, ut ſcientiæ objectum aliquas proprietates habeat, quæ per cauſas neceſſarias de illo demonſtrari poſſint, ſcire enim eſt res per cauſas cognoſcere: ſolæ autem proprietates aut prædicata eſſentialia objecti cauſas & rationes neceſſarias habent, cum quibus in eſſe rei connectuntur, & per quas in eſſe cognoſcibili probari poſſunt. Sic Mathematica pro objecto habet quantitatem continuam, de qua multas proprietates demonſtrat, v. g. de angulo rectilineo (qui fit ex contactu duarum linearum rectarum) omnes angulos rectilineos eſſe invicem æquales, quia lineæ rectæ, ex quarum concurſu fiunt, æqualiter, & ſine inclinatione ſe contingunt: à quolibet puncto circuli duci poſſe lineam rectam ad centrum, quia centrum æqualiter à circumferentia diſtat: terram rotundam eſſe, quia gravia à quolibet puncto terræ per rectam lineam ad centrum pergunt, ut in perpendiculis patet. Sic Phyſica de objecto ſuo, quod eſt corpus mobile, probat ignem ſurſum agi, quia ſurſum eſt illius centrum, &c. *Advertendum* tamen eſt, proprietates, quas de ſuo objecto Scientia demonſtrat, non ſemper à ſuo objecto realiter diſtingui, nec principia demonſtrantia à proprietate demonſtrata; Metaphyſica enim entis proprietates demonſtrat, quæ cum ente identificantur realiter, & Theologia Dei unitatem per ejus infinitatem, cùm tamen hæc nec ab unitate, nec unitas ab illa diſtinguatur. Ut ergo ſciri aliquid & demonſtrari poſſit, ſufficit rem demonſtratam cum principio demonſtrationis connecti, & quò major eſt connexio unius cum alio, eò major erit, magisque convincens neceſſitas demonſtrationis.

V. *Quæritur quartò.* Quotuplex ſit objectum? *Reſp.* Objectum dividitur *primò* in objectum *remotum* & *proximum*. Remotum eſt quod propriè & per ſe ab actu non attingitur, ſed tantùm reſpectu alicujus ſibi conjuncti: ſic pomum, ſolem, &c. videmus, hoc eſt, non ipſam ſubſtantiam, ſed colorem, & lucem utriuſque, & ita pomum, quod eſt nomen ſubſtantiæ, eſt objectum remotum duntaxat viſionis, proximum color. Hoc objectum proximum dividitur *ſecundò* in *materiale* & *formale*. Objectum materiale dicitur, quod verè ab actu & ſcientia attingitur,

ſed

ſed ad actum merè terminativè & nullo modo motivè ſe habet: Sic creaturæ omnes, quas Deus intelligit, amátque, ſunt hujus amoris, & ſcientiæ objecta merè materialia, quia non movent nec cauſant in Deo amorem & ſcientiam, ſed illam terminant, & cùm amo proximum propter ſolum Deum, ille eſt objectum terminativum, non motivum, quia tota ratio quæ movet & excitat amorem, eſt bonitas Dei, ut ſuppono, non creaturæ. Idem dicas, cùm media propter finem appeto, v. g. ſectionem propter ſanitatem, hæc ſola videtur objectum appetibile, non ipſa ſectio, quæ potiùs nata eſt voluntatem avertere, quàm provocare. *Alij* tamen objectum materiale aliter explicant & confundunt cùm objecto remoto: proximum verò, quódque eſt vera ratio, quæ ab actu attingitur, vocant *rationem formalem Qua*, totum hoc concretum ex materiali & formali vocant *Objectum Quod*: paries ergo viſus erit Objectum materiale Viſionis, color objectum formale, paries coloratus *Objectum Quod*: Ens ſecundùm omnes ſuas differentias Objectum Metaphyſicæ materiale & remotum, ratio verò Entis præciſa, & ut ſic, objectum formale; Ens ſecundùm ſe *Objectum formale Quod*. Non tamen ſemper neceſſarium erit, *rationem formalem Qua* realiter diſtingui à materiali, ut patet in Ente: & eadem lux ſimul videtur, & eſt ratio videndi.

Tertiò. Objectum verò materiale aliud eſt *Adæquatum*, aliud *Inadæquatum*, hoc eſt pars Objecti quod à ſcientia conſideratur, ſicut anima eſt pars Objecti Phyſicæ. Adæquatum eſt totum & aggregatum, ad quod omnia, quæ in ſcientia aliqua tractantur, vel ut cauſæ, vel ut partes, vel proprietates, vel oppoſita, reduci debent. Sic Ens mobile eſt objectum totale Phyſicæ, numerus objectum Arithmeticæ, &c.

Quartò. Objectum inadæquatum aliud eſt *Attributionis*, aliud *Attributi*: Objectum Attributionis eſt pars principalis objecti ſcibilis, ad cujus contemplationem, aut etiam formationem, omnia alia objecta partialia, eorúmque cognitiones diriguntur; cùm enim ſcientiæ ſint ordinatæ, videtur ad earum perfectionem pertinere, objecta ita connecti, ut in unum colligantur, quemadmodum omnes lineæ à circulo in centrum, quod tantùm eſt pars, & minima circuli, colliguntur: & in Logica omnes tres

mentis operationes & regulæ iſtarum directrices tandem in Demonſtrationem, quæ eſt pars Logicæ, concurrunt: quidquid de terminis, propoſitionibus, definitionibus, ſyllogiſmis, &c. in Logica diſputatur, id omne Demonſtrationibus ſervit. Complutenſes *diſp. 1. Proœm. n. 11.* dicunt, ſolum objectum adæquatum eſſe Attributionis, multique alii Recentiores negant in ſcientijs objectum partiale Attributionis dari, ad quod ex ſua natura reliqua objecta partialia referantur; poſſet enim, inquiunt, eſſe cognitio definitionis ſine notitia demonſtrationis, & etiam demonſtratione implicante, non ergo ad hanc illa refertur ex ſua natura. Idem de propoſitione, idem de alijs dicas, quæ in Logica conſiderantur. *Rurſus* definitio v.g. non eſt pars per ſe Demonſtrationis, cùm etiam extra demonſtrationem tota & perfectè ſubſiſtat, & ita per accidens tantùm ad demonſtrationem refertur, quia apta eſt huic ſervire. Sicut lapis per accidens refertur ad domum, quia aptus eſt domum componere; hæc verò ſola aptitudo non videtur ſufficere ad conſtituendum objectum Attributionis; alioquin & demonſtratio apta eſt referri ad Definitionem eſſentialem tanquam cognitio proprietatis ad cognitionem, & explicationem eſſentiæ, & ita non erit major ratio, cur una potiùs, quàm alia dicatur objectum Attributionis eſſe. Quando ergo objectum partiale unius ſcientiæ ad aliud refertur, id non tam ex natura rei videtur eſſe, quàm ex intentione, ac diſpoſitione primarij illius ſcientiæ Inventoris.

Mihi tamen contrarium probabilius videtur, in aliquibus videlicet ſcientijs ex natura ipſius ſcientiæ objectum Attributionis aſſignandum eſſe, ad quod objecta partialia non ſolùm per accidens, ſed per ſe ſuóque inſtinctu ordinentur: in Logica enim v.g. cujus objectum eſt modus ſciendi, ſeu directio mentis operationum, cùm definitio imperfectè ſcientem conſtituat, Demonſtratio perfectè, illa ad hanc per ſe ordinabitur, quia imperfectum in ſuo genere ad perfectum, diſpoſitio ad formam per ſe refertur; natura quippe nihil imperfecti molitur, ut ibi ſiſtat, ſed ut ad aliud tanquam perfectivum reducat, ſicut materia eſt propter formam, & forma propter totum. Sic in Metaphyſica Deus eſt objectum Attributionis, quia objectum illius ſcientiæ

eſt

est Ens ut sic, ratio verò Entis in solo Deo perfectè reperitur, nam creaturæ sunt mixtæ ex esse & non esse. In Physica objectum Attributionis est anima rationalis, quia in hac sola reperitur ratio Entis naturalis mobilis quoad totam suam perfectionem, omnémque movendi gradum. Quodnam verò in particulari sit Logicæ objectum Attributionis, infrà dicetur.

VI. *Quæritur quintò.* Utrum præter objectum formale Quod, seu rationem formalem Quæ, admittenda insuper sit *Ratio formalis sub Qua*, quæ objectum ultimò determinet in esse scibili, illúdque ad certam speciem scientiæ potiùs quàm ad aliam pertinere faciat? *Notandum.* Intelligi per rationem *formalem sub Quâ*, ultimam actualitatem, & scibilitatem objecti, per quam determinatur ad unam potentiam, aut scientiam potiùs, quàm ad aliam, quæque reperitur in omnibus actibus ad eandem potentiam aut scientiam pertinentibus, v. g. color albus, niger, & ruber conveniunt in ratione coloris, & sub hac ratione pertinent ad objectum potentiæ visivæ, hæc tamen ratio coloris non est ultima & specificativa objecti visibilis; cùm color, ut appetibilis, ad voluntatem, ut verus ad intellectum, ut effectus qualitatum miscibilium ad scientiam naturalem, ut denique per lineas rectas, reflexas, aut refractas ad oculum perveniens, ad opticam pertineat. Cùm ergo color, ut color, ad tot alias scientias potentiásque pertinere possit, quærenda est aliqua & ultima formalitas, per quam ad potentiam tantùm visivam, non intellectivam pertineat, & hanc dicimus esse *rationem formalem sub Qua*; formæ enim est, materiam ad plura indifferentem determinare, & unum ab alio distinguere. Visibilitas ergo coloris, & modus oculum per radiationem specierum & lucis immutandi, constituet *rationem sub qua* color ad solum visum, non ad alias potentias pertinet. In particulari quænam sit omnium scientiarum ratio formalis sub qua, & unde sumenda, dicetur ubi de unitate scientiarum. Videatur interim Cajet. *in 1. p. q. 1. a. 3.* Hinc ergo;

℟. Hanc rationem *formalem sub Qua* necessariò admittendam esse, ferè communis est DD. sententia, & expressè traditur à S. Th. *1. 2. q. 54. a. 2. ad 2.* Ubi dicit, rotunditatem terræ

à Physica, & Mathematica considerari, sed sub diversis medijs: Mathematica enim probat per figuras eclypsin, & ita sub propria ratione formali, quæ est Ens extensum, abstractum ab omni forma sensibili, non tamen intelligibili (Mathematicus enim de circulo v. g. disputat, qui est quantus, & consequenter materiam habet intelligibilem, abstrahendo an circulus sit ligneus, ferreus, aureus, coloratus, &c.) Physica verò eandem rotunditatem probat per motum rectum ad centrum à qualibet parte terræ: mobilitas verò Entis est ratio formalis Physicæ, quæ sub abstractione, à materia singulari, non verò sensibili, in omnibus objectis naturalibus invenitur.

Ratio, præter auctoritatem S. Thomæ, est, quia actus & potentiæ à suis objectis specificantur, & ab alijs potentijs distinguuntur: sed remotâ ratione formali sub Qua specificari & distingui non possent, ergo. *Major* est certa, & omnium ferè DD. Per quid enim mihi definies visum, eúmque ab auditu distingues, nisi per colorem & sonum? Imò ne cogitari quidem potest visus sine colore, auditus sine sono: si ergo color ingreditur non solùm definitionem, sed etiam cogitationem, ac distinctionem visûs, pertinebit ad hujus specificationem, quæ enim non specificant, non distinguunt, ut patet in gradibus & differentijs genericis. *Minor probatur*, quia remotâ *ratione formali sub Qua* objectum manet genericum, & pluribus scientijs ac potentijs commune, ut ostendimus de colore, non ergo specificat, & distinguit: sicut enim gradus genericus sensitivi non specificat hominem, nec à bruto distinguit, & imago generica Cæsarem aliquem in genere repræsentans, nullum aliquem in particulari, non potest deducere in cognitionem specificam, vel pariticularem Leopoldi potiùs quàm Ferdinandi; ita objectum genericum non potest actum aliquem vel potentiam specificare.

VII. *Objicit* Vasq. *in 1. p. q. 1. d. 3. c. 3.* Si ratio formalis visûs est visibilitas, & ratio formalis scientiæ est scibilitas objecti, sequitur scientiam per seipsam, & visum per seipsum definiri, qui est circulus vitiosus; quid enim aliud est visibile, quàm quod visu cerni potest? ergo visus hoc modo definietur: visus est potentia circa objectum quod visu percipi potest; quæ definitio

nitio eſt planè vitioſa, quia viſus per viſum definitur, & obſcurum per æquè obſcurum: qui enim neſcit quid ſit viſus, neſcit quid ſit viſibile, & qui neſcit quid ſit ſcientia, neſcit quid ſit ſcibile; & in Mathematicis qui neſcit quid ſit angulum reflectere, neſcit etiam quid ſit reflexibilitas anguli; & ideo Ariſtoteles *5. Metaph.* expreſſè negat, ſcientiam per ſcibile, viſum per viſibile definiri debere: & S. Th. *1. p. q. 25. a. 3.* dicit, eſſe manifeſtam circulationem, ſiquis dicat: Deum ideo omnipotentem eſſe, quia poteſt omnia poſſibilia: Sicut ergo Potentia definiri non poteſt per poſſibile, ita nec ſcientia per ſcibile; ergo malè dicitur formalem rationem ſcientiæ eſſe objecti ſcibilitatem.

℞. Aliud eſſe, rei eſſentiam quærere, aliud quæſitam & inventam explicare: cùm diximus ſpecificativum viſûs eſſe viſibile, & ſpecificativum ſcientiæ eſſe ſcibile per certa media, certáſque demonſtrationes, verum diximus, & ipſam naturam rationis ſub Qua determinavimus: ſi autem explicari oporteat, quid ſit illa viſibilitas, aut ſcibilitas, dicimus non eſſe denominationem extrinſecam ab ipſo actu videndi, aut ſciendi; ſed denominationem intrinſecam, & objecto eſſentialem, in eo fundatam, quòd color natus ſit hoc, & non alio modo, per immiſſionem videlicet ſpecierum, ac lucis affuſionem oculum movere. Eodem modo, ſi quæras; quodnam ſit objectum Metaphyſicæ? Reſpondebimus, Entis ſcibilitatem ſub abſtractione omnis prorſus materiæ, ex qua proprium lumen & proportio ad Metaphyſicam, & non aliam ſcientiam reſultat. Non ergo viſum per viſibile, aut ſcientiam per ſcibile utcumque definimus, ſed per utriuſque proportionem, & connaturalitatem ad potentiam, & ſcientiam, quod non eſt circulum committere, ſed potiùs rem, ut eſt, explicare; quid enim mirum, unum ſine alio intelligi non poſſe, cùm unum ſine alio eſſe non poſſit? Si circulus hìc aliquis eſt, naturæ, non doctrinæ eſt, & priùs corrigi naturam, quàm doctrinam oportet. Viſibilitas ergo coloris eſt habitudo & commenſuratio coloris, per quam aptus redditur ipſum actum viſionis terminare. Idem proportionaliter dicas de ſcibilitate, & hanc habitudinem & commenſurationem ſpecificam vocamus *rationem formalem ſub Qua.*

VIII. *Quæritur sextò.* Quinam sit præcipuus effectus rationis formalis *sub qua* ?

Resp. Præcipuus effectus *rationis formalis sub Qua* est, cognitionem immediatam & potentias, ac habitus scientificos specificare. Hæc est communis DD. eámque docet Aristoteles *2. de An. text. 33.* S. Thom. sæpè *1. p. q. 1. a. 3.* & *1. 2. q. 54. a. 2. ad 2.* & *Opusc. 70. q. 5. a. 1.* & *2. 2. q. 1. a. 1.* & *1. poster. lect. 41.*

Nota ex Cajet. *1. p. q. 77. a. 3.* aliqua esse, quorum differentia specificativa est omnino intrinseca, & sine ulla dependentia, aut respectu ad aliquod extrinsecum, sicut v. g. homo specificatur ab anima rationali. Aliqua verò sunt, quorum totum esse ad aliud est, & consequenter totam suam specificationem ab extrinseco termino accipiunt: talia sunt relativa prædicamentalia. Alia mediæ conditionis sunt, quæ licet absolutam quidditatem, & essentiam habeant, nec consistant in mero respectu & relatione ad aliud, in sui tamen specificatione ab aliquo extrinseco pendent, & circa illud aliquid faciendo, aut recipiendo versantur, & tales sunt omnes potentiæ, actus & habitus, quæ ab objectis suis tamquam formis extrinsecis specificantur; forma enim, vel potiùs differentia intrinsecè actuum & habituum specificativa est illa ipsa relatio, & ordinabilitas actûs ad suum objectum, quæ ordinabilitas est intrinseca, & identificata actui, habitui & potentiæ, cùm sit istorum ultima differentia.

Ratio Conclusionis est 1. Ad actum visionis (de hoc enim tanquam notissimo loquimur, idémque proportionaliter de omnibus alijs cognitionibus dici potest) duo principia concurrunt, Potentia visiva, & objectum. A potentia visio habet, quòd sit actus vitalis, sensitivus, immanens, &c. quæ omnia sunt prædicata generica, & communia; ab objecto verò habet, quòd sit expressio & imago objecti colorati, albi, nigri, &c. quæ sunt prædicata specifica, & soli visioni competentia, & à solo objecto, non à potentia visiva derivantur: hæc enim est indifferens ad album, vel nigrum, ad coloratum, vel lucidum: nec visio est imago potentiæ, sed objecti: cùm ergo objectum sit à quo derivantur prædicata specificativa & distinctiva actûs, meri-

meritò specificatio dicitur ab objectis esse : Sicut quamvis sol & arbor generent pomum, hoc tamen arbori non soli adscribitur, quia virtus specifica arboris universalem, & indifferentem solis influxum ad certum effectum determinat.

2. Specificatio est ultima entis actuatio, & perfectio, ultra quam alia, quæ essentialis sit, non datur ; ut in homine patet, cujus ultima essentialis differentia est rationalitas, ultra quam quidquid homini advenit, accidens est : at visio ultimam suam actuationem, perfectionem & distinctionem ab objecto habet ; objectum enim est terminus, in quo actus sistit, extra quem non porrigitur, & ante cujus attactum visio nondum est visio, hoc est, imago colorati, sed tantùm actus vitalis, & in potentia ad esse visionis.

3. Specificatio ab eo sumitur, quòd potentiam perficit, eam ad actum reducendo ; ut patet in forma respectu materiæ, & differentiâ respectu generis : sed objectum est, quod potentiam cessantem, & velut sterilem immissis speciebus fœcundat, ut actum pariat ; si enim colorem aut lucem oculo non objicias, nunquam in actum exibit, eritque instar speculi tersi, nudíque, faciem expectans quam referat.

IX. *Objicies* 1. Creaturæ sunt objectum scientiæ divinæ, & tamen eam non specificant (alioqui Deus à creatura tanquam à causa exemplari, objectiva, & perficiente penderet, quod fieri non potest) ergo non est de essentia objecti actum specificare, essentiæ enim etiam respectu Dei sunt immutabiles, sicut triangulus tres angulos habet, sive à Deo sive ab homine fiat, quia hoc ad ejus essentiam pertinet.

℞. Omnem creaturam esse Creatoris effectum non solùm in genere causæ efficientis, sed etiam finalis & exemplaris, quia propter Deum est, & quædam imitatio ejus divinæ pulchritudinis : cùm ergo effectus causam supponat, non potest eam specificare : objectum verò creatum non supponit actum, sed causat & determinat ad certam speciem, ut dictum est ; & ideo non est de essentia, ut causet ac specificet omnem actum, sed solum actum qui fuit in potentia, & qui non est causa objecti, quod in divinis non procedit.

Obji-

Objicies 2. Quod eſt, ſpecificari non poteſt ab eo, quod non eſt; ſed etiamſi nullus color aut lux eſſet, adhuc potentia viſiva exiſteret; quid enim implicat eam deſtructo omni colore conſervari? non ergo potentia ab objecto ſpecificatur.

℞. In potentia duo conſiderari, quòd ſit qualitas, & quòd ſit potentia ad aliquem actum. Ut qualitas eſt ens abſolutum, nec indiget ſpecificativo extrinſeco: Ut potentia non ordinatur ad actum qui eſt (actu enim exiſtente non eſt ampliùs ad eum potentia, quia eſt extra potentiam) ſed ſolùm ad actum qui eſſe poteſt: cùm ergo potentia ſit actûs non exiſtentis, ſed poſſibilis, mirum non eſt, ſpecificari ab actu poſſibili tantùm non verò exiſtente, imò maximè conſentaneum eſt, ſpecificativum potentiæ eſſe in potentia, non in actu. Ipſe verò actus cùm ſit extra potentiam, requirit etiam objectum extra potentiam & in actu. *Ad Majorem* ergo factæ objectionis dico, potentiam ſpecificari poſſe ab eo, quod non eſt, modò eſſe poſſit: actum verò ſpecificari non poſſe niſi ab eo quod actu eſt, & ita proportionem ſervari potentiæ ad objectum poſſibile, & actûs ad objectum actuale. Vide S. Th. *1. p. q. 77. a. 1. ad 1.*

Objicies 3. Objectum ut objectum concurrit ad actum in genere cauſæ effectivæ fœcundando potentiam per ſpecies à ſe immiſſas, & cum illa actum producendo; non ergo ſpecificat actum, quia ſpecificare pertinet ad cauſam formalem: non poteſt autem eadem cauſa eſſe forma & effectrix ſui effectûs, alioqui ſeipſam cauſaret; ut enim efficiens producit effectum, eiúſque ſpecificationem ac formam (nihil enim producitur niſi ſub certâ ſpecie & forma) ergo ut efficiens non poteſt eſſe forma: aut ſi eſt forma, hanc producendo, ſeipſam producit, quod eſt abſurdum; ergo objectum, ſaltem motivum, cùm ſit cauſa effectiva actus, non poteſt eſſe ejuſdem cauſa formalis, & ſpecificativa.

℞. Objectum duplici modo influere ad actum ſpecificandum, uno modo tanquam cauſam effectricem actûs, dando huic ultima, & ſpecifica prædicata, ut ſuprà explicatum eſt: & hic ſpecificandi modus ſeparari ab objecto poteſt; nam Angeli objecta

per

per ſpecies infuſas cognoſcunt, & ita cognitio Angelica non pendet effectivè ab objectis, ídque generale eſt in omni ſcientia infuſa, quæ ab objectis ſpecificatur, nec tamen cauſatur. Alius modus extrinſecè actum ſpecificandi, pertinens omnino ad eſſentiam objecti creati, eſt per modum formæ extrinſecæ & repræſentabilis, quâ ratione prototypon eſt cauſa ſpecificativa imaginis, hanc ſibi aſſimilando, non producendo. Non verò repugnat, aliquid ſimul eſſe cauſam effectricem, & exemplarem: cauſa enim exemplaris eſt tantùm forma extrinſeca actûs, & ita non ſequitur eam cum actu produci debere: ídque in Deo patet, qui eſt cauſa efficiens, & exemplaris omnium rerum. Ad Argumentum ergo in forma, nego repugnare eandem eſſe ſimul cauſam efficientem & formalem extrinſecam.

Si quæras, in quo conſiſtat illa motio & influxus ſpecificativus objecti?

Reſpondeo. In exemplando actum, & potentiam determinando, ut v.g. videat potiùs album, quàm nigrum, ſolem, quàm ſtellas, &c. de quo vide S.Th. *1.2.q.9.a.4.*

Objicies 4. Saltem objectum purè terminativum non ſpecificat actum: quando enim per imaginem Cæſaris cognoſco Cæſarem, aut per veſtigium leporis cognoſco leporem, hîc Cæſar & lepus non ſunt objecta motiva, cùm per ſuas ſpecies non cognoſcantur, tota verò objecti motio eſt per radiationem ſuarum ſpecierum; ſunt ergo objecta merè terminativa: terminus autem, ut terminus, non videtur ſpecificare, aliàs non eſſet purus terminus.

R. Etiam in objecto purè terminativo eſſe principia ſpecificantia cognitionem; cùm enim objectum determinet actum, ut hoc potiùs, quàm aliud repræſentet, eundémque actum perficiat, totum ſuum eſſe illi, non quidem realiter, ſed imitativè communicando, nihil ad veram ſpecificationem deeſt; nihil enim aliud eſt ſpecificare quàm perficere & actuare.

Objicies 5. Si actus ſpecificantur per objecta, ergo ubi objectum eſt ſubſtantia, etiam actus erit ſubſtantia; ubi objectum eſt materiale, etiam actus erit materialis, quod falſum eſt; nam cùm Intellectus materiam cognoſcit, hæc cognitio eſt accidens

ſpiritualc, cùm tamen objectum ſit ſubſtantia materialis; objectum ergo non ſpecificat actum, hoc eſt, non aſſimilat ſibi actum in prædicatis eſſentialibus; hoc enim eſt ſpecificare.

℞. Actum non quoad omnia ab objecto ſpecificari, ſed tantùm quoad illa, quæ dicunt relationem, & ordinabilitatem ad objecta; jam enim ſuprà monuimus, actus, potentias, habitus non eſſe entia merè relativa, nec merè abſoluta, ſed ex utroque mixta: cùm ergo prædicata *qualitatis*, *vitalitatis*, *ſpiritualitatis*, *accidentis*, non dicant habitudinem ad objecta, quoad hæc ab objectis non ſpecificantur, & ita non oportet actum eſſe ſubſtantiam, ſi objectum eſt ſubſtantia, &c. At verò cognitio ſecundùm ultimum, & ſpecificum gradum cognitionis, cùm ordinetur ad objectum, ſitque ejus imago, neceſſariò ut ſic ab objecto ſpecificatur, hoc eſt, omnia prædicata objecti, modo tamen elevatiori, & vitaliter transformativo, in ſe transfert; non ergo ſpecificatio deſumitur ab objecto in eſſe rei, ſed in eſſe cognoſcibili, quia ut ſic tantùm ad actum refertur: quemadmodum ferè ſigillum ceram ſpecificat, non quidem in eſſe rei, ſed in eſſe repræſentativo, impreſſâ videlicet formâ, ſed non relictâ materiâ: eodem modo objecta cognitiones ſpecificant formaliter, non materialiter. Ad Argumentum ergo reſpondendum eſt, non ſequi, ut ſi objectum ſpecificet actum, ſicut hic eſt accidens, etiam objectum ſit accidens, &c. prædicatum enim accidentis & ſimilia non ſpecificantur ab objectis, ſed tantùm prædicatum *cognitionis ut ſic*, hoc eſt, imaginis, & repræſentationis; nihil enim aliud eſt cognoſcere, quàm objectum repræſentari: & *Nota*, hanc ipſam cognitionem, & repræſentationem, licèt etiam tota ſit à potentia, tanquam cauſa efficiente, & prout reſpicit exiſtentiam, propriè tamen à ſolo objecto pendere quoad ſpecificationem, quia hæc cùm pertineat ad eſſentiam & definitionem, abſtrahit ab exiſtentia, quæ in nullius creaturæ definitione ponitur; & ideo quamvis cauſa efficiens det exiſtere, & finalis etiam agentem moveat ad aliquid producendum, ſicque exiſtentiam quoque reſpiciat, ſpecificatio tamen ab objecto proveniens ad eſſentiam potiùs, quàm ad exiſtentiam refertur.

Objicitur

Objicitur 6. Quod potentiam vel actum specificat, dat unitatem specificam, hæc enim consequitur speciem: sed objecta non dant unitatem specificam, cùm sæpe una potentia sit ad distinctissimos specie actus, & distinctissima objecta, ut patet in Voluntate, & in Intellectu; quomodo ergo dabunt unitatem specificam, quam non habent?

Rursus. Idem specie objectum distinctis specie actibus attingi potest; Deum enim esse, & credimus & scimus: colorem & videmus, & intelligimus, & appetimus; non ergo objectum specificat actus, nec enim plurium specierum potest esse unum specificans, aut una forma. Et *si dicas.* Dei existentiam v. g. scientiæ & fidei objectum esse, sed sub diverso lumine, & ratione formali, revelationis videlicet divinæ & discursûs humani; *contrà est*, quia jam actus & potentiæ non ab objectis specificantur, sed à diverso lumine & modo ea cognoscendi, qui non in objectis, sed intellectu est.

℞. Cùm distincta objecta in unam specie potentiam vel actum cadunt, semper id fieri sub unâ ratione formali objectiva; omnia enim objecta voluntatis conveniunt in ratione boni, & ut sic ab actibus voluntatis attinguntur; ratio ergo & appetibilitas boni est, quæ specificat voluntatem: & quamvis ratio boni sit generica in esse rei (aliud enim est bonum honoris, aliud voluptatis, aliud virtutis) in esse tamen appetibilis & commensurabilis cum voluntate est una species; eodem enim modo voluntatem movet, per cognitionem videlicet & impulsum voluntatis, eiúsque unionem cum re amata: quemadmodum malleus ferreus & aureus metallo differunt, non formâ aut modo operandi. *Nec mirum est*, potentiam, quæ virtualiter est multa, in multa etiam & distincta realiter objecta ferri, semper tamen sub eadem objecti commensuratione, & attingibilitate. Ipsi tamen actus, qui sunt minùs universales, quàm potentia, ex diverso modo attingendi objectum diverso etiam modo specificantur; alia est enim visio albi, alia nigri, quia distincta est repræsentatio, & hæc ipsa repræsentandi distinctio in objectum reducitur, quod est distincto modo repræsentabile; album disgregando, nigrum congregando, &c. Eodem modo

cùm Dei existentiam credimus & scimus, illud ipsum objectum, hoc est, existentia, distinctas habet terminabilitates, & proportiones, per quas distinctos actus specificat: ut enim existentia Dei connexionem necessariam cum creatis effectibus habet, sic à nobis scitur; ut verò subest revelationi, & cum hoc necessariò connectitur, creditur: *nec dubium est*, ex diverso hoc revelationis & humanæ rationis lumine diversam quoque in objecto proportionem & cognoscibilitatem oriri: objectum enim ut evidentiæ naturali subest, determinat & cogit intellectum, nec locum dissensui relinquit: ut verò subest revelationi, non determinat nec cogit, sed assensus liber est. Sicut ergo non solùm causa efficiens pro conjunctione ad diversas causas diversos effectus producit, sed etiam causa formalis v. g. anima pro diversitate organizationis, & dispositionis distinctos effectus formales tribuit, vegetativi tantùm, aut sensitivi, &c. ita objectum quoad varias suas formalitates manifestabile, prout distinctis luminibus afficitur, ita distincto modo & distinctas potentias specificat, ita semper verum est, specificationem actuum, & mediatè potentiarum, ab objectis esse, quia objectum aliter, & aliter manifestatum aliter etiam in actum influit, eúmque sibi assimilat. Quod etiam in objectis artium videre est, idem enim metallum, v. g. æs, ut in varias formas ductile pertinet ad statuariam, ut sonorum ad Campanariam, &c. & hæc varia in materia circa quam, seu objectis habitudo & dispositio, ut artibus, ita scientijs præsupponitur, quia nec scientiæ objecta, nec artes materiam faciunt, sed circa jam factam & præjacentem operantur.

Objicitur 7. Potentia visiva equi & hominis idem objectum materiale, & formale habent, colorem videlicet visibilem, ritéque illuminatum, & tamen specie differunt (cùm sint proprietates emanantes à formis specie distinctis) non ergo specificatio potentiarum est ab objectis.

℞. Potentias visivas equi & hominis, quamvis à diversis formis emanent, esse tamen proprietates ejusdem speciei, quia gradum sensitivum consequuntur, in quo homo, & equus conveniunt: cùm ergo visus non sit proprietas hominis, ut homo est,

est, non sequitur, ut si forma hominis à forma equi specie differt, etiam differat potentia visiva hominis à visiva equi. Nec accidentia, quæ formis distinctis insunt, continuò specie differunt; eadem enim est lactis & nivis albedo, eadem gravitas ferri & plumbi, quamvis formæ substantiales specie distinguantur: & in artificialibus eadem figura, & operatio ferrei & aurei mallei, quamvis metallo & substantiâ differant. Illud verum est, visum hominis propter conjunctionem cum forma perfectiore perfectiorem esse; cùm enim sit sensus intellectui, scientijs, ac artibus deserviens, oportuit ad plures differentias colorum quàm visum equi extendi: & sicut instrumentum tantò perfectiùs operatur, quantò perfectior est artifex, à quo movetur; sic potentiæ, quæ sunt instrumenta formæ substantialis, ex hujus perfectione, motúque, & ipsæ in operando perficiuntur.

X. *Quæritur septimò.* Quas objectum scientiæ conditiones requirat? *Resp.* Alias & alias esse acceptiones & divisiones objecti. Objectum enim alicujus scientiæ latè sumptum est, quidquid in aliqua scientia, vel arte pertractatur, sive jam sint proprietates, sive causæ, sive accidentia objecti. Sic objectum Medicinæ non solùm est corpus sanum, aut ipsa sanitas, sed etiam herbæ, medicinæ, signa, &c. Propriè tamen Objectum dicitur, cui adsunt certæ conditiones, quarum meminit Aristoteles, & in quas Doctores conveniunt. Conditiones objecti pro scientijs speculativis hæ sunt.

1. Ut sit ens necessarium; nam contingentia certitudinem non habent, & ideo non cadunt sub scientiam, quæ certa est, sed sub opinionem, quæ dubia est.

2. De Objecto, antequam sciri aliquid & demonstrari possit, præcognosci oportet tum quid nominis, tum quid rei, saltem confusè (si enim nescias quid sit phœnix, quomodo de illo potiùs, quàm aquila probabis 500. annos vivere?) tum etiam quòd esse possit, non autem quòd actu sit; impossibilium enim sicut non est veritas, ità nec est scientia: existentia verò non est objecto necessaria, cùm etiam de non existentibus, v. g. de rosa in hyeme, detur scientia; accidentia tamen quinti prædicabilis existentiam requirunt, quia inhærere subjecto non possunt nisi existenti,

 stenti,

ſtenti, & de Homine non exiſtente dici non poteſt: *homo eſt albus*: bene tamen; homo eſt riſibilis.

3. Debent proprietates aliquæ ſubjecto, & principia, ſeu cauſæ proprietatum ineſſe; proprietates quæ de ſubjecto demonſtrentur: cauſæ ſeu rationes quibus demonſtrentur, cùm enim ſcire ſit aliquid per cauſam cognoſcere, ſi nec proprietates, quæ cognoſcantur, nec cauſæ, aut principia, quibus cognoſcantur, adſint, perijt ſcientia: objectum ſcientiæ propriè non ſcitur ſaltem à priori, ſed præſupponitur, cùm ſit primum principium: à poſteriori poteſt per effectus magis explicatè, etiam quoad prædicata eſſentialia, demonſtrari, v. g. objectum Phyſicæ eſt corpus mobile, & conſequenter etiam cœlum, cujus eſſentiale prædicatum eſt eſſe corpus ſuperelementare, & hoc ipſum demonſtratur, quia non conſtat qualitatibus miſcibilibus. Sic de materia demonſtramus eſſe puram potentiam, Animam eſſe actum corporis organici, &c.

4. Unitas quoque ad objectum pertinet, ſaltem analogica, & quæ unam definitionem admittat.

5. *Denique*, ut quidquid ſcientia conſiderat, aliquo modo ad objectum pertineat vel ut pars, vel ut cauſa, proprietas, accidens. Hæ ſunt conditiones objecti ſcientiæ ſpeculativæ. Aliæ ſunt objecti ſcientiæ practicæ & operatricis: nam

1. Hujus non tam objectum quàm finis eſt, & ita propriè loquendo Medicinæ finis eſt ſanitas, non objectum; objectum enim ſcientiæ præſupponitur, finis verò producitur, ut patet in ſanitate: cùm ergo ſcientia practica non tam ſpectet, quàm faciat, finem potiùs quàm objectum habet.

2. Præter finem habent ſcientiæ operatrices ſubjectum operationis, ſive *in quo*, eſtque illud cui finem inducunt, v. g. ſubjectum operationis, & *in quo* Scientiæ moralis eſt voluntas, aut actiones humanæ, quibus moralem rectitudinem Ethica inducit. Corpus eſt ſubjectum Medicinæ, quia in illo operatur, & ſanitatem producit: ferrum eſt ſubjectum artis fabrilis, quia illi forma artificialis imprimitur, & quamvis etiam objectum ſcientiæ contemplativæ ſubjectum appellari ſoleat, ad diſtinctionem tamen

men ſcientiæ practicæ ſubjectum Demonſtrarionis, ſive *de quo* dici debet, quia de illo proprietates demonſtrantur.

3. Artium, aut ſcientiarum practicarum aliquæ tantùm operantur, aliquæ opus poſt ſe relinquunt: in utriſque duplex eſt finis, alius intrinſecus, alius extrinſecus: ille eſt operatio aut opus ab arte, vel ſcientia immediatè productum; extrinſecus eſt uſus illius operationis, & hic uſus ad artem non ſpectat. v.g. Scientia nautica docet navigare, nec aliud opus poſt ſe relinquit; uti verò navigatione ad quæſtum, vel bellum, vel pietatem, non eſt Nauticæ, ſed aliarum virtutum, aut ſcientiarum opus. Finis Ædificatoriæ eſt domum extruere habitationi aptam, ſed benè, aut malè uti domo, ad ædificatoriam non ſpectat. Medicinæ finis eſt ſanitas, quæ cùm ex ſe ſit appetibilis, parum Medici intereſt, quomodo illâ utaris.

4. Scientiæ ſpeculativæ de ſubjecto jam præcognito demonſtrant proprietates, & practicæ ex proprietatibus rem ipſam & finem, & qui poſſit in opus deduci, oſtendunt: v. g. finis partialis Ethicæ eſt hominem magnanimum facere; priùs verò quàm Ethica formam hujus virtutis in voluntatem inducat, ejus proprietates conſiderat, oſtendítque, magnanmi eſſe opera magno honore digna perficere, appetitum honorum, & ex iſtis natum gaudium moderari; in utraque fortuna animi æqualitatem ſervare, non proſperis attolli, non adverſis frangi, acceptum beneficium majore compenſare, neminem aut vix quemquam rogare: libenter alijs operam, & ſervitia locare: cum magnis Principibus, viriſque opulentis magnum ſe ferre, non illis adulari, non indignè ſecum agi permittere: cum mediocribus & infimis modeſtum & indulgentem eſſe. Vide Ariſtot. *4. Eth. lib. 3.* S. Th. in *2. 2. q. 129.* & in *4. Eth. cit.* Hi ſunt mores magnanimi, ex quorum explicatione, & cognitione Ethicus formam, & definitionem magnanimitatis deducit, eámque voluntati amabilem reddit, nec enim niſi volenti, & amanti perſuaderi poteſt. Eodem modo nullus aptè navim fabricaverit, qui neſcit, accidentia & proprietates navis, quibus ad navigandum apta efficitur. *Ratio eſt,* quia ſcientia practica, ut diximus, ad aliquid faciendum dirigit, quod humanis uſibus ſit accommodatum, ad hunc autem

uſum

usum unicè accidentia & proprietates serviunt, sine quibus substantia nec operatur nec utilis est: prior ergo in practicis accidentium & proprietatum consideratio est, quia prior est, & præcipuus usus: in speculativis verò primum sibi locum substantia & essentia vendicant, quia hæc nobilior & radix operationum; & in speculativis non usum rei, sed veritatem respicimus, cujus cognitione Intellectus maximè gaudet, & perficitur.

5. Aliud insuper discrimen est, quòd scientia practica non multùm laboret in cognitione subjecti, eiúsque proprietatum, sed contenta sit imperfectâ subjecti cognitione: hinc faber multa de ferri natura & proprietatibus ignorat, quæ videlicet operi non conducunt: & Medicus oculum curaturus, aliqua quidem de illius natura, & fabrica, sed non omnia cognoscit; quid enim Medici interest scire, videátne oculus per intus susceptionm, an per extra emissionem, quod volebat Plato?



§. III.


De objecto Logicæ.

Summaria.


1. *Voces non sunt objectum materiale Logicæ.*
2. *Diluuntur objectiones.*
3. *Nec res, seu conceptus objectivi sunt objectum materiale Logicæ.*
4. *Rationes adversariorum refelluntur.*
5. *Conceptus formales, ut tres mentis operationes includunt, sunt objectum materiale Logicæ.*
6. *Solvuntur objectiones.*
7. *Objectum attributionis Logicæ est demonstratio.*

8. *Satis-*

8. *Satisfit objectionibus.*
9. *Objectum Logicæ non est ens rationis, imò non datur.*
10. *Respondetur ad objecta.*
11. *Tres mentis operationes, quà dirigibiles, sunt objectum formale Logicæ.*



I.



Uæritur primò. Utrum voces sint objectum materiale Logicæ? *Resp. Negativè.*

Ratio est 1. Quia objectum materiale scientiæ practicæ est illud, cui Scientia operando formam inducit, formale, vel potiùs finis, est ipsa forma inducta: sed Logica non versatur circa prolationem, & formationem vocum, id enim ad Grammaticam pertinet; nec docet bene loqui, sed bene intelligere, &c.

2. Licèt Logica de vocibus, & terminis, non tantùm internis, sed etiam externis, & sonantibus agat; id solùm est, ut alios doceat, instruat, convincatque, qui tamen non est finis intrinsecus Logicæ, sed extrinsecus, & communis alijs scientijs, & artibus, quæ certis vocibus utuntur; cùm enim scientiæ nobis non innascantur, sed discantur, nec ad intellectum, nisi per sensum transeant, auditum præsertim, visumque, voces sensibiles non sunt objectum aut finis scientiæ, nec sui gratiâ considerantur, sed ut instrumenta traducendæ in alios veritatis, & ità ad usum potiùs, quàm finem scientiæ spectant.

3. Scientia practica tantò est perfectior, & opus ab ea confectum tantò absolutius, quantò suum finem aut objectum perfectiùs consequitur; ergo si objectum Logicæ sunt voces, qui meliùs, & doctiùs de rebus Logicis loquitur, melior Logicus erit, quod falsum est; non enim qui optimè de rebus nauticis loquitur, optimus nauta est, & qui optimè de medicinis, de bel-

F lo,

lo, de pictura loquitur, non continuò optimè curat, optimè pugnat, optimè pingit; non ergo voces, sed opus est objectum Logicæ.

4. Dialecticæ finis est generare scientiam, & ex notis ignota inferre per bonum discursum; hoc autem non vocibus, sed internis conceptibus competit, quia tamen conceptus in animo & intellectu latentes in lucem & aures aliorum producere non possumus, vocibus tanquam vehiculis & signis utimur: Sicut ergo nemo dixerit, exemplar quo alijs futurum aut jam factum ædificium ostendimus, esse objectum aut materiam Architecti, ita, &c.

5. *Denique* voces hoc habent, quòd sint qualitas, quòd articulentur, & quòd aliquid significent: Logica verò eas non considerat, nec ut qualitas sunt, hoc enim Metaphysicus & Physicus agunt; nec ut articulantur, ex eadem ratione; nec etiam ut significant, hoc enim Grammaticæ est; & quamvis instrumentis sciendi à se factis certa nomina & significationes imponat, v.g. Syllogismi, Definitionis, &c. hanc ipsam significationem tamen non per se intendit, nec illis inquiescit, sed ut alios doceat, qui est finis Logicæ extrinsecus, alioquin omnium scientiarum artiúmque objecta voces essent, cùm nulla sit, quæ proprijs vocabulis non utatur.

II. *Objicitur 1.* Sicut Musica est ars bene cantandi, ità Logica est ars bene disputandi, ergo sicut Musicæ, ita Logicæ objectum sunt voces; tam enim sine vocibus disputari non potest, quàm non potest sine vocibus cantari.

℞. Disputationem non esse necessariam, ut quis sciat, sed ut alterum scire faciat, & ita voces non sunt finis, aut materia circa quam Logica versatur, sed tantùm media ad scientiam, non utcúnque, sed discendo acquirendam. Aliud est in Musica, cujus unicus & totus finis est, sonis proportionem, & numerum inducere.

Objicitur 2. Sicut se habet prudentia, aut alia virtus moralis quoad directionem actuum Intellectûs, & voluntatis, eos rectificando, ita se habet Logica ad tres mentis operationes, in quas rectitudinem inducit: sed illarum virtutum materia sunt etiam actus externi, quatenus derivantur ab internis, adeò ut

vir

virtuosi, vel vitiosi dicantur, verámque peccati rationem habere possint in Confessione præter actum internum explicandi; ergo etiam voces externæ, prout respondent internis conceptibus, artificium & directionem Logicam participare possunt, sicque ad materiam Logicæ pertinere. Sicut etiam Astrologia, quamvis circa cognitionem cœli versetur, in tabulis tamen, alijsque instrumentis Astrologicis etiam relucet, quæ à nullo, qui eam scientiam ignoret, dictari possunt.

℞. Concedi totum hoc posse, ut videlicet sicut lineæ, quas pulveri Archimedes inscribebat, à Mathematica dictabantur, & ducebantur, sicque effectus & signa quædam scientifica erant, ita usus vocum, quibus Logicus ad suos conceptus exprimendos utitur, ex Logicæ imperio, & directione sunt, & ita materia Logicæ extensivè dici possunt, quatenus in illis artificium ordóque internorum actuum relucet.

III. *Quæritur secundò.* An res sint objectum materiale Logicæ?

℞. Res sive conceptus objectivi nullo modo sunt objectum materiale Logicæ, v. g. præcipit Logica, ut homo per genus & differentiam hoc modo definiatur: *Homo est animal rationale,* dico Objectum Logicæ materiale non esse hominem, cui hæc definitio aptatur.

Ratio est 1. Ex dictis objectum materiale, seu potiùs subjectum operationis scientiæ practicæ illud dicitur, cui scientia vel ars formam suam imponit, adeò, ut tota scientiæ operatricis cura in eo sit, ut materiam formæ aptet, & formam materiæ, omnésque difficultates superet, quæ huic adaptationi obstare possunt: sed res ipsæ non sunt illud, cui formam suam v. g. syllogisticam Logica aptare laborat; ergo, &c. *Major* videtur certa; sic enim ferrum est materia artis fabrilis, marmor statuariæ, corpus Medicæ, colores Pictoriæ, soni Musices, &c. quia in illa formæ clavis, statuæ, sanitatis, imaginis, proportionis ab artibus inducuntur, & totus istarum artium, aut scientiarum labor est, ut materiam, v. g. corpus sanitati recipiendæ aptent. Quid enim aliud est materia, quàm, quæ indifferens est ad plures formas, quæ perficitur, quæ recipit, quæ de potentia in actum re-

ducitur ? qui omnes ſunt materiæ characteres. *Minor* æquè conſtat ; res enim ipſæ nullam formam Logicam recipiunt, nec ab iſta diriguntur, aut perficiuntur ; cùm enim Logica præcipit definitionem hominis ex genere, & differentia componi, aut riſibile per rationale demonſtrari, quid per talem definitionem homini, aut riſibilitati accedit, præter denominationem extrinſecam definiti, demonſtrati, &c. ? Si ergo rebus forma Logica non imponitur, ergo non ſunt materia circa quam Logica verſatur.

2. Logica eſt Scientia inſtrumentalis, quæ videlicet rebus omnibus ritè, & extra errorem cognoſcendis inſtrumenta parat ; ergo finis proximus Logicæ eſt ipſa fabricatio inſtrumentorum ; ipſa verò cognitio rerum non ad Logicam, ſed ad alias ſcientias pertinet, ſicut enſem ex chalybe fabricare ad fabrilem ſpectat, enſe uti ad militarem.

3. Cùm homo v. g. concipitur ut ſpecies eſt, multa de illo dici & conſiderari poſſunt.

Primò: Quòd ſit quædam natura quoad prædicata ſimilia pluribus individuis inexiſtens ; & hæc conſideratio eſt Metaphyſicæ, quæ naturas conſiderat ſub abſtractione à materia.

Secundò : Quòd hæc ipſa natura ſit apta cognoſci, ut pluribus individuis inexiſtens quoad ſimilia prædicata, & hoc iterum ad Metaphyſicam pertinet ; poſſe enim de pluribus affirmari (quod cognoſcendo & pronuntiando fit) ſequitur ad eſſe in pluribus, éſtque illius proprietas.

Tertiò : Quòd ſit terminus quidam in prædicatione aptus collocari poſt ſubjectum, & copulam, pertinens ad ſeriem, & prædicamentum ſubſtantiæ, capax perfectæ definitionis: Medium Demonſtrationis, & in prima Syllogiſtica figura ſemel ſubjicibile, ſemel verò prædicabile, &c. & hoc modo ſpecies ad Logicam pertinet: hæc verò ordinabilitas ſpeciei non convenit ſpeciei, ut res aliqua extra intellectum (nec enim ſubſtantia hominis propoſitioni aut prædicamento innecti poteſt) ſed ut cognitio aliqua eſt, ita v. g. ut conceptus individui præcedat cognitionem copulæ & prædicati ; & cognitio implicita hominis præcedat explicitam ac definitivam : & homo ponatur in prædicamento

ut

ut substantia quidem est, sed non quòd Logica ex suis principijs hoc cognoscat (id enim cognoscere ad Physicam pertinet) sed quia hoc aliunde supposito Logica hunc terminum in certum ordinem, & seriem prædicamentalem collocat, ut & ipsa consentaneas propositiones faciat, & alias etiam scientias facere doceat, hoc ferè modo: *Homo est substantia (ut Physica docet) ergo non potest definiri : quòd sit qualitas, quia hæc definitio non declararet essentiam hominis.* Ubi vides, hunc terminum *Homo* poni in prædicamento, & â Logica considerari, non ut substantia est, sed ut ordinabilis est ad definitionem, hoc est, ut cognitio implicita, per aliam & definitivam cognitionem explicabilis; tota ergo forma, & harmonia Logica non rebus sed conceptibus imponitur; non ergo res sunt objectum materiale ipsius Logicæ.

IV. *Objicitur* 1. Logica docet, *Genus prædicari de pluribus specie differentibus*; sed hoc verificatur de ipsa re, ipsum enim animal de homine, & bruto prædicatur, non verò hæc vox *genus* aut conceptus animalis; falsum enim est quòd homo, aut brutum sint conceptus animalis; ergo forma generica rebus aptatur, ergo objectum materiale Logicæ sunt res.

℞. Quòd Natura sicut *quoad esse in pluribus*, ita *quoad prædicari de pluribus* ad Metaphysicam pertineat : Logica ergo de Genere agit, solùm ut pertinet ad modum sciendi, hoc est, ut intrat definitionem, demonstrationem, divisionem, propositionem, quæ omnia non sunt res cognitæ, sed cognitiones, certo ordine dispositæ; ordo igitur est forma Logica, & hæc solis cognitionibus, non rebus inducitur: quid enim aliud est Syllogismus, quàm tres cognitiones in certum ordinem redactæ? Sicut nec angulus aliud est, quàm tres lineæ certo situ donatæ.

Objicitur 2. Totum artificium Logicum in eo consistit, ut cognitiones conformentur cum rebus, tanquam cum suis specificativis, regulis, & mensuris : bona enim definitio est, quæ rei naturam explicat: bona propositio, quæ objecto respondet; uno verbo, Logica intendit verum à falso discernere, ergo verum est objectum Logicæ; verum autem rebus inest, ergo res sunt materia Logicæ.

℞. Artificium Logicæ in eo esse, ut tradat & fabricet modos sciendi, ex quorum applicatione aliæ scientiæ in cognitionem veritatis circa proprium objectum deveniant; applicatio ergo instrumentorum, & cognitio veritatis ad alias scientias, non ad Logicam pertinet, hæc enim cognitiones tantùm ordinat, quæ ordinatio est modus sciendi; an verò cognitio in particulari sit vera, objectóque respondeat, Logica non curat: sicut enim artis Medicæ præceptum est, spiritum animalem puluere margaritarum aquæ infuso excitandum esse; sed an margaritæ sint Orientales, veræque, non ad Medicnm examinare, sed ad Gemmarium pertinet: Monetaria metallum, & pecuniam signat, sed non examinat metalli veritatem, id enim aurificis est: Theologia docet, Baptismum in aqua elementari conferendum esse, sed an rosacea sit substantialiter elementaris, non Theologus, sed Philosophus explorat. Eodem modo Logica Demonstrationem ex primis, veris, immediatis, causisque conclusivis confici jubet; Logico tamen curæ non est, an sequens Demonstratio hujusmodi præmissis constet: *Latera quæ maximè distant, difficilius coeunt: sed vulneris rotundi & circularis latera maximè inter se distant; ergo difficilius coeunt & curantur:* harum, inquam, propositionum veritatem non Logicus, sed Geometra & Medicus examinant. Ad Argumentum ergo respondendum est, Logicæ finem intrinsecum & immediatum esse, instrumenta sciendi conficere, hoc est, per certas regulas, & præcepta cognitiones in ordinem redigere, ut alijs scientijs usui esse possint ad veritatem consequendam; ut verò cognitiones in particulari objecto conformentur, verúmque attingant, finis tantùm extrinsecus & mediatus Logicæ est, immediatè verò ad singulas scientias pertinet. Illud etiam concedi potest, Logicam secundariò & mediatè de rebus agere. Sicut enim pictor, qui agit de Cæsaris imagine, agit etiam de ipso Cæsare, ut picto, tanquam objecto & specificativo imaginis, ita tamen ut pictoris non sit quærere de Cæsaris statura, colore, gestu, oculísque, posśitque totam artem ostendere etiam imagine à prototypo abludente, tunc enim non erit vera objecti imago, sed tamen vera pictura, nec ab alio qui artem nesciat imitabilis; sic Logica, dum agit do hominis definitione, agit etiam me-

mediatè de homine : ſed ſi in hujus cognitione fallatur, & definitio genere quidem, ac differentiâ, ſed falſis conſtet, definitio erit Logicè vera, hoc eſt, principijs Logicæ reſpondens, non tamen phyſicè, quia veram naturam hominis non explicat: ſed hunc errorem corrigere Phyſici, aut Metaphyſici munus erit, non Logici. Illud verum eſt, tantò perfectiorem Logicum fore, quantò pluribus ſcientijs inſtructum, uno lumine aliud intendente.

Objicitur 3. Multa ſunt præcepta Logicæ, quæ ſolis rebus & conceptibus objectivis conveniunt; ergo Logicæ ocbjectum materiale ſunt etiam res. *Antecedens* probatur: nam illa regula, quòd definitio convertatur cum definito, de rebus, non conceptibus, verificatur; verum enim eſt, *quòd homo ſit idem quod animal rationale*, non tamen verum eſt, quòd conceptus ſimplex & implicitus hominis ſit idem quod conceptus complexus, & explicitus animalis ratione prædıti; tam enim hi duo conceptus differunt, quàm oratio explicans, & explicata.

℞. Cùm dicitur, definitionem cum definito converti, hunc ſenſum eſſe, definitionem ita componi debere, ut tantum explicitè dicat, quantum dicit definitum, & ita conceptus definiti quoad rem ipſam non differat à conceptu definitionis, niſi quoad magis, minúſque clarum, & ita ea regula non tantùm rebus, ſed etiam conceptibus competit. Quemadmodum enim vox *Homo* non plus dicit quàm voces *Animal rationale*, ita non plus conceptus unius, quàm alterius, quamvis unus ab alio in modo repræſentandi differat; unus enim magis, alter minùs clarè repræſentat.

Objicitur 4. Logica de rebus ferè omnibus agit, ut patet ex libris Prædicamentorum, quibus omnes ſubſtantiæ, & accidentia creata continentur, ergo res pro objecto habet.

℞. Aliud eſſe res, quæ Prædicamentis inſeruntur, aliud ipſam collocationem: res ad Logicum non ſpectant, nec enim is de homine demonſtrat, quòd ſit ſenſitivus, quòd ſubſtantia per ſe exiſtat, &c. Collocatio ſola Logicæ effectus eſt, nulla enim alia ſcientia, præter Logicam, docet, *ponenda prius eſſe magis, tum minùs univerſalia: differentias in linea transverſa, ſpecies & genera in recta*

ita ponendas: *ſubſtantias incompletas Prædicamento excludi, &c.* quæ collocatio prædicamentalis Logicæ ſervit, *tum*, ut res concipiat quales ſunt: *tum* ut genera & differentias pro definitionibus, diviſionibus, & argumentationibus reperiat: non ergo ipſa eſt, quæ hominem ſubſtantiam completam eſſe doceat, ſed hoc ex Phyſica ſupponit, & ſuppoſito ordinem addit. Sicut Architectus, non ipſe lapides facit, aut fodit, ſed jam à natura factis, & à Latomis inciſis, aut effoſſis ordinem adjungit, & domum ædificat: & hic ſolus ordo ad Architectonicam pertinet. Sicut ergo lapis non adæquatè & quoad totam ſuam naturam eſt materia Architectonicæ, non ut foſſilis, non ut ſculptilis, non ut miſſilis, ſed tantùm ut ordinabilis; ita res non quovis modo in Prædicamento ponuntur, ſed ut conceptæ, hoc eſt, ut inducunt rationem generis & differentiæ, ſubjecti, prædicati, & ità licèt indirectè, & in obliquo à Logica conſiderentur, hoc non ſufficit, ut dicantur objectum illius; alioqui res omnes dici deberent objectum Pictoriæ, quia omnes coloribus effingit: pes hominis, & ungula equi objectum ſutoriæ, & Ferrariæ, quia pedem, & ungulam corio ferróque calceant, & tamen nemo hoc dicit, & ſi dicat, meritò ridebitur.

V. *Quæritur tertiò.* Utrum conceptus formales ſint objectum materiale Logicæ?

℟. Modus differendi formalis, ſeu conceptus formales, ut tres mentis operationes includunt, ſunt objectum materiale Logicæ, non quidem ſecundùm totam ſuam latitudinem, ſed ut dirigibiles per regulas Logicæ. Sicut enim forma non inducitur in quamcúnque materiam, ſed ſolùm in diſpoſitam; nec ſtatuaria in marmore ſecundùm totam huius capacitatem laborat, ſed tantùm ut ſculptili; ita objectum & materia operationis Logicæ ſunt conceptus formales, quatenus dirigibiles, quæ dirigibilitas ſeu capacitas directionis eſt veluti materia ſecunda, & ultima diſpoſitio recipiendæ formæ Logicæ.

Ratio Concluſionis eſt 1. Logica ex omnium ſententia verſatur circa modos differendi; ſed non circa modum differendi vocalem, nec realem, ergo formalem, nec enim alius ſupereſt.

2. Omnia

2. Omnia præcepta Logicæ sunt de propositionibus, definitionibus, illationibus ritè formandis, &c. quæ omnia sunt conceptus formales; ut enim definitio vocalis vocibus, ita mentalis conceptibus constat.

3. Conceptus soli formales sunt capaces erroris, obscuritatis, directionis, ordinis, &c. ergo soli sunt à Logica perfectibiles; res enim ipsæ nec obscuræ sunt, nec falsæ, nec à Logica fiunt. Sicut ergo propositiones vocales sunt materia syllogismi v. g. quia formæ, ordini, & præceptis syllogisticis subsunt, ita propositiones, & conceptus mentales.

4. Materia, circa quam Logica versatur, sunt instrumenta sciendi: instrumenta verò non sunt in rebus, quæ sciuntur, aut discuntur, sed in ijs, qui sciunt, & discunt; nec enim serra est in trunco, qui scinditur, aut penicillus in imagine, quæ pingitur, sed in manibus artificis.

5. Sicut Logica de definitione agit, ita de alijs sciendi instrumentis, eodem enim modo circa omnia occupatur: sed sola definitio formalis, non objectiva, ad Logicam pertinet; est enim definitio oratio explicans naturam rei: atqui in rebus & extra intellectum est quidem res definita, v. g. homo, non tamen oratio aut explicatio hominis.

6. *Denique*. Omnes artes & scientiæ operatrices, quarum opus non est aliquid facere, sed rebus jam factis ordinem aliquem dare, pro suo materiali objecto habent res illas, quibus ordinem imponunt: architectura v. g. lapides, Musica voces, Arithmetica numeros, &c. sed Logicæ officium unicum est, ut conceptibus formalibus ordinem tribuat veritati indagandæ aptum. Sicut enim in artium instrumentis figura præcipuum est, quod operi faciendo deservit, ita in instrumentis Logicis ordo, quem conceptus observant, aptissimus est cognoscendæ veritati: & sicut Syllogismus vocalis, potissimum sciendi instrumentum, nihil aliud est, quàm propositiones vocales in certum ordinem digestæ, ita & Syllogismus mentalis; conceptus ergo, & cognitiones, quæ hunc ordinem recipiunt, erunt materia *circa quam* Logicæ.

VI. *Objicitur* 1. In omnibus artibus materia præjacet & præſupponitur operi, éſtque indifferens ad unam, vel aliam formam artificialem recipiendam: ſed conceptus formales non præſupponuntur directioni Logicæ, nec ſunt indifferentes, ut ſint recti, an ſecùs; ſemel enim recti, ſemper recti; ſemel pravi, ſemper pravi: nec pravus corrigi aliter poteſt, quàm ſi relinquatur, & Intellectus pravo rectum ſupponat. Id patet in Syllogiſmo vocali; vox enim *equus* ſemel prolata non eſt indifferens, ut hominem aut equum ſignificet, nec corrigi poteſt niſi aliâ voce, quæ hominem ſignificet prolatâ. Sic etiam linea non eſt indifferens, ut ſit curva, aut recta, alterutrum enim neceſſariò eſt, & ſemel curva nunquam in rectam evadet, niſi deleatur, & recta ſuccedat. Si ergo conceptus formales indifferentes non ſunt, ut recti ſint, aut non recti, conformes, aut difformes, ordinati, aut inordinati, &c. ergo nec ſunt materia Logica; materia ſiquidem neceſſariò dicit indifferentiam.

℞. Conceptum formalem, v. g. definitionis, duplici modo eſſe indifferentem, & cùm eſt, & antequam ſit. Antequam ſit, quia poteſt naſci vitioſus, & contra regulas Logicæ; poſſet enim quis hominem definire: *quòd ſit animal rationale doctum: aut animal implume, bipes, &c.* Poſtquam eſt, quia conceptus formalis rectus, ut conceptus formalis, poterat pravus eſſe, & pravus, ex parte generis, poterat rectus eſſe; Sicut homo ex parte generis poteſt eſſe irrationalis, & rationalis: hæc indifferentia ſufficit, ut actus dicatur à Logica dirigibilis, & indifferens, ut rectus, aut pravus fiat, nam & linea eſt materia ſcientiæ Geometricæ, & angulus Mathematicæ, & ſonus Muſicæ, & tamen non aliam habent indifferentiam, ut bene maléque fiant, quàm modò dictam; ídque omnibus ſcientijs commune eſt, quæ tantùm ordinant. Aliqui tamen propter factum Argumentum dicunt, non tam conceptus eſſe materiam Logicæ, quàm ipſum intellectum, aut animam, & hanc aut illum, non operationes, aut conceptus dirigi. Sed parum intereſt, utrum dicas. Illud obſerva, magnum diſcrimen eſſe, inter artes activas, quæ nullum opus poſt ſe relinquunt, ſed tantùm operantur, & factivas, quæ & operantur & opus poſt ſe relinquunt: in illis idem

dem est esse, & rectum esse, nec potest error mutari, nisi mutato opere; si enim contra ventos, & malè navigas, non potest hic error & navigatio corrigi, nisi mutato cursu, & navigatione repetitâ. Sic in Logica, qui hominem malè concepit, maléque definivit, non potest conceptum, & definitionem, nisi alio conceptu, & definitione corrigere. Artes verò factivæ, quæ opus post se relinquunt, v.g. Pictoria, possunt errorem operis juvare, non solùm opus destruendo, sed multò faciliùs, alios tantùm colores, & lineamenta inducendo, reliquâ imagine integrâ.

Objicitur 2. Saltem prima mentis operatio, sive apprehensio simplex non potest esse materia Logicæ: *tum* quia non est modus sciendi; qui enim v. g. hanc propositionem apprehendit: *Astra sunt paria*: vel *Diameter quadrati excedit costas quadrati*; non propterea scit astra esse paria, aut diametrum costis longiorem esse: *tum* quia simplex apprehensio semper est recta, & vera, nunquam falsa; si enim volens, aut putans se apprehendere leporem, apprehendat vulpem, hæc apprehensio est vera repræsentatio vulpis: sicut, qui putat se videre cœlum stare, aut ripas, cùm præternavigat, moveri, verè apprehendit cœlum moveri, & ripas stare. Si ergo simplex apprehensio est semper & necessariò recta, non indigebit Logicâ, aut regulis, quibus recta fiat.

℞. Simplicem apprehensionem variè à Logica juvari, v.g. per regulas definitionis, per seriem prædicamentalem, &c. quamvis enim apprehensio non sit sciens, nec apprehendens sciat, est tamen in dispositione, & motu ad scientiam, & ipsa apprehensio est pars scientiæ; nemo enim scit cœlum moveri, nisi cœlum, & motum apprehendat. Sicut nemo videt draconem alatum, nisi draconem videat, & alas.

Rursus. Licèt apprehensio semper sit vera, hoc est, objecto, quod refert, conformis, potest tamen esse imperfecta, & quoad modum apprehendendi, si non falsa, saltem fallax: imperfecta quidem, quia objectum tam remissè, & debiliter concipere potest, ut judicium facilè corrumpat, & intellectum ad falsum inducat: Sicut quia oculus valde debiliter,

remissèque stellam videt, facilè intellectus, nisi à Scientia Astrologica juvetur, inducitur, ut affirmet, stellas esse parvas, & terrâ minores.

Rursus. Apprehensio est vera, sed tamen fallax, quando objectum quidem aliquod verè concipit, eo tamen tempore, & loco, quo aliud objectum concipere deberet, quo fit, ut intellectus inducatur ad aliquod falsum affirmandum: sicut Pictor, si, cùm deberet Julium pingere, pingat Pompeium, imago erit vera Pompeij imago, non tamen sine errore circa modum, & circumstantias, nam & Pictor unum pro alio pinxit, & spectatores unum pro alio vident. Cùm ergo in apprehensionem imperfectio, ac deceptio cadat, Logici munus est, eam dirigere, quod maximè per regulas definitionis, prædicamentorum, & prædicabilium contingit, quibus Intellectus instruitur, ne substantiam pro accidente, genus pro specie apprehendat, &c. Et *denique* cùm definitio pertineat ad apprehensionem, quâ v. g. animal rationale concipitur, sicut definitio bona, aut mala esse potest, & ideo regulis, ac directione indiget, ita & apprehensio. Quis enim neget mille modis errari, circa definitionem hominis, aut alterius rei posse, ut si dicas: *homo est animal sensitivum*: *homo est substantia vitalis* : *homo est imago Dei*? Quis verò me docet, relictis omnibus hisce definitionibus, veram seligere, præter Logicam? Quamvis verò tota hæc propositio, *homo est animal rationale*, ad judicium pertineat, suppono ex infra dicendis, solum illud, *animal rationale*, ad definitionem pertinere, & ita definitionem in apprehensione consistere.

VII. *Quæritur quartò.* Quodnam sit objectum Attributionis Logicæ?

Resp. Objectum Attributionis Logicæ, ad cujus perfectam cognitionem omnia Logicæ instrumenta, & regulæ referuntur, est Demonstratio, seu Syllogismus ex necessarijs procedens.

Ratio est 1. Objectum Attributionis est illud, ad quod omnia, quæ Scientia aliqua considerat, referuntur: sed ad Syllogismum Demonstrativum omnia Logicæ objecta partialia referuntur, termini & propositiones ut materia proxima: prædicamenta ut materia remota, sive res de quibus Demonstratio

con

confici debet: quinque prædicabilia, tanquam media, & loci communes Demonstrationum, aut saltem tanquam effectus demonstrabiles: & quamvis accidens commune, propriè loquendo, non demonstretur, cùm causas necessarias non habeat, est tamen sicut dispositio ad producendam essentiam, ità ad cognoscendam, & demonstrandam, & ita cùm dubitamus, an Pygmæus v. g. aut Siren marina, aut aliud monstrum sit homo, prius ostendimus illius omnes partes, & accidentia hominis convenire, & ex istis esse animal rationale, ac tunc demum hominem.

Rursus. Licèt accidens per causas necessarias probari, & demonstrari non possit, potest tamen per effectus necessariò connexos, v. g. *Malvaticum calefacit, ergo febrientibus nocet: aqua marina est crassior fluviatili, ergo faciliùs natatur.* Syllogismus ergo probabilis, cujus medium accidens est, revocatur ad demonstrativum tanquam dispositio ad formam, & effectus ad causam. Sicut enim accidentia nascuntur ex forma, v. g. radius à sole, ita & Syllogismus probabilis sequitur ex Demonstrativo.

Denique. Quòd divisio, & definitio sint loci, & quidem præcipui Domonstrationis, dubitari non potest: ergo sicut omnes lineæ circuli ad centrum referuntur, quod ipsum tamen est pars circuli, ita omnes partes, & instrumenta Logicæ ad Demonstrationem, licèt hæc ipsa sit pars Logicæ: & quamvis non omnia instrumenta Logicæ necessario eò referantur, sufficit referri posse; ordo enim qui in artibus est, non est necessarius, & naturalis, sed voluntarius, & ex hominum institutione, naturæ tamen conformis: quemadmodum uni Duci, qui pars exercitûs est, totum exercitum subesse voluntas, non necessitas est, ipsa tamen natura hunc ordinem suadet, si non exigit.

2. Logicæ objectum est modus sciendi; quidquid ergo considerat, ut modum sciendi considerat, alioquin extra objectum suum adæquatum vagabitur: sed sola Demomstatiò est modus propriè sciendi, ergo omnia in ordine ad hanc considerat. Definitio quidem est etiam modus rem aliquam cognoscendi, sed non sciendi, quia causam non explicat, cur aliquid sit: qui enim dicit v. g. *Argentum vivum est aqua sicca non madefaciens manum: an-*

gulus rectus est contactus linearum rectarum : non dicit quare argentum vivum manus non madefaciat : quare angulus rectus ex lineis rectis constet ?

3. Unum, & duo referuntur, aut saltem referri possunt ad tria, non è contrà; ergo quidquid Logica tradit de prima, & secunda mentis operatione, referetur, aut referri poterit ad Demonstrationem, quæ est tertia, & perfectissima mentis operatio, & duas alias complectitur; ad objectum enim Attributionis, ut suprà notavimus, sufficit, ut alia referri ad illud possint, vel saltem, ut in objecto Attributionis concurrant omnia alia objecta partialia, quomodò certum est in Demonstratione concurrere, & quidem perfectissimè, omnes tres mentis operationes.

4. Si non omnia instrumenta, modique sciendi in Demonstratione, tanquam in objecto Attributionis, continentur, ergo factâ Demonstratione supererit adhuc alius modus rem demonstratam cognoscendi, sciendique; sed nullus superest, per Demonstrationem enim cognoscuntur essentia, proprietates, & principia rei alicuius, idque modo perfectissimo, ergo Demonstratio totum impetum sciendi explet, omnésque sciendi modos absolvit. Datur quidem præter Demonstrationem adhuc Syllogismus probabilis, sed cùm hic ex accidentibus constet, sicut accidentia sunt præparatio aut appendix essentiæ, ita Syllogismus probabilis est præparatio aut appendix Demonstrationis.

VIII. *Objicitur* 1. Definitio perfectissimè manifestat objectum, cùm ejus essentiam explicet per genus & differentiam; ergo ad illam omnia referuntur, quæ Logica tradit.

℞. 1. Definitionem per essentiam rarissimam, & ferè unicam hominis esse : absurdum autem est illud objectum Scientiæ practicæ, & operatrici dare, quod nunquam fieri, & in opus redigi potest; id enim perinde esset, ac si diceres, objectum Attributionis aucupij esse Phœnicem avem, quæ unica in terris est : aut objectum artis nauticæ esse insulas fortunatas, quò nemo pervenit.

℞. 2. Si Definitio tam perfecta est, quantò perfectior Demonstratio, quæ & Definitionem complectitur, & ex illa

per

per infallibilem, & artificiosam consequentiam deducit proprietates? Tres enim perfectiones excedunt unam: & cujuscunque pretij sit gemma, majoris semper annulus erit, cui illa inest.

3. In objectis scientiarum non attenditur excessus perfectionis materialis, & entitativæ, alioquin hic terminus *Deus* assignari pro objecto Logicæ deberet; & imago Cæsaris à vulgari manu perfectior esset celebri illâ lineâ Apellis, aut Satyro Timantis: attendenda est ergo perfectio formalis, & in ratione artificiosi, & scientifici, ut in allatis exemplis. Logicæ verò artificium in Definitione vix aliquod & modicum apparet; quid enim faciliùs arborem prædicamentalem ante oculos habenti, quàm de aliqua specie genus & differentiam proximam affirmare? hoc enim est definire. At verò in Demonstratione *tum* in qualitate propositionum, ex quibus illa constat, *tum* in principijs, in forma, in dispositione, reductione, erroribus, fallacijs, &c. summum artificium est, & par Aristotelis ingenio.

Rursus. Definitio manifestat quidem essentiam, quamvis & hoc rarissimè, sed tamen ignorat proprietates, earúmque cum essentia connexionem: imò sola definitio ne quidem certum, firmúmque intellectum reddit in cognitione essentiæ, cùm sit mera apprehensio: qui verò apprehendit tantùm astra v. g. esse paria, non ideo scit esse paria; definitio ergo quoad effectum aliquid sciendi est instrumentum valde imperfectum, & quidquid est, à Demonstratione habet, nemo enim rerum essentiam nisi per proprietates novit; quis enim sciret, hominem esse animal rationale, nisi ex effectibus? Cœlum esse corpus simplex, nisi ex motu?

Rursus. Cùm de ipsa Definitione dubitas bona, an mala sit, Unde bonam aut tibi, aut alijs, nisi demonstrando probabis? Sola ergo est Demonstratio, quæ perfectè facit scire, & sine qua alia sciendi instrumenta, ne imperfectè quidem faciunt scire, hoc est, certò cognoscere; quia nisi Demonstratio accedat, dubitari semper de illis potest, an bene sint confecta: an bene definitum: an bene divisum, &c. Tota ergo certitudo & vis scien-

entifica alijs inſtrumentis ex Demonſtratione eſt, ſicut tota viſibilitas coloribus ex luce, & radiatio ſtellis ex ſole.

Objicitur 2. Rem intuitivè, & per proprias ſpecies cognoſcere perfectius eſt, quàm diſcurſivè & per alienas, quis enim non perfectiùs cognoſcit ignem præſentem, & oculis expoſitum, quàm remotum, abſconditum, & ex fumo notatum? & ideo Deus omnia intuitivè, non diſcurſivè cognoſcit: Sed Definitio eſt cognitio intuitiva, Demonſtratio diſcurſiva, ergo illa eſt perfectior.

℞. 1. Quidquid perfectionis habet Definitio, illud totum Demonſtrationi ineſt, cujus pars eſt.

2. Quidquid certitudinis cognitioni definitivæ ineſt, illud totum eſt Demonſtrationis, ut ſuprà notatum.

3. Non tam quæritur, utra cognitio ſit entitativè perfectior, ſed utra artificioſior, utra magis ſcientifica, utri formandæ magis Logica intendat? & hanc dicimus eſſe Demonſtrationem: quamvis enim cognitio intuitiva, abſolutè loquendo, ſit perfectior; in hoc tamen ſtatu, in quo intellectus noſter nihil ferè intuitivè cognoſcit, ſed omnia per ſpecies ſenſibiles, artes, & ſcientiæ non tam laborant intuitivæ, quàm diſcurſivæ cognitioni. Felicior utique eſſet, qui ſtellas, earúmque motus, molem, & eclypſes intueri poſſet, ſed cùm hoc fieri nequeat, Aſtrologia non tam illis intuitivè cognoſcendis, quàm diſcurſivè vacat, varijsque demonſtrationibus ex umbris, ex parallaxi, ex proportione peritis, ſervit. Idem ferè eſt de alijs Scientijs. Dei cognitio eſt quidem intuitiva, ſed etiam virtualiter diſcurſiva, nec arti & regulis ſubeſt, & ita nullum argumentum deduci ex illa poteſt.

Objicitur 3. Demonſtratio vel in individuo eſt objectum Logicæ, vel in communi? non in individuo, & particulari, quia ſcientiæ non ſunt de objecto particulari, ſed de univerſalibus: non in communi, & univerſali, quia ſcientiæ practicæ ſunt de objecto operabili, & modo operabili, univerſalia autem operationi non ſubjacent.

℞. Scientias operatrices non tantùm regulas tradere de opere in communi, ſed etiam in particulari: Pictoria v. g. non tantùm

tantùm docet, quomodo imago quælibet pingi debeat, sed etiam quomodo imago Leopoldi, Clementis, &c. Et Logica non solùm docet, Demonstrationem in communi constare ex primis, veris, immediatis, &c. sed etiam hanc, vel illam Demonstrationem, quâ probatur, homo esse risibilis quia rationalis: & hoc modo etiam de particularibus scientia datur; nec enim de solo homine, sed etiam de Petro risibilitas demonstratur. Cùm ergo dicitur de singularibus scientiam non esse, sic intelligendum est: quæ singularibus, ut sic conveniunt, non esse objectum scientiæ, nec demonstrari posse: aut enim sunt existentia, aut accidentia communia, aut differentia individualis: priora duo causas necessarias non habent: differentia individualis ignota est, nec manifestabilis, nec habet speciales proprietates, quæ demonstrari possint; quæ sunt enim proprietates necessariæ Petri, quæ cum Petro convertantur? Logica ergo, cùm docet, oportere omnem demonstrationem ex necessarijs constare, hoc ipsum de hac, & illa Demonstratione in particulari docet, & Intellectum ad hanc & illam ex universalibus conficiendam determinat.

IX. *Quæritur quintò.* An Ens rationis sit objectum Logicæ?

Resp. Objectum Logicæ non est ens rationis. Quis crederet dicenti, Logicam esse somniandi ac delirandi artem? & tamen hoc dicunt, qui Ens rationis illi pro objecto adscribunt; nullum enim Ente rationis vanius somnium, & delirium. Opilio, qui dormit, & credit se regem esse, somniat, & tamen, ut Rex sit, fieri potest. Æditu*u*s, qui vigilat, & credit, se Papam esse, delirat, & tamen, ut Papa sit, fieri potest. Ens verò rationis nullâ arte, nullâque potentiâ esse potest; nullum ergo somnium, nullùmque delirium eo majus: sed maximum evadet, cùm Logicæ objectum erit, tunc enim Logicus, & vigilans somniabit, & sapiens delirabit; erit ergo Logica, ut dixi, ars vigilanter somniandi, & sapienter delirandi. Thomistæ Logicam communiter ad Entia Rationis damnant: Ens Rationis concedunt illud esse, quod in rerum natura nec est, nec esse potest, sed intra intellectum, & cognitionem latet nunquam in

lucem proditurum, eo ferè modo, quo vespertiliones tenebris, & singulis gaudent in sole nunquam videndi. Sic, cùm umbram v. g. concipimus instar formæ nigríque ac in omnem partem volatilis coloris, ens rationis facimus: cùm enim umbra sit privatio lucis, & nihil, repugnat esse formam, & moveri; ergo in sola cognitione est forma, & movetur; ergo est ens rationis. Sic cùm Logicus considerat hominem ut speciem, hoc est, naturam aliquam de pluribus prædicabilem, Ens Rationis facit; nulla enim natura est, nullus homo qui unus in pluribus individuis esse possit, sed alius homo est Petrus, alius Paulus, &c. ergo species est Ens Rationis, nullum extra intellectum esse, aut potentiam existendi habens. Sic cùm Angelum, ut juvenem, concipimus venustissimâ facie, aureâ comâ, alis vibratum, bysso, purpuráque amictum, capite radiato, &c. Ens Rationis facimus: Angelus enim corporeus nec est, nec esse potest; non ergo est corpus, & juvenis in esse reali, sed tantùm in esse conceptibili. Sunt etiam, qui ut Entium rationis familiam augeant, ea non ab intellectu tantùm, sed à qualibet potentia cognoscitiva nasci promiscuè velint, papilionum instar, singulos ferè flores circumvolitantium. Phantasiam ergo entia rationis parere, cùm somno, aut phrenesi correptis montes aureos objicit, poma argentea, hyemes floridas, adamantes purpureos, & his similia. Oculum, cùm sub aquis, ut olim Narcissus, juvenes, turres, domos videt: in Iride colores, in Cœlo plures soles; quæ omnia objectivè tantùm in oculis, subjectivè nullibi sunt. Auditus, quando intra aures, aut spiras, sinúsque cochleæ marinæ sonos audit, qui nusquam sunt. Gustus, cùm ægro palato dulcia pro amaris, frigida pro calidis habet, &c. Hæc omnia Entibus rationis simillima sunt, dicique possunt Entia phantasiæ, Entia visûs, Entia auditûs, quia objectivè tantùm in phantasia, in visu, auditu gustúque sunt.

Distinguunt communiter Thomistæ Entia rationis in *Entia rationis ratiocinantis*, quæ nullum fundamentum in re habent, qualia sunt chymæræ, Hippocentauri, &c. Et *rationis ratiocinatæ*, quæ fundamentum in re habent, qualia sunt genera, species, &c. cùm enim videamus, prædicata humanæ naturæ v. g. in omnibus homi-

nibus

nibus similia esse, judicamus esse eadem, & ita unitati similitudinis unitatem naturæ tribuimus, & hoc est species. Hæc ergo entia rationis, quæ fundamentum in re habent, pro objecto Logicæ à Thomistis statuuntur. Ego contrarium teneo.

Ratio est prima. Si Ens rationis est necessariò Logicæ objectum, ergo si probabile sit non dari Ens rationis, probabile etiam erit non dari Logicam (quemadmodum si objectum Alchymiæ est confectio auri, si probabile sit aurum arte fieri non posse, probabile etiam erit Alchymiam non dari: si æquor liquidum necessarium est navigationi, si probabile est æquor hyperboreum, & polo arctico subjectum non esse liquidum, sed perpetuâ glacie astrictum, probabile etiam est, navigari illac in Indias non posse) sed probabile est Entia rationis, quæ videlicet in rerum natura nec sint, nec esse possint, non dari; ergo etiam probabile erit Logicam non dari, quod absurdissimum est. *Minor,* quòd probabile sit entia rationis non dari, traditur à Vallesio *q. 10.* Mirandulano *in prædicam: exposit.* Mayronio *quæst. quodlib. 7.* Caramuele in *Metalogica, &c.* Et probatur inductione discurrendo per omnia entia rationis. Alij omnia repugnantia, & quæ contradictionem implicant, entibus rationis adscribunt, & bene; nam ens rationis, ne quidem per divinam omnipotentiam existere potest, ergo involvit contradictionem, alioqui posset. Jam verò hæc, quæ dicunt contradictionem, ne quidem concipi possunt, ergo nec fieri entia rationis, hæc enim concipiendo fiunt, & in conceptu sunt. *Concipi non posse probo*: vel enim dicunt apertam & evidentem implicantiam (qualia sunt. Album caret albedine: Triangulus habet duos angulos) & tunc nec apprehensione nec judicio nec discursu concipiuntur; quis enim apprehendit *triangulum* habentem duos angulos? aut judicavit, *Triangulus* habet duos angulos? aut intulit, est *triangulus*, ergo habet duos angulos? & demus in stultum aliquem hujusmodi conceptus cadere, saltem in artem, & scientiam non cadunt; quæ enim scientia docuit, *triangulum* cum duobus angulis apprehendere? & si hoc est scire, quid ergo est stultum esse? Si verò implicantia non est manifesta, sed tantùm probabilis, & apparens, v. g. *creatura ab æterno*, intellectus talem creaturam

concipiens non facit ens rationis, quia non fertur in rem, & objectum, quod non est nec esse potest, sed in objectum verè & à parte rei apparens, verè, & à parte rei probabilitatem existendi habens, ita ut ea probabilitas verè existat, sitque objectum cognitionis; nemo enim dixerit probabilitatem esse ens rationis, cùm habeat causas reales extra intellectum, v. g. auctoritatem dicentis, insufficientiam rationum, quibus ea probabilitas impugnatur, &c. quemadmodum colores, qui in iride apparent, non sunt quidem veri colores, sed sunt radij solares, habent tamen veram similitudinem colorum, quo fit, ut intellectum decipiant, & ideo nec sunt entia rationis, quia illa similitudo cum coloribus verè, ac extra intellectum est, suásque reales causas habet. Alij *chimaras*, *hircocervos*, *montes aureos* & similia pro entibus rationis habent; sed néque hæc sunt. Chimæra v. g. monstrum horribile, fumum flammásque vomens, capite, & jubis leonem, ventre capram, caudâ serpentem referens: quid hîc rogo impossibilis? figura? at non implicat uni animali trium figuram inesse; si enim arte hoc fieri potest, cur non naturâ? & patet in tigridibus, simijs, vespertilionibus, &c. imò Tritones, & Sirenas pisce, & homine mixtas in mari visas esse, certissimum experientiâ est, trinas verò formas substantiales, leonis, capræ, serpentis uni materiæ uniti, neque hoc est impossibile, aut saltem probabiliter possibile, quod, ut dixi, sufficit, ne dici possint ens rationis.

Rursus unam esse formam chimæricam, quæ *formaliter virtualiter* tribus æquivaleat, & trium formarum effectus formales tribuat; neque hoc repugnat, imò exemplum est in anima rationali, quæ cum brutis est sensitiva, cum plantis vegetativa, cum Angelis intellectiva. Quid ergo in chimæra implicantiæ est, ut ens rationis dici debeat?

Si dicas, chimæram concipi, ut tres formas identificatas, quod implicat, & est ens rationis.

℞. Hunc conceptum esse impossibilem, & à nullo formari, *unum videlicet esse tria*, *& tria unum*: & esto formaretur ab aliquo, saltem nulla scientia est, quæ his conceptibus faciendis vacet. Multò minùs *montes aurei*, *flumina lactis*, & alia hujus

fari-

farinæ mendacia Poëtarum entia rationis dici possunt, quia non implicant. Errat quidem intellectus, dum concipit montem aureum, sed aliud est error, aliud ens rationis. *Alij* & plerique dicunt, negationes, & privationes esse Entia rationis, non quidem ut dicunt carentiam formæ, sic enim à parte rei, & independenter ab intellectu existunt, sed ut instar formarum positivarum concipiuntur: quò etiam pertinent denominationes extrinsecæ; cùm enim dicitur *color visus esse*, concipimus denominationem visi, tanquam formam colori adjacentem. Sed negationes, & privationes quod attinet, nego entia rationis esse; si enim sic concipi debeant: *Quod nihil est, est aliquid & forma*; nego hunc conceptum dari. Si hoc modo: *Umbra est color niger*, non est ens rationis, sed error intellectûs nescientis umbram esse privationem lucis; hic autem error non est ens rationis, cùm non habeat pro objecto rei impossibilitatem, sed apparentiam visualem, quæ à parte rei est: est enim verum, umbram oculo instar nigri coloris exhiberi. Si ergo hoc modo concipi debeat: *Umbra, quæ est privatio lucis, & nihil, est color*, nego hunc conceptum ab aliquo formari. Si hoc modo: *Umbra non est nihil, nec mera privatio, sed est aliquis color*, hic erit error, non ens rationis; nec enim implicat, omnia, quæ luce non tinguntur, nigra esse. Idem dicas de denominationibus extrinsecis. Sicut enim subducto igni aqua naturaliter frigescit, ita quid repugnantiæ sit, subductâ aut impeditâ luce parietes, & alia objecta nigrescere? Idem ferè dicendum est de secundis intentionibus Logicis: quando enim concipis animal esse genus, *vel* hoc modo concipis: *Animal est una realiter natura cum multis speciebus identificata*, & nego hunc conceptum dari posse; perinde enim est, ac si dicas: *unum non est unum: Duo sunt tria, &c. Vel* intelligis: animal esse gradum entis conceptibilem secundùm prædicata homini, & bruto communia; & hoc non est ens rationis, sed ipsa veritas; hæc enim conceptibilitas datur à parte rei. Eodem modo cùm dicis, *Petrus est subjectum, & homo est prædicatum*, nihil aliud dicis, quàm Petro gradus entis particularis, & communis inesse; particularem verò sine communi conceptibilem non esse. Sicut duo concipi non possunt, quin concipiatur unum; quæ omnia veritates, non en-

entia rationis sunt: sicut enim à parte rei, si non realiter, saltem virtualiter Petrus, & homo distinguuntur, sic à parte rei homo est conceptibilis & affirmabilis de Petro; & hoc est esse prædicatum, & subjectum. Sed omissâ entis rationis possibilitate, eáque concessâ, nego esse objectum Logicæ.

2. Cùm Logica dicit; *Oportet definitionem genere & differentiâ constare, & ideo homo definiri debet, quòd sit animal rationale*, in hoc actu nullum ens rationis assignari potest (& idem de alijs dici potest) ergo ens rationis non est objectum Logicæ. *Antecedens* probatur. In definitione hæc reperiuntur. 1. Quòd explicet naturam rei. 2. Quòd constet genere, & differentiâ. 3. Quòd genus differentiæ præponatur. 4. Quòd homo sit, & vocetur definitum: animal rationale definitio. Nihil istorum est ens rationis à Logica intentum. *Non primum*, quia alioquin omnium rerum explicationes, imagines, glossæ, interpretationes entia rationis dici deberent. *Non secundum*, quia genus, & differentia non sunt entia rationis, sed natura realis realiter conceptibilis secundùm prædicata magis, aut minùs uniformia: Petrus enim, quà cum brutis convenit, est animal, & vocatur genus: quà cum hominibus, est species, & vocatur homo, quà discrepat ab alijs hominibus, vocatur individuum. Et quamvis in natura sic concepta resultent variæ denominationes extrinsecæ *concepti, prædicati, subjecti, universalis*, quæ fortè sunt entia rationis, has tamen Logica non considerat. Sicut ex eo quòd color videatur, resultat in colore denominatio visi, in hanc tamen visus non fertur, sed in colorem, & deliraret, qui diceret, objectum oculi, esse denominationem visi. Logica ergo dirigit intellectum per regulas definitionis, ut hominem concipiat secundùm convenientiam cum brutis, & disconvenientiam cum ijsdem, hoc est, animalitatem, & rationalitatem: quòd verò ex hoc conceptu resultent illæ denominationes *definiti*, & *definitionis*, Logicæ parum, aut nihil interest: fac enim non resultare, an non Logica direxit? an non officio suo functa est? an non homo definitus est? majoris tamen doctrinæ, & claritatis causâ singulis conceptibus singula nomina imponit: conceptum obscurum, & implicitum vocat *definitum*, clarum *definitionem*, communissimum

mum *genus*, diſtinctivum minúsque communem *differentiam*, *&c.* nomina verò non eſſe rationis entia certum eſt. Sed nec *tertium*, quòd videlicet genus differentiæ præponatur, hoc enim pertinet ad ordinem, ſed ordo non eſt neque in rebus, neque in conceptibus, neque in vocibus ens rationis, alioquin omnes ſtatuæ, imagines, exercitus entia rationis erunt, quia in ordine conſiſtunt. Nec *quartum* ut dixi; nomina enim ſunt conceptuum imagines, non ergo entia rationis: & licèt tam ex ordine quàm ex ſignis & nominibus quædam relationes rationis naſcantur, ea tamen ſupponunt jam ordinem, & ſignum, & cùm naturaliter ex directione Logica ſequantur, ab hac non intenduntur, nec fiunt; ſicut ex Cæſaris imagine inter hanc & Cæſarem ſimilitudinis relatio naturaliter & præter artem exiſtit, nec eam Pictor intendit, imò ſæpè ignorat: quæ autem ignorantur, in artem, & intentionem non cadunt, ſed vel caſui, vel naturæ adſcribuntur.

3. Ens rationis eſt ſummus error, maximúmque mendacium; ſi enim errat, qui concipit, aut dicit, quod non eſt, quantò magis, qui concipit, aut dicit, quod nec eſt, nec eſſe poteſt? Ex quo ſic argumentor: Sic ſe habet ſcientia ad intellectum, ſicut virtus ad voluntatem: ſed nulla eſt virtus, cujus objectum ſit voluntatem inducere in malum, ergo nulla ſcientia, cujus objectum ſit intellectum in falſum, errorem, & mendacium impellere; tam enim hoc ſcientiæ, cujus objectum eſt verum, quàm illud voluntati repugnat: & cui non primo ſtatim aſpectu abſurdum hoc appareat: *Datur ſcientia, cujus primarium officium eſt errare, mentiri, falli?*

Dices: Entia rationis Logica utilia eſſe veritati indagandæ, *tum* quia fundamentum in re habent: *tum* quia concipiuntur adinſtar veri: Sicut umbræ, licèt nihil ſint & mera lucis privatio, ſunt tamen objectum opticæ, & gnomonicæ, & varijs demonſtrationibus inſerviunt; ex illis enim motum ſolis, eclypſes, magnitudines terræ, & turrium, &c. notamus. Sic entia Chymærica, quamvis ſint negatio veritatis, veritati tamen cognoſcendæ accommodata ſunt, & ut ſic à Logica conſiderantur.

℞. 1,

℟. 1. Aliud esse, quòd entia rationis cognoscendæ veritati serviant, sicut umbræ cognoscendo soli, eiúsque motibus: aliud esse, quòd sint objectum formale, cui faciendo Logica vacet, & quidem primariò; hoc enim negamus, dari videlicet scientiam, artémque, cujus primarius finis, & labor sit, errare, & alios in errorem inducere, ut ex erroribus veritatem colligat; id enim perinde est, ac si dicas, dari aliquam virtutem, quæ doceat, & jubeat peccare, ut ex peccato pœnitentiam, & humilitatem discas: & favet allata umbræ similitudo; quamvis enim & Gnomonica, & Pictoria umbris utatur, neutra tamen laborat, ut umbram instar entis positivi concipiat, & ex umbra ens rationis faciat: neutra etiam in umbra quiescit, & eius cognitionem, aut visum pro fine habet, sed umbris tantùm à natura jam factis utitur: Gnomonica quidem, ut cursum Solis, horásque notet: Pictoria, ut colores adjectis umbris aut acuat, aut frangat. Sic Logica non ipsa chymæras facere docet, non istas pro fine, & objecto habet, sed ab intellectu, & ignorantia jam factis, & naturaliter resultantibus nomina *generis*, *speciei*, *&c.* imponit, iisque utitur ad distinguendos conceptus magis, minúsque communes, & à se directos. *Deinde* aut Logica pro suo ultimo fine habet ens rationis, in cujus factura sistat, aut illa utitur ad mentis operationes dirigendas? Si hoc, ergo *ens rationis* est medium, & *directio* finis, ergo non ens rationis est primarium Logicæ objectum, sed *directio*. Sicut, quia Medicus utitur sectione ad sanitatem, sanitas, non sectio est objectum formale artis medicæ. Si verò Logica in factura entis rationis tanquam in fine sistit, ergo hoc est, quod sæpè diximus, absurdum esse, dari scientiam, cujus primarius finis sit, errare, scientiam videlicet nihil sciendi & artem ignorandi. *Nec obstat*, entia rationis Logica fundamentum in rebus ipsis habere. *Demus hoc*; numquid & vitia habent colorem virtutis, & mala speciem boni, & venena rationem medicinæ, & tamen quis unquam dixit, esse aliquam virtutem, cujus objectum, & finis sit, vitia docere, malè vivere, venenum conficere? Si velint Thomistæ, Logicam entia rationis non quidem facere, sed tantùm ab ignorantia, & intellectu jam factis uti ad veritatem indagandam, quemadmodum Medicus ve-

neno,

neno, Pictor umbris utitur, tolerari hoc posset, sed non sequeretur, entia rationis esse objectum primarium, & formale Logicæ, sed secundarium, & instar medij, quod ad dirigendas mentis operationes ordinatur.

4. Logicæ finis, & officium est parare insttumenta cognoscendæ veritati idonea : sed entia rationis cognoscendæ veritati non deserviunt; cùm enim sint falsissima, veritati potiùs adversantur, eámque extinguunt; quomodo ergo illi serviunt ? perinde videlicet, ac mors vitæ, tenebræ luci, aqua igni accendendo deservit.

Dices, meliùs aliqua cognosci per sibi opposita, v. g. sanitatem per morbum, virtutem per vitia, privationes per formam; & ita Scientias, quæ de re aliqua disputant, etiam de oppositis disputare. Sic Poëtica, dum fingit, & fabulando delectat, vera docet : Sic Pictoria multum artis, & utilitatis habet, & tamen tota in fingendo est : sic Logica, dum genera, species, subjecta, prædicata, & hujusmodi chimæras fingit, interim veritati præludit, & Pictoris instar mentem, & oculum juvat, dum decipit; & sicut in bilance falsis nummis pondus veri auri quæritur, & invenitur, sic in Logica, velut in communi omnium scientiarum bilance, falsis fictisque entibus veritatem ponderamus.

℞. Verum esse, quòd aliqua per opposita meliùs cognoscantur, v. g. sanitas per morbum: sed falsum est, quòd ars aliqua, aut scientia pro suo objecto formali & primario privationem habeat, v. g. Medicina morbum, Ethica vitium, &c. Cùm ergo ens rationis sit negatio veri entis, non erit objectum primarium Logicæ, imò, nec hujusmodi entia imaginaria, & fictitia veritati deserviunt; cùm enim sint relationes, & denominationes ex opere jam facto natæ, supponunt illud, non faciunt. Sicut enim quòd color denominetur visus, nihil confert ad hoc, ut color videatur, ita quòd animal denominetur genus, nihil confert ad hoc, ut gradus sensitivi solus cognoscatur, sed potiùs ex hac cognitione illa nascitur denominatio; & quid, rogo, confert, ut cognoscas naturam, quæ videat, quæ audiat, quæ tangat, verbo, quæ sentiat, non cognoscendo

quòd eadem natura intelligat diſcurrátque, quid, inquam, confert, ut in illa imagineris tibi aliquid, quod non eſt? aliquam videlicet relationem, denominationem, aut formam generis naturæ ſenſitivæ adhærentem, quæ nec illi adhæret, nec adhærere poteſt? quaſiverò colorem videre non poſſis, niſi tibi imagineris, aliquam colori formam ineſſe, à qua dicatur viſus, aut faciem aliquam ſpectare non poſſis, niſi larvam illi priùs imponas; aut *denique* nemo ſapere poſſit, niſi ſomniando, & delirando, more videlicet Sibyllarum, tunc vera vaticinantium, cùm lymphatæ, turbatæque delirijs erant.

5. *Denique*, Demonſtratio juxta regulas Logicæ inſtituta eſt inſtrumentum ſciendi, & ſcientiam generat. Sicut globus cœleſtis juxta regulas Mathematicas eſt inſtrumentum cognoſcendi aſtra, eorúmque proprietates, ergo Demonſtratio non eſt ens rationis: quod enim non eſt, nec eſſe poteſt, quomodo aliquid reale, & nobiliſſimum quidem cauſet? alioqui plus erit in effectu quàm in cauſa. Sicut ergo in Syllogiſmo ens rationis eſt impertinens, & inutile ad effectum ipſius Syllogiſmi, ad neceſſitatem, & infallibilitatem conſequentiæ, & conſequenter ad finem Logicæ, ita in definitione, in diviſione, &c.

X. *Objicitur* 1. Auctoritas S. Thomæ in *Proœm. Eth.* 1. *poſter. lect.* 20. & 4. *Metaph. lect.* 4. 1. *poſter. lect.* 1. *Opuſc.* 42. *lect.* 4. *Opuſc.* 56. ubi expreſſè docet, ens rationis eſſe Logicæ ſubjectum.

℞. S. Thomam duo genera entis diſtinguere, Rationis, & Naturæ: hoc, quod in rebus exterioribus reperitur, nec tamen à ratione fit, ut cœli, terra, elementa, &c. illud quod ratio facit, & ſine rationis opera non eſt, eſtque triplex.

1. Ens aut ordo quem ratio facit in operibus voluntatis, & hic pertinet ad conſiderationem Philoſophiæ moralis.

2. Ordo, quem ratio facit in exterioribus rebus, quarum ipſa eſt cauſa, v. g. in arca, in domo, & pertinet ad artes mechanicas.

3. *Denique*, Quem ratio facit in proprio actu, puta, cùm ordinat conceptus ſuos ad invicem, & hic pertinet ad Logicam. Quando ergo dicit S. Thomas, ens rationis eſſe objectum Logicæ, non intelligit ens rationis chimæricum, & objectivum, quod-

quodque in rerum natura nec est, nec esse potest: sed ens rationis, quod opponitur enti physico, hoc est, quod quidem in rerum natura, & intellectu verè ac realiter, & subjectivè est, sed tamen, non nisi operâ, & beneficio rationis; alioquin & ordo, quem ratio artefactis, & actibus voluntatis impendit, entia rationis, & chimærica essent, cùm & ipsa non sint, nisi à ratione. Quodsi ordo, & dispositio, quam ratio domui, arcæ, statuæ, vocibus imponit, non sunt entia rationis, hoc est, ficta & realitatis expertia, cur ordo, quem ratio intellectui, eiúsque actibus imponit? num ergo peioris conditionis intellectus, quàm marmor, quàm lignum? aut quæ vis Circæa & venefica intellectum incantat, ut quod nulli marmori, nullíque ligno, aut tabulæ contingit, ipse solus figuram, & symmetriam à Logica impressam in chimæras, in sphyngas, in monstra transmutet? fabulantur qui hæc dicunt, an Philosophantur?

Objicies 2. Negari non potest dari multa entia rationis; nam intellectus sæpe in rebus divinis, imò etiam creatis multa concipit, tanquam distincta, quæ tamen nec distincta sunt, nec distingui possunt: hinc toties à Theologis & Philosophis relationes, distinctionésque rationis repetuntur, & ipse intellectus sæpe concipit hominem, animal, genus, &c. tanquam naturas, & formas universales, quæ tamen in rerum natura nec sunt, nec esse possunt; cujus ergo scientiæ hæc entia objectum erunt, si Logicæ non sunt?

℞. A multis entia rationis negari, ut suprà notatum; si enim v. g. intellectus concipiat Deum explicitè, ut actum purum, & accidentium expertem, impossibile est, ut judicet, vel apprehendat misericordiam, & justitiam in Deo esse formas adjacentes, & realiter distinctas. Si verò intellectus non explicitè Deum, ut actum purum, & simplicem concipiat, & misericordiam instar formæ accidentalis consideret, errat quidem, sed non facit ens rationis, quia non fertur in rem ut impossibilem, sed ut apparentem, & aliquâ similitudine veri, ex proportione cum creaturis imbuta: quemadmodum nec voluntas in impossibile fertur, cùm malum amat, sub specie boni: nec intellectus cùm cœlum credit cæruleum, aut Angelos plumatos

eſſe, & radijs cinctos; quia licet impoſſibile ſit, tales eſſe, non tamen eſt impoſſibile, tales apparere, & adinſtar rei alterius concipi: quæ apparibilitas, & conceptibilitas non eſt ens rationis, ſed aliquid à parte rei: errat tamen intellectus, quia rem indicat non ut eſt, ſed ut apparet: & cùm dicit: *Angelus eſt juvenis*, non Angelum intelligit, ſed aliam aliquam naturam. Sed quidquid de hoc ſit, ſi datur ens rationis, erit objectum non Logicæ, ſed Metaphyſicæ, quia opponitur enti vero, eadem verò ſcientia de oppoſitis agit.

Objicitur 3. Logica agit de generibus, ſpeciebus, univerſalibus: at hæc ſine dubio ſunt entia rationis, non naturæ, cùm nullibi rerum ſint.

℞. Agere de generibus & ſpeciebus *fundamentaliter*, & ut aliquid ſunt, non verò *formaliter*, & ut nihil ſunt. Homo à parte rei cum brutis convenit, cum illis videt, cum illis audit, cum illis comedit: conceptus, quo hanc naturam & convenientiam conſidero, verus eſt, non fictus, aut chimæricus, & ut talis à Logica conſideratur; relatio verò illa rationis, quæ ex objecto ſic conſiderato reſultat, perinde, ac ſi forma generis, aut univerſalis referretur ad plures ſpecies, aut individua, tanquam forma aliqua communis in plures derivabilis, eo ferè modo, quo una facies in pluribus, & diſtinctis ſpeculis relucet, illa, inquam, relatio rationis ad effectus Logicos impertinens, & ſuperflua eſt; illâ enim ſublatâ adhuc natura animalis ſine differentijs ſpectata de homine, & bruto dici poteſt, & utrique ineſt non quidem una *identitate*, *ſed una proportione*, *convenientiâ*, *& virtute* ad ſimiles omnino effectus, ſicut ſine alia fabula, & ludibrio fictionis eadem facies multis ſpeculis ineſt, & ſi infinita eſſent, ex infinitis traluceret.

Objicitur 4. Logica ex omnium confeſſione agit de modis diſſerendi, qui ex cognitionibus conſurgunt: ſed non agit de illis ſecundùm eſſe naturale ſpectatis (ſic enim ad Phyſicamque pertinent, quæ de anima, intellectu, & cognitionibus agit) ergo ſecundùm eſſe, & formam Logicam, quæ non poteſt alia eſſe quàm rationis, quidquid enim ens reale non eſt, eſt ens rationis.

℞. Hoc

¶. Hoc Argumento nimium probari, omnes videlicet artes pro objecto habere ens rationis: quidquid enim Musica considerat in sono, est ens reale, & naturale, ac ad scientiam naturalem pertinet, idem de architectonica dicas, idem de omnibus. Datur ergo medium inter ens naturale, & rationis, ens videlicet artificiale. Sicut ergo sonus qui attemperari in harmoniam, & per artem in varias proportiones dirigi, distinguique potest, est objectum Musicæ, licèt hæc ipsa forma harmoniæ ex multis vocibus notísque exurgens realis sit: & sicut ligna ac lapides, quatenus certo ordini substant, ad unam domum habitationi aptam conficiendam sunt objectum architectonicæ, quamvis ille ipse ordo, dispositio ac situs sint aliquid reale; eodem modo mentis nostræ operationes, quatenus cum certo ordine, certáque dispositione, ac qualitate produci, & componi possunt, ita videlicet, ut una sit prior, alia posterior, una negativa, alia affirmativa, una particularis, alia universalis, una confusa, alia explicita, &c. Et ex cognitionibus ita dispositis scientia comparari potest, hoc, inquam, modo Logicæ objectum sunt, quamvis hic ipse ordo, & dispositio sit forma realis, per rationem tamen confecta, sicut forma statuæ, forma domûs, forma harmoniæ, &c. Cùm ex Europa in Chinam horologium allatum est, sed ne itinere corrumperetur, in suas partes solutum, nec compositum, ferunt barbaros risisse sarcinam tam gravem, & inutilem ex Orbe tam longinquo adductam; ubi verò rotæ rotis, radij radijs, turbines, pondera aptata sunt, & per certa intervalla sonante ferro horæ auditæ, tunc enimverò admiratio barbaris facta, & horologium æs vocale appellatum, Sic mentis operationes sunt: Si vagæ sint, & confusæ, scientiam non pariunt: si ex Logicæ præscripto in ordinem digestæ, & sonant, & veritatem reddunt: hoc à Logica habent. Quodsi Logicus se supra cognitiones, & conceptus suos reflectens unam *minorem*, aliam *majorem* vocat, quasi aliqua ex eis forma inesset hoc nomine appellanda, id forsan ens rationis fuerit, sed serò natum, & opere Logico jam confecto: sicut, si Civis Chinensis audito horologij sono ferrum illud, & malleolum, ut rem animatam vocalémque conciperet, id quidem ens rationis esset, sed nihil ad ho-

horologij fabricam uſúmque conferret, & qui artifici pro objecto hoc ens rationis adſcriberet, planè rideretur.

XI. *Quæritur ſextò.* An Conceptus formales quâ dirigibiles ſint objectum formale Logicæ?

℞. Objectum formale Logicæ ſunt tres mentis operationes quatenus dirigibiles, ſive dirigibilitas operationum in ordine ad comparandam ſcientiam; finis verò proximus eſt actualis ipſa directio, ex qua immediatè reſultat actus, & cognitio ad regulas Logicæ directa: cùm enim homo poſſit mille ſyllogiſmos, aut bonos aut malos facere, v. g. ex meris negativis, ex meris particularibus, ex pluribus, quàm tribus terminis, ex ſuppoſitionibus variatis, &c. Logicæ officium eſt Intelectum dirigere, ut relictis malis, bonos faciat, & ad hoc regulas præſcribere. Sicut enim per Labyrinthum eunti mille viæ occurrunt, quæ in errorem ducunt, una recta, & quæ exitum habet; & ducis officium eſt, ut aut manu, aut filo porrecto, aut ſaltem voce monitúque rectam oſtendat; ſic Logica intellectum ducit: nunquam difficultatibus ſe evolveret, quæ ſcientias inveſtiganti occurrunt, & fallunt; niſi Logica filum, modum ſciendi, rectè argumentandi, judicandi, apprehendendi porrigeret: hoc regitur, ne aut impingat, aut nunquam exitum, finémque reperiat. Hæc eſt directio Logica.

Jam Probatur Concluſio 1. ex dictis, quia nullum aliud objectum formale occurrit.

2. Quia nulla alia ſcientia eſt, quæ hanc directionem adeo utilem, & neceſſariam pro objecto habeat.

3. Quia per hoc Logica ab alijs omnibus ſcientijs diſtinguitur, diſtinguere autem ſcientias proprium officium eſt objecti formalis.

4. Quia hoc ipſum in alijs omnibus artibus & ſcientijs practicis videre eſt; finis enim Statuariæ eſt fingere marmor in ſtatuas, & manus ad fingendum dirigere; objectum verò formale eſt ipſa marmoris aptitudo, ut ita fingatur: finis Nauticæ eſt navim dirigere, objectum formale, ipſa dirigibilitas, &c.

5. *Denique*, quia objectum ſcientiæ operatricis eſt, quod illa conſiderat, & circa quod practicè, & aliquid operando verſatur,

ſatur, finis verò eſt ipſum opus, ab hoc enim operatrices ſcientiæ vocantur: at Logica tres mentis operationes conſiderat, non ſecundùm omnem latitudinem, ſed quatenus dirigibiles, eáſque dirigit, atque in ordinem collocat, & ex ijs certo ordine directis, collocatíſque inſtrumenta conficit, definitiones, diviſiones, demonſtrationes, & alia acquirendis ſcientijs idonea: ergo dirigibilitas eſt objectum formale, actus verò directi ſunt finis & opus à Logica intentum.




§. IV.

De Logica Utente, & Docente.

Summaria.

1. *In ſcientijs aliud eſſe doctrinam, aliud uſum, varijs exemplis oſtenditur.*
2. *Actus Logicæ Utentis, & actus Logicæ Docentis diſtinguuntur.*
3. *Idem realiter eſt habitus Logicæ Docentis, & Utentis.*
4. *Solvuntur objectiones.*
5. *Et hac doctrina procedit de Logica Docente, & Utente in omni materia.*
6. *Non obſtantibus rationibus Adverſariorum.*

Ob-



Bſcure in hac Quæſtione, & confusè Doctores loquuntur. Præmittam ergo, quæ apud omnes ſunt certa, & claritati ſtudebo.

I. *Pranotandum* 1. In omnibus ſcientijs practicis aliud eſſe *doctrinam*, aliud *uſum*: poteſt quis doctrinam, & præcepta artis optimè callere, ignarus tamen, & imperitus utendi. Quis neſcit natanti oportere caput ſuper aquas eſſe, manus pedésque æqualiter adduci, extendíque ad frangendas aquas? non ideo tamen, qui hæc novit, continuò natare poteſt; aliud enim eſt ſcire, aliud agere, ſicut aliud lucere, aliud illuminare. Docere ergo, eſt regulas aliquid faciendi tradere, Uti eſt datas regulas ad materiam aliquam applicare, hoc eſt, opus aliquod ad præſcriptum regulæ conficere, v. g. Agriculturæ Docentis circa vineas colendas hæc ſunt præcepta: Locus vitibus ponendis ſit magis ſiccus, quàm humidus, magis oppoſitus ſoli occidenti, quàm meridionali. Ne ponatur vitis juxta corylum, laurum, aut braſſicam, quia has naturaliter odit; populum verò, ulmum, ficúmque amat: lapides abijciendi in ſuperficie terræ, quia æſtate vitem adurunt, hyeme infrigidant: vites diverſæ ſtirpis, albæ videlicet & nigræ, mixtim non ſunt jungendæ, quia contrarijs qualitatibus mutuò ſibi nocent. Potiùs in obliquum quàm rectum plantandum, quia obliquum citiùs agit radices. Surculi, qui ad meridiem ſteterunt, in eundem ſitum ſunt collocandi, quo enim cœli aſpectu, influxúque geniti ſunt, eodem conſervantur, &c. Vides in exemplis adductis munus artis, aut ſcientiæ Docentis eſſe, regulas tam generales, quàm etiam ſpeciales, & ſpecialiſſimas tradere operi faciendo, earúmque regularum cauſas aſſignare. Scientia verò aut ars Utens eſt, quæ ex præſcripto earum regularum aliquid operatur, ut ſi agricola vineas in ſicco, non in humido plantet; ſi vites ulmo non lauro nuptui tradat; ſi ſuperficiem lapidibus

dibus purget, &c. Eodem modo Logicæ Docentis sunt isti actus: *Definitio constet genere, & differentiâ, adæquet definitum: Syllogismus constet tribus propositionibus: medium in prima figura semel subjiciatur, semel prædicetur, &c.* Actus verò Utentis Logicæ sunt ipsa confectio definitionis, syllogismi, demonstrationis juxta regulas à Docente datas. *Sed adverte*, plerúmque usum, praxínque multis difficultatibus conjungi, quæ in præceptis non apparebant, & ideo multos doctrinâ summos in usu deficere; *tum* quia usus & exercitium rem ipsam spectat, ut est, cum omnibus videlicet circumstantijs, & difficultatibus hîc & nunc occurrentibus, quæ speculanti non apparebant, cognitio enim est magis de universalibus, usus de particularibus, & ita facilius est scopum videre, & modum tangendi illum agnoscere, quàm tangere: *tum*, quia usus non pendet à sola cognitione, sed etiam ab instrumentis, alijsque potentijs executivis, & ex materiæ ipsius dispositione, & ideo, qui perfectissimè novit, circulum esse lineam simplicem, perfectissimè curvam, & à centro æqualiter distantem, hujusmodi tamen lineam sine circino, & in saxo aspero, ac inæquali nunquam describet, imò sæpe nec in plano, & cum circino; *tum denique*, quia sicut chalybs usu politur, & acuitur, otio obtunditur; sic scientiæ usu intenduntur, & clariores evadunt, & difficultates in particulari occurrentes, sicut usu deprehenduntur, ita deprehensæ faciliùs evitantur.

II. *Prænotandum 2.* Dubium nullum esse, quin actus ipsi Logicæ Utentis, & Docentis distinguantur: actus enim Docens est dictamen, quo v. g. intellectus cognoscit, & pronuntiat syllogismum in *Barbara* tribus affirmativis constare debere: Utens est ipsa confectio Syllogismi ex tribus affirmativis. Sicut ergo aliud est norma lineæ rectæ, aliud descriptio lineæ ad normam: aliud præceptum, aliud opus: aliud regula cantandi, aliud cantus ad regulam; ita aliud est actus Logicæ Syllogismum Docentis, aliud actus Logicæ Syllogismum conficientis. Primus ille actus est universalis ad plures materias adaptabilis, analyticus, & resolutivus, hoc est, causam suæ regulæ tradens: usus verò est applicatio ad materiam particularem, & uni astrictus, nec ad causas operandi, sed ad ipsum opus attendit;

quamvis enim cognoſcat v. g. Pictor cauſam, cur remota obſcuris coloribus oculo exhibeat, proxima claris, ut ſic non tam utitur & agit, ſed cognoſcit, & docet. Actus ergo Logicæ Docentis, ab actu Logicæ Utentis, tamquam dirigens, & directum, regulans, & regulatum diſtinguuntur. Poteſt tamen fieri, ut diverſo reſpectu idem actus ſit dogma & uſus, v. g. cùm dico: *Definitio eſt oratio conſtans genere & differentiâ*; hic actus ſimul docet, quî fieri definitio debeat, & ſimul eſt ipſe uſus, ac confectio definitionis. Sicut ergo reſpectu ad diverſa eadem norma eſt regula lineæ rectæ, & ipſa etiam eſt linea recta, &c.

Prænotandum 3. Logicam de multis varijsque rebus præcepta tradere, & præceptis uti, docet enim modum dividendi, definiendi, enuntiandi, argumentandi, demonſtrandi, ex probabilibus diſputandi, ſophiſmata diſſolvendi, &c. Et omnibus hiſce præceptis in data materia uti poteſt, ſicut Pictor omni tabulæ colores inducere; patet ergo Logicam totam Docentem & Utentem eſſe. His prænotatis

III. *Quæritur.* Utrum habitus Logicæ Docentis, & Utentis realiter diſtinguantur?

Reſp. Idem realiter eſt habitus Logicæ Docentis & Utentis.

Ratio eſt 1. Quia nulla eſt cauſa iſtos habitus diſtinguendi, & multiplicandi, ut ex ſolutione objectionum patebit.

2. Quia ex omnium ſententia multò magis diſtinguuntur ipſe actus utendi, & actus docendi tamquam dirigens & directum quàm habitus, & tamen idem actus diverſorum reſpectu eſt docens, & utens; ergo multò magis poterit Logica Docens & Utens unus habitus eſſe.

3. Nulla ſpecialis difficultas eſt in uſu præceptorum Logicæ, ergo nullo habitu diſtincto ab habitu præceptorum opus eſt; habitus enim datur difficultati ſuperandæ. *Antecedens probatur.* Uſus enim Logicæ conſiſtit in applicatione regulæ Logicæ ad certam aliquam materiam; hæc verò applicatio nullam difficultatem habet, qui enim novit v. g. definitionem conſtare ex genere, & differentia proxima, ita, ut genus de definito primò prædicetur,

cetur, tunc differentia, in omni materia sine difficultate hanc regulam applicabit, par enim est ratio de omnibus materijs; si enim cognoscas genus & differentiam rei (quæ cognitio non ad Logicam primariò, sed ad alias scientias pertinet) tanta erit difficultas unum post aliud ponere, quanta in serto aut corolla florum unum florem alteri subtexere. Quodsi aliqua difficultas appareat, illa non tam erit ex parte usûs, & applicationis Logicæ, quàm quia termini non satis intelliguntur, aut non satis constat de vero genere, & differentia, quæ tamen difficultates non à Logica, sed alijs scientijs vincendæ sunt, quarum est materiam Logicæ præparare; nec enim est Pictoris tabulam polire, aut telam texere, quas coloribus imbuit; nec sculptoris marmor cædere & æquare, cui figuram insculpit. Sicut ergo, qui artem pulsandi citharam callet, sine novo habitu, & eburneam, & buxeam, & cypressinam pulsabit, quia in omnibus eodem modo, & arte proceditur; & qui per artem sigillo figuram aliquam impressit, sine alia arte quamlibet ceram figurabit, quia applicatio sigilli ad ceram extra omnem difficultatem est; ita & Logicæ præcepta cùm in omni materia, Philosophica, Theologica, Mathematica, &c. eodem modo applicentur, nulla in hac applicatione, aut modica difficultas est, & quam intellectus præceptis Logicæ instructus facilè superabit.

IV. *Objicitur* 1. Experientiâ constat, eos, qui optimè præceptis Logicis instructi sunt, si exercitio, usûque careant, difficilè argumentari, dividere, &c. exercitatos verò facilè; ergo alia difficultas est in theoria, alia in praxi, per distinctos habitus vincenda: & hoc est omnibus artibus commune, in quibus sæpissimè habitus theoricus & regularum est sine habitu usuali, ut in Musica, in Saltatoria, in Militari patet.

℞. Difficultatem, quam in usu Logicæ patitur, qui aliàs regularum peritissimus videtur, oriri *vel* ex materia *circa quam* non satis notam, *vel* quia terminos non satis intelligit, ut si jubeas Logicum definire *lineam parallelam*, *diametralem*, *diagonalem*, aut de linea recta demonstrare, quòd super ea triangulus æquilaterus describi possit.

Rursus. Difficultas in usu sæpe provenit ex defectu theoriæ, quòd hæc videlicet sit tantùm generalis, & ignoret circumstantias particulares, sicque difficultas in usu redundat in ignorantiam, & imperfectionem Logicæ Docentis, v. g. siquis hoc axioma Mathematicum, *Omnes lineæ de centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales*, indistinctè intelligat de omni linea etiam curva, non mirum fuerit, si lineas aliquas ad circumferentiam ducat, quæ sint inæquales; sed hic error priùs in theoria quàm usu fuit.

Denique si theoriæ, & doctrinæ usus non accedat, illius habitus paulatim ignorantiâ, & oblivione corrumpitur, usu verò, ac exercitio intenditur, & intellectus repetitis operando cognitionibus magis semper, magisque clarescit, & perficitur, ipsæque species, quæ otio latebant, usu agitantur, semperque in promptu sunt, hinc facilitas. Patet ergo, difficultatem, quæ in usu Logicæ est, non ex defecth habitûs usualis Logici esse, qui semper est, ubi habitus Logicæ Docentis, sed aliunde; Facilitatem verò non ex novo habitu, qui ex usu oriatur, sed ex alijs causis, & quia usus impedimenta, quæ theoriæ, & operi obstant, amolitur: & ideo sæpè amisso habitu videmus intellectum subinde magnâ facilitate ex usu paratâ in opus micare; sicut corpus amissâ animâ adhuc vibratur; & sole in occasum merso lux aliqua, & crepusculum restat; & mare, quamvis venti & tempestas cesserint, adhuc undas, & fluctus agit; hoc pacto multi docent habitum Theologiæ hæresi amitti, & tamen facilitas disputandi de rebus Theologicis hæreticum non deserit. Hæc omnia eò dixi, ut intelligas, non semper ubi est aliqua difficultas, ibi esse novum habitum, quo vincatur; & ubi nova facilitas est, novum esse habitum facilitatis causam, possunt enim facilitas, & difficultas ab habitu separari, ut ostendi. In alijs verò artibus, quarum exempla in objectione proposita sunt, magna disparitas est: habitus enim doctrinalis saltandi, sculpendi &c. in intellectu est, habitus verò usualis in pedibus, & manibus; cùm enim ex istorum motu artificioso opus pendeat, & hic motus magnam habeat difficultatem, opus fuit aliquo habitu, quo hæc difficultas superaretur, & ea membra artificiosè moverentur. Quod maximè in motu voluntatis patet. Ut enim vo-

voluntas ad bonum moveatur, non sufficit habitus theoricus, synesis, & Eubuliæ ad bene consultandum, & judicandum, sed insuper opus est novo, & distincto habitu Prudentiæ, quo voluntas ad agendum impellatur. *S. Th. 2. 2. q. 51. a. 2.* quia tota difficultas consistit in applicatione voluntatis ad opus (quam Prudentia per actum imperij exercet) ex hac enim opus ipsum sequitur, & relinqui debent omnia delectabilia operi virtuoso repugnantia; & ideo imprudentior est, qui volens peccat, quia deficit in principali actu prudentiæ, qui est voluntatem applicare: econtrà in arte melior reputatur artifex, qui volens peccat, quasi habens rectum judicium, quàm qui nolens, quia recto judicio caret, quod in arte præcipuum est. Vide S. Th. 2. 2. q. 47. a. 8. Cùm ergo Logica sit ars, & tota eius perfectio, ac difficultas superanda non sit ex parte applicationis, sed rectæ cognitionis, & directionis, quod pertinet ad Docentem, sequitur, non esse alium & distinctum habitum Utentis.

Objicitur 2. Habitus dantur non solùm ad difficultatem aliquam superandam, sed etiam ad majorem facilitatem comparandam: sed usu argumentandi, &c. major facilitas comparatur, quàm solâ doctrinâ, & theoriâ regularum, ut experientiâ patet; ergo ad hanc majorem facilitatem, quæ ex usu nascitur, admittendus erit habitus Logicæ Utentis à Docente distinctus. *Major probatur; tum* quia facilitas major & major acquiri potest: *tum* quia in Demonstratione assentimur præmissis per habitum principiorum, Conclusioni per habitum distinctum scientiæ, & tamen dato assensu præmissis nulla est difficultas assentiri etiam Conclusioni, imò hic assensus necessariò ex assensu præmissarum sequitur; ergo non ideo negari debet novus habitus, ubi non reperitur nova difficultas.

℞. 1. Jam suprà notavi, majorem facilitatem ex usu, & exercitio natam non deberi novo, distinctóque habitui, sed alijs causis.

2. Si toties sit novus habitus, quoties major & nova facilitas est, cùm hæc in dies, in horas usu crescat, infinitos habitus poni oportebit, & vix animus capiet. Major ergo illa facilitas ex uno habitu provenit, sed non per quemlibet actum,

ſed per actum uſûs propter cauſas nuper allatas: uſus enim auget habitum theoricum, & cognitionem circa particularia, ex qua facilitas operandi eſt.

3. Argumentum ex habitu ſcientiæ petitum nimium probat, videlicet etiam ad actum neceſſarium dari habitum, cur ergo non etiam in oculo habitus videndi admittitur? quàm enim oculus colore per lucem profuſo, palpebrísque diductis neceſſariò videt, tam intellectus poſito præmiſſarum aſſenſu neceſſariò Concluſionem infert. Ideo ergo habitu ſcientiæ Intellectus opus habet, quia aſſenſus Concluſionis licet neceſſarius, non tamen eſt purè naturalis: & quia Concluſio non eſt ſimplex cognitio veritatis concluſæ, ſed ut connexæ cum ſua cauſa neceſſaria, bonáque conſequentia, ad quam connexionem tum conſequentis tum conſequentiæ cognoſcendam habitus ſcientiæ datur; v. g. in hoc Syllogiſmo: *Omnis pars ſicut habet formam totius, ita, niſi impediatur, habet proprietatem totius (tam enim ſcintilla ignis lucet, & calet, quàm totus ignis) ſed gutta eſt pars aquæ, & globoſitas, & antipathia cum qualitatibus oppoſitis ſunt proprietates aquæ; ergo gutta aquæ cùm à vaſe non prohibetur, naturaliter conglobatur, & hâc ipſâ conglobatione magis fugit qualitatem oppoſitam ſicci, quod in minima ſui parte tangit, magis tactura, ſi aliam figuram, quàm globoſam haberet.* In hac, *inquam*, Demonſtratione non ſolùm cognoſco, formam naturaliter ſuas proprietates appetere, & globoſitatem eſſe proprietatem aquæ, & guttæ, ſed etiam guttam conglobari, quia conglobatio eſt ejus proprietas, eiúsque conſervationi à contrarijs neceſſaria; & ad hanc connexionem, quæ reperitur inter effectum, cauſamque cognoſcendam, neceſſarius eſt habitus ſcientiæ diſtinctus ab habitu principiorum.

Objicitur 3. Logica Utens eſt habitus practicus, & operativus, Logica Docens ſpeculativus: ſed non poteſt unus idémque habitus ſpeculativus eſſe, & operativus, cùm & objectum & modus tendendi ſit diverſus; ſpeculatio enim eſt analytica, & reſolvit in cauſas; operatio eſt compoſitiva, & applicativa, hoc eſt, formam inducit, & applicat materiæ: ex diverſo autem objecto, & modo tendendi habitus ſpecificantur.

℞. I.

℟. 1. Non repugnare unum, eundémque habitum esse principium operandi, & speculandi, maximè cùm speculatio, & operatio subordinantur; nam eadem forma est principium essendi, & agendi, idem intellectus & objectum contemplatur, & voluntatem applicat ad agendum: eodem modo eadem est Logica, quæ intellectum per regulas inclinat, applicátque ad usum regularum; nec modus practicè & speculativè procedendi inducit distinctionem habitûs, quia ille modus tantùm accidentaliter, & ex parte actuum differt, sub uno tamen specificativo, & *ratione formali*; ipsa enim v. g. actualis confectio Definitionis est actualis directio ad effectum cognoscendæ veritatis, & ita proximè, & principaliter cadit sub objectum Logicæ: hæc ergo, sive doceat regulas tradendo, sive utatur, easdem applicando, semper intra suam sphæram, & circa idem centrum vertitur, & ideo est unus habitus. Sic motus circularis est unus, & simplex, quamvis contrarius, alijs circuli partibus sursum, alijs deorsum actis, sed circa idem centrum. Sic visio albi, & nigri specie differunt, & contrarijs modis in objectum eunt, disgregando videlicet, & congregando, tamen ad eandem potentiam pertinent, propter eandem visibilis illustrati rationem. *Esto* igitur operatio, & speculatio sint actus specie distincti, uterque tamen dirigit, uterque est instrumentum indagandæ veritatis, uterque igitur sub hac ratione convenit, pertinétque ad eundem Logicæ habitum, cujus natura est, dirigere, & instrumenta intellectui parare.

2. Usus Logicæ non videtur actus distinctus ab ipsa regula, hoc est, actu repræsentante modum conficiendæ v. g. definitionis; hâc enim cognitione positâ intellectus sufficienter instructus, & paratus est, ut definiat, modò materia illi non desit ab alijs scientijs proposita. Exemplum est in intellectu, cujus officium est, dirigere, & movere ad opus voluntatem, nec alio modo magis illam movet, applicátque, quàm objectum, ejusque bonitatem clarè ostendendo, & quò clarior est cognitio, minórque in objecto difficultas, quæ amori obstet, eò faciliùs voluntas, fortiúsque movebitur, ut amet. Sic Logica eodem actu, quo regulam definiendi clarè, & æquè in omnibus

conjuncta, quæ ad scientiam necessaria est, ipsa tamen forma syllogistica, quam Logica præbet, & modus ipse ex probabilibus argumentandi certi sunt, & certis regulis substant: quamvis enim non sit certum, *omnem patrem diligere filium*, & amorem ex similitudine nasci, est tamen certum, utrumque esse valde probabile, & utrumque prudenter, ac sine temeritate credi posse: quemadmodum licèt sit contingens, navim ad portum pervenire, non tamen sunt contingentes regulæ, quibus navis ad portum dirigitur, sed necessariæ, pertinéntque ad veras scientias Astronomiæ, Geographiæ, Hydrographiæ, &c. Tota ergo difficultas est cùm Logica procedit ex principijs probabilibus *elicitivè*, hoc est, proprijs, & in hoc etiam casu Logicam Docentem & Utentem non distingui, sed ipsum actum opinativum ab habitu Logicæ esse

Probatur 1. Quia opinio sive cognitio ex probabilibus est imperfecta demonstratio, hoc est, dispositio, & via ad demonstrationem, ut eleganter notat S. Thom. Opusc. *70. q. 6. a. 1.* Sed non repugnat ab eodem agente prodire effectum perfectum, & imperfectum, dispositionem, & formam, imò quotidie videmus id evenire; & sæpe generans producit tantùm embryonem; & ab eodem habitu fidei est ipse actus fidei, qui obscurus est, & actus evidentis cognitionis, quòd objectum credendum sit credibile. Cur ergo non possit ab eodem habitu scientiæ procedere Syllogismus demonstrativus, & opinativus, quamvis hic dubius, ille certus sit? nec enim sibi magis opponuntur dubium, & certum, quàm evidens, & obscurum.

2. Et à priori, quia specificativum scientiæ est objecti scibilitas ex causis certis, vel disponentibus ad certa (sic enim salvatur, scientiam semper de certis esse) sicut objectum fidei est obscurum, vel disponens ad assensum obscuro dandum, quo modo etiam credibilitas objecti, quæ evidens est, ad fidem pertinet; & forma perfecta tribuit effectum formalem tam perfectum quàm imperfectum, v. g. eadem anima rationalis esse animalis, & esse hominis.

3. *Denique*, quia nulla ferè est scientia, quæ præter demonstrationes non etiam abundet discursibus ex merè probabi-

 libus,

libus, ut in Physica, Astrologia, & Theologia patet; cur ergo hoc Logicæ negemus? si probabilia ex scientijs demas, vix duobus folijs omnes libri constabunt.

VI. Objicitur 1. S. Th. 4. *Metaph. lect.* 4. Ubi dicit, Logicam in parte demonstrativa usum non habere, sed tantùm in Topica.

℞. Usus ex principijs demonstrativis, & necessarijs, quoad materiam Logicæ non convenit, sed alijs tantùm scientijs, quæ materiam præbent, & ideo demonstrationes alijs scientijs magis, & principaliùs adscribuntur, quia forma Logica est merè accidentalis, & instrumentaria cognoscendæ veritati, & scientia, quæ est effectus Demonstrationis, magis ex materia, quàm forma pendet, potest enim sine forma syllogistica unius vel alterius veritatis scientia comparari, sed non absque eo, ut causa necessaria eius veritatis cognoscatur. In parte verò Topica & forma, & materia ad Logicam pertinet, utitur enim proprijs principijs.

Objicitur 2. Usus Logicæ non est scientificus, non ergo pertinet ad habitum scientificum Logicæ, sicur nullus actus, qui non est visio, pertinet ad potentiam visivam. *Antecedens probatur*, quia Usus non examinat causam, cur aliquid sit, aut non sit, sed tantùm applicat formam materiæ; & fertur in opus.

℞. 1. Ex dictis, non oportere omnem actum, qui à scientia est, scientificum esse, sufficit, ut sit dispositio, aut exercitium scientiæ, aut ad hanc alio modo referatur, quia forma practica & artificialis non tantùm versatur circa finem, sed etiam circa media ad finem: & artis pictoriæ non tantùm est pingere, sed etiam colores miscere; & potentiæ visivæ non tantùm est videre, sed etiam species ad videndum recipere.

2. Jam suprà dixi, eundem actum, & regulationem Logicam intellectui servire pro applicatione usúque activo; eodem ergo pacto, quo doctrina, ita usus dici potest scientificus, hoc est, in suas causas necessarias resolubilis.

§ V.

§. V.

Logica eſt Scientia.

Summaria.

1. *Logica eſt Scientia propriè, & ſtrictè loquendo.*
2. *Diſſolvuntur objectiones.*
3. *Logica eſt vera pars Philoſophiæ.*



Rænotandum. De vera ſcientia nobis ſermonem eſſe, an videlicet Logica ſit habitus inclinans ad cognitiones de ſuo objecto certas, evidentes, & per cauſas neceſſarias? hoc enim eſt propriè ſcire; namut res eſt per cauſas, ita per cauſas ſciri debet. Nulla quidem ſcientia de ſeipſa probat, quòd ſit ſcientia, aut quòd circa hoc illúdve objectum verſetur; ſolius enim eſt intellectûs eſſe reflexivum, & ſcientia eſt de alijs, non de ſeipſa, ſuámque eſſentiam non probat, ſed ſupponit: ſicut oculus non eſt ad oculum, ſed ad colorem. Pertinet ergo ad ſcientiam univerſalem, quæ rerum eſſentias examinat, quærere, an Logica, an Phyſica ſit ſcientia? idque procedendo, *vel* ex principijs magis univerſalibus, *vel* ex conceſſis, *vel* deducendo ad impoſſibile, *vel denique* ab effectibus per ſe notis, quique ſub experientiam cadunt. Sic in anima datur aliqua potentia, ſenſus communis,

qui de actibus, & objectis singulorum sensuum judicat; nam & intellectus, & sensus communis feruntur circa omne sensibile.

I. *Quæritur* 1. An Logica sit Scientia? *Resp.* Logica est propriè, & strictè loquendo scientia.

Probatur 1. Scientia est habitus faciens de objecto suo demonstrationes per causas necessarias; talis autem est Logica: de Definitione enim demonstrat, quòd debeat esse clarior definito, quia obscurum per æquè obscurum non explicatur, sed per magis clarum: quòd non debeat includere definitum; qui enim dicit, Homo est homo rationalis; Linea recta est, quæ recta ducitur; explicat idem per idem, obscurum per æquè obscurum, & ideo non explicat, sed implicat potiùs. De Divisione demonstrat, quòd partes dividendæ debeant esse oppositæ, & quarum una non sit alia, quia dividere est totum in partes plures secare: at quæ non distinguuntur, non sunt plura, nec partes; Quòd Divisio, ut sit perfecta, debeat omnes partes complecti, *quia totum divisum identificatur cum omnibus partibus simul sumptis, ergo nec excedere partes, nec excedi ab illis potest*. De Propositionibus demonstrat, *quòd duæ contradictoriæ non possunt simul esse veræ, quia non potest idem esse & non esse*. Duas contrarias non esse veras, quia sequeretur duas contradictorias esse veras; si enim istæ duæ: *Omnis homo peccat, nullus homo peccat*, veræ sunt; ergo etiam istæ: *Omnis homo peccat, non omnis homo peccat*; quæ sunt contradictoriæ. De Syllogismo demonstrativo probat, *quòd* pariat scientiam, quia est cognitio per causam. De Topico *non parere scientiam, quia non tradit causam necessariam: esse conjunctum formidini, quia non ex certis parari potest*. De Syllogismo Sophistico, *inducere in falsum, quia constat ex falsis, quæ apparent vera*, & hinc errorem, intellectu veri specie decepto. Patet ergo, Logicam in omni sui parte demonstrativam, & ideo scientiam esse.

2. Si Logica non est scientia, ergo nulla est scientia; scientiæ enim demonstrationibus acquiruntur, demonstrationes autem sola Logica facit, earúmque consequentias certas esse ostendit, & bonas à malis distinguit: Si ergo demonstrationes

fa-

facit, & certis, ac infallibilibus regulis consequentias probat, certè scientia est, quid enim aliud est scire?

3. Etiam ubi agit de Syllogismo Topico, Logica est scientia, quantò magis ubi de Demonstrativo, & necessario? *Antecedens probatur.* Quia licèt id, quod est probabile, non sit certum, & ideo nec scibile, ipsa tamen probabilitas certas causas habet, certis causis ostendi, certisque regulis indagari potest. Non est certum, patrem à filio amari, certum est, hoc esse probabile, certum etiam est, hoc fieri solere, ergo probabilitas potest esse objectum scientiæ. Sicut hæc propositio: *Non est Deus*, est falsa, & ideo nec sciri potest, ipsa tamen falsitas demonstrari, & sciri potest.

II. *Objicitur* 1. Si Logica est scientia, quia Demonstrationes aliquas facit, multò potiùs erit dicenda opinio, quia multò plures habet dubias, quàm certas & evidentes Conclusiones: denominatio autem fit à forma prævalente, & defectus ex qualibet parte est: hinc æthiopem absolutè dicimus nigrum, hominem absolutè corporeum, quamvis & ille aliqua ex parte albus sit, & homo meliori ex parte incorporeus.

℞. 1. Hoc Argumento siquid probet, omnes ad unam scientias tolli; quam enim invenies, in qua non plus dubij quàm certi sit?

2. In Logica quamplurimas Demonstrationes esse, ut suprà ostensum, & hoc sufficere, ut Logica magna ex parte scientia sit; toties enim, nec pluries est scientia, quoties demonstrat.

3. Æthiops & homo denominantur à forma denominante: homo enim cùm sit compositum, & forma essentialis compositi, quà talis, sit unio, hæc cùm sit corporea & corruptibilis, totus homo pro tali habetur. Logica verò est habitus, qui ex actibus similibus generatur, ut ergo ex Demonstrationibus nata est, tota & absolutè Scientia vocatur; nec hanc denominationem impediunt multæ opiniones, quæ Logicæ miscentur, quia, ut suprà ex S. Thoma ostendimus, opiniones disponunt ad Demonstrationem; dispositio autem non impedit denominationem formæ: lignum enim calidum, quamvis disponatur ad ignem simpliciter à sua forma denominatur lignum, quantò magis tale de-

nominaretur à qualitatibus suæ formæ congruentibus? Sic Anima rationalis unico tantùm gradu est rationalis, & duobus gradibus, vegetativo scilicet & sensitivo, irrationalis; & tamen absolutè rationalis dicitur, quia huic uni, illi duo deserviunt.

Objicitur 2. Scientia est de rebus & objectis necessarijs, non verò contingentibus, Logica verò est de contingentibus, de Syllogismis videlicet, Definitionibus, &c. quæ à libera voluntate pendent, nostróque arbitrio fieri, aut omitti possunt.

℞. 1. Si de illis tantùm sit scientia, quæ necessariò existunt, sola Theologia scientia erit, reliquis omnibus sublatis, solus enim Deus necessariò est, reliqua illius arbitrio.

2. Sufficit ergo ad scientiam necessitas complexa, hoc est, tale esse objectum, ut prædicata aliqua necessariò illi conveniant, & ex illo proprietates aliquæ existant per causas necessarias, certásque demonstrabiles. Hæc propositio, *Cras Turca pugnabit & vincetur*, sciri & demonstrari non potest, quia nulla est causa necessaria, ut cras pugnare velit, sciri tamen potest, Turcam si pugnet, hostem esse, quia pugna non est nisi inter hostes. Scire non possum te chartæ triangulum inscripturum, sed si inscribas, scio illum basi & mucrone præditum iri. Eodemmodo Logica non demonstrat Syllogismum à te aut alio factum iri, sed si fiat, tres propositiones, tres terminos, nec meras negativas habiturum.

Objicitur 3. Logica est habitus practicus, ergo non est scientia; operatio enim est de particularibus, cùm hæc sola fieri operando possint: & aliud est facere, aliud scire: hoc causa, illud effectus est: & ex hoc capite artes mechanicæ scientiæ non sunt, quamvis causas suæ operationis necessarias agnoscant; Agricola v. g. in locis Septentrionalibus agrum probat Orienti aut Meridiei obversum, quia calore solis nativum terræ frigus mitigatur. Terra, quæ frequens juncum, carduum, rubum, spinásque fert, serendis frumentis habilis est, quia fœcunda & pinguis est. Pictor colores dissimiles associat, quia magis objectum variant, & oculum movent; remota inumbrat, quia obscurum minùs oculum movet, & ideo remotius apparet. Chirurgus vulnera obligat, quia vincta faciliùs coëunt: aperta ve-

rò

rò frigore & dolore aſperantur, nec cóeunt, &c. En Demonſtrationes in artibus etiam ſervilibus, quæ tamen quia practicæ ſunt, ſcientiarum choro excluduntur.

℞. 1. Eodem modo Philoſophiam moralem contra omnium ſententiam ſcientiam non fore.

2. Ipſa praxis externa & actualis etiam in ſcientijs practicis non eſt ſcientia, quia non eſt cognitio, ſed opus: dici tamen extrinſecè ſcientia poteſt, quia imperatur ab habitu ſcientiæ, & per certas regulas, certámque cognitionem cauſatum dirigitur; ſi enim oratio externa, & vocalis dicitur bona, libera, meritoria, actúsque Religionis, non quia talis in ſe eſt, ſed quia à tali actu interno procedit, influxúmque accipit, cur non eodem modo confectio v. g. globi aſtronomici dicatur actus ſcientificus, quia ab actu ſcientiæ interno pendet, certíſque regulis, ac cauſarum cognitione, quæ Mathematicæ præſtò ſunt? & multò magis hoc locum in Logica habebit, cujus praxes ſunt veræ cognitiones, ut infrà dicetur. Illud verum eſt, ſcientiam practicam, quà talem, minùs mereri nomen ſcientiæ, quia ad opus parum intereſt regulam operandi demonſtrari, ſufficit de veritate experientiâ conſtare: v. g. ut ſuper datam lineam rectam triangulum æquilaterũ conſtituas, aperi circulum, eoque à duobus lineæ extremis punctis duos arcus decuſſim deſcribe, & ubi concurrunt, rectam duc ad puncta datæ lineæ, habebíſque triangulum: multóque citius hunc feceris, quàm ejus demonſtrationem invenias. Eodem modo ut Syllogiſmum facias in Barroco, quid opus eſt ejus bonitatem demonſtrari reducendo ad impoſſibile? Ut ergo bene openeris, oportet quidem regulas operandi callere, ſed parum, aut nihil intereſt operis, eas demonſtrari, intereſt autem plurimùm intellectûs, qui nunquam quieſcit, nec certus eſt niſi veritate demonſtratâ, hîc illi centrum.

3. Artes mechanicæ rarò & in paucis cauſas immediatas & univerſales ſui operis aſſignare poſſunt, ſed experientiæ, aliorúmque teſtimonijs acquieſcunt, quæ per ſe fallacia ſunt, nec enim experientia eſt omnium, ſed paucorum caſuum. Si tamen tales artes reſolvant in cauſas primas, & immediatas ac pro-

proprias, non tam ipſæ ſcientiæ erunt, quia de cauſis non curant, quàm illæ, quæ demonſtrationes ſuggerunt.

Objicitur 4. Si Logica eſt ſcientia, ergo per Demonſtrationem acquiritur: ſed acquiri non poteſt per Demonſtrationem, alioquin ante Logicam erit alia Logica, quæ Demonſtrationes doceat, & ſic in infinitum.

℞. In omnibus motibus artificialibus dari aliquem terminum, qui non ab arte, ſed à natura ſit, hanc enim ars ſupponit. Sic videmus artes pictoriam, nauticam, medicam à natura cœpiſſe, primam videlicet imaginem ſine arte ductam: primam navim ſine arte gubernatam: primam medicinam ſine arte adhibitam, ſolo naturæ impulſu, paulatim experientiâ matre, longáque obſervatione ab intellectu regulæ operandi inventæ, cauſæ regularum deprehenſæ, & ſic artes partæ. Eâdem ratione primam Demonſtrationem, & argumentationem ſuâ ſponte, & naturâ Intellectus fecit: tum obſervavit cauſas, cur bene concluderet, deinde regulas collegit univerſales, quibus ſi Demonſtratio reſponderet, ſemper & neceſſariò concluderet, & tandem ex principijs naturaliter notis earundem regularum infallibilitatem demonſtravit. Sicut ergo ſegetem agriculturæ debemus, ſed primum ſemen naturæ, ita inſtrumenta ſciendi Logicæ, ſed primas Demonſtrationes, aliarum ſemina, naturæ; hanc Logicam naturalem, quæ ipſe Intellectus eſt, illam artificialem appellamus; non ergo itur in infinitum, primas Demonſtrationes intellectu naturaliter ſuggerente.

Objicitur 5. Si Logica eſt ſcientia, ergo in hoc Syllogiſmo, ***Omne quod conſtat contrarijs qualitatibus, eſt corruptibile: omne mixtum conſtat contrarijs qualitatibus; ergo omne mixtum eſt corruptibile***, concluſio ad duas ſcientias pertinebit, Phyſicam & Logicam: ad hanc reſpectu *conſequentiæ*: ad illam reſpectu *conſequentis*. Ergo concluſio erit duplex actus, & duplex ſcientia.

℞. In concluſione una duas reperiri perfectiones, & quòd ſit vera, & quòd ordinata, ritéque ex præmiſſis deducta: primum à Phyſica habet, ſecundum à Logica; non repugnat tamen, unicum & ſimplicem actum eſſe à duabus cauſis & ſecundùm diverſas perfectiones productum. Sicut amor Dei eſt ab Intellectu, & à voluntate,

luntate, ab habitu fidei & habitu charitatis: & hoc maximè in artefactis procedit, in quibus aliunde est materia, aliunde forma.

Objicitur 6. Nulla Scientia est de re inutili: sed Logica dum modum argumentandi & faciendi Syllogismos docet, videtur agere de re inutili. Qui enim novit, *quòd omnis homo sit animal*, nullo Syllogismo opus habet, ut cognoscat, *etiam Petrum esse animal.* Qui novit, *nullum animal esse lapidem*, novit etiam *leonem non esse lapidem:* tam enim hæc universalis *omnis homo* includit Petrum, quàm triangulus includit unum angulum. Sicut ergo nullo Syllogismo opus est, ut cognoscas triangulum habere unum angulum, ita nullo Syllogismo opus est, ut intelligas, in propositione universali particularem includi; tam enim particularis est pars universalis propositionis, quàm angulus est pars trianguli.

℞. 1. Hoc Argumento, si aliquid probet, tantùm probari, formam Syllogisticam necessariam non esse, non verò tam multa alia, quæ de materia, de præcognitis, de medio Demonstrationum, de conditionibus scientiæ, de terminis, propositionibus, divisione, definitione in Logica traduntur.

2. Multa utiliter in Logica tractari, quæ non tam sunt necessaria veritati intelligendæ, quàm obstinatis & pertinacibus animis, qui veritatem oppugnant, convincendis, & confundendis, ut ab omnibus pro victis habeantur. Helleborus ut medicina, est tantùm delirantibus, ita forma Syllogistica veritatem imprudenter negantibus, qui non tantùm vincendi sunt, sed etiam ligandi, palamque ne noceant traducendi, hoc Syllogismus facit.

3. Etsi in materia per se clara & omnibus exposita Syllogismus non adeò necessarius sit, est tamen in materia minùs obvia magisque obscura. Nocte his facibus non meridie opus est. Exemplis declaro. In his propositionibus, *Omne corpus debile & exhaustum brevi vivit: Omne corpus calidum excrementis abundat: Omne metallum quod minus igni resistit, magis evaporat, leviusque evadit:* quis unquam in hisce inquam propositionibus universalibus istas particulares cognosceret? ergo passeres brevi nec ultra annũ vivunt; ergo aves plumis abundant; ergo plumbum liquefactum argen-

to liquato innatat; & tamen si formam Syllogisticam adjungas, consequentiæ sunt clarissimæ hoc modo: *Omne corpus debile & exhaustum brevi vivit, sed passeres sunt corpore debili & exhausto, ergo, &c.* *Minor probatur*, quià sæpe, & intra horam vigesies fœminæ junguntur, unde virium, & caloris nativi dissipatio: Omne corpus calidum excrementis abundat, sed aves sunt corpore calido, ergò excrementis, h. e. plumis abundant. *Major prob.* quia calor aperit poros, & ex poris apertis exhalationes, sudores, excrementa. *Minor prob.* quia aves in aëre, quod est elementum calidum, versantur, continuo motu, & volatu ac haustu gaudent, quæ omnia sunt aut effectus aut causæ caloris.

Denique, omne metallum quod igni minùs resistit, magis evaporat, leviúsque evadit, sed plumbum igni minus resistit, ergò magis evaporat, leviusque evadit, & consequenter innatat. *Major* est nota: *minor probatur*, quia plumbum minùs est densum minúsque compactum argento. Vides in hisce exemplis, non semper in propositionibus universalibus tam citò particulares detegi: vides etiam multas esse Syllogismi utilitates; nam

1. Implicita & universalia explicat, & ad magis particularia reducit; longè verò magis explicata, & particularia intelliguntur, quippe magis clara, & in sensum cadentia.

2. Multa in ordinem redigit, ut appareat, quid negari, quid affirmari, quid distingui, quid probari debeat.

3. Adversarijs os claudit; dum enim singula distinguit, dum unum post aliud affirmandum aut negandum proponit, facilè convincit, & convictos ostendit, unde illis aut pudor aut contemptus, aut fœdus cum veritate. Hinc hæreticorum in Logicam odia & calumniæ; ut enim vespertiliones in obscuro volant, ad lucem fuguntur, sic illi noctem & obscurum amant, claritate, quam Syllogismus inducit, vincuntur.

Objicitur 7. Syllogismus Topicus, & Sophisticus disponere possunt ad falsum (Syllogismo enim Topico, & probabili subesse potest falsum; Sophistico subest) ergo Logica, quâ parte de illis agit, non est scientia, hæc enim essentialiter est ad verum.

℞. Opi-

℞. Opinionem utique non esse scientiam, ut probat Argumentum, sed ars, quæ argumenta & regulas ritè opinandi tradit, scientia est, quia illæ regulæ sunt infallibiles, & extra omne periculum; quamvis enim opinioni probabili falsum subsit, ipsa tamen opinio semper probabilis est, & semper eodem motivo probabili manente verum est dicere; hæc propositio est, aut fuit probabilis. Objectum ergo Logicæ Topicæ non est veritas objecti, sed vera eius probabilitas ex causis necessarijs orta. Syllogismi Sophistici objectum est falsum, sed modus eum contexendi, deprehendendi, solvendíque est verus, certus, certísque regulis constat, & ut sic ad Logicam pertinet; nam etiam falsum sciri potest: quis enim nescit, hanc propositionem, *Nix nigra*, falsam esse? si ergo apertè falsum sciri potest, quantò magis apparenter verum? & de hoc est Paralogismus.

Objicitur 8. Instrumentum non potest ejusdem cum suo opere naturæ esse; nec enim instrumentum, quo statua conficitur, est statua; instrumentum, quo imago pingitur, est imago; ergo Logica, quæ aliarum scientiarum instrumentum est, non est Scientia.

℞. 1. Majorem falsam esse, nam sigillum est imago, & instrumentum imaginis. Definitio, Divisio, Syllogismus, &c. sunt instrumenta cognoscendæ veritatis, & simul cognitiones, quid ergo obstet Logicam & scientiam & instrumentum sciendi esse?

2. Logica non est instrumentum scientiarum, sed ipsius intellectûs, hic enim Logicâ utitur. Quemadmodum malleus non est instrumentum clavis aut gladij, sed fabri: penicillus non est instrumentum imaginis, sed Pictoris: calamus non instrumentum chartæ, aut scripturæ, sed scribentis, &c.

III. *Quæritur secundò.* An Logica sit vera pars Philosophiæ?

℞. *Affirm. Ratio est* 1. Philosophia est cognitio rerum ut sunt per suas causas: sed Logica est talis cognitio; mentis enim operationes, earúmque dirigibilitas, & ipsa sciendi instrumenta sunt res aliquæ, habentque causas necessarias quibus sunt, & regulas quibus fiunt, quo modo ad Logicam pertinent.

2. Ethica ex omnium ſententia eſt pars Philoſophiæ, ergo & Logica: Ethicæ enim objectum ſunt actus voluntatis, Logicæ actus intellectûs, qui magis neceſſarij, & majorem ad ſcientiam proportionem habent, quàm illi. Ethica dirigit, nec minùs Logica. Ethica regulas bene operandi, Logica benè cognoſcendi præſcribit; non ergo eſt ratio, cur Ethica magis quàm Logica pars Philoſophiæ ſit.

3. Sicut manus eſt inſtrumentum, & pars corporis: malleus inſtrumentum, & opus fabri, ita non repugnat Logicam eſſe partem, & inſtrumentum Philoſophiæ: quamvis, ut ſuprà notatum, non tam ſit inſtrumentum Philoſophiæ, quàm intellectûs philoſophantis; ſicut penicillus non picturæ inſtrumentum eſt, ſed pingentis.



§. VI.

An Logica ſit Scientia Practica?

Summaria.

1. *Rerum nomina non facilè mutanda eſſe: & quid praxis ſecundum Scotum, & alios ſignificet, & quæ conditiones ad praxin neceſſariæ?*
2. *Diſcrimen inter Practicum, & Speculativum.*
3. *Idem habitus poteſt eſſe ſpeculativus, & practicus.*
4. *Solvuntur objectiones.*
5. *Logica licèt quoad modum verſandi circa objectum ſit practica,*

practica, strictè tamen loquendo est simpliciter speculativa.

6. Solvuntur objectiones.

I.

P*Ranotandum* 1. Hanc quæstionem multis de nomine videri; non ideo tamen parvi momenti esse; error enim nominis est error rei, cùm enim nomina sint notæ ac characteres rerum, nihil facilius est, quàm errorem nominis in rem transire. Si equo nomen bovis imponas, facilè alius inferet; Ergo equus habet cornua. Si nuci nomen cedri, ergo, dicet aliquis, nux cariem & vermes non admittit, quod falsum est. Si vasorum & pyxidum inscriptiones in Apotheca varies, quanta confusio? errores, pericula in medicinis. Prima hæreticorum tessera fuit; voces mutare, sed non minùs constanter à Catholicis pro vocibus quàm rebus certatum est, & ideo Ecclesia adduci nunquam potuit, ut nomina *Homousij*, *Deipara*, *Hypostasis*, *Transubstantiationis* mutaret, hæreticis frustra clamantibus, Ecclesiam unius vocis gratiâ turbandam non esse, sed videbant Catholici, à vocibus rem ipsam pendere, & facilè corrupto cortice totam plantam periclitari. Eadem ergo vocum quæ nummorum conditio est; tanti valent quanti taxantur, nec tam illis à metallo pretium est, quàm ab æstimatione usúque hominum.

Pranotandum 2. Praxin latè acceptam omne opus significare, tam videlicet actionem, quæ nihil post se relinquit, quàm factionem, cui opus externum respondet, tam actum immanentem, quàm transeuntem; tam Intellectûs, quàm voluntatis, quo modo non est dubium, Logicam esse habitum practicum, cùm aliquid operetur. Sed nos de praxi quærimus prout speculativo opponitur, & prout communiter habitus intellectuales

ales in ſpeculativum & practicum dividuntur, tanquam in ſpecies oppoſitas, & quærimus, quid ſit eſſe ſpeculativum, & practicum, & quomodo unum ab alio diſtinguatur? Scotus definit praxim, quòd *Sit actus alterius potentiæ quàm intellectus, poſterior intellectione, & natus elici conformiter rectæ rationi.* Hæc Definitio non excludit omnes actus intellectûs, ſed tantùm purè intellectivos; nam actus prudentiæ, quamvis ad intellectum pertineant, quia tamen ſupponunt liberam voluntatis electionem, & ab hac moralitatem induunt, non ſunt purè intellectuales, & praxes dici debent. Vult Scotus, praxin eſſe conformem rectæ rationi, abſtrahendo tamen à rectitudine morali, & artificiali, actus enim qui neutram rectitudinem habet, dici adhuc poterit praxis, ſed non perfecta, quia ſicut ratio aut Syllogiſmus non rectus, perfectus non eſt, ita nec praxis. Alij cognitionem practicam dicunt, *ex vi cujus poteſt voluntas imperare objecti productionem.* Alij, *cognitionem practicam eſſe, quæ verſatur circà objectum operabile modo operabili.* Alij, *cognitionem practicam eſſe cognitionem judicantem, quòd bonum eſt facere aliquod opus poſitum in poteſtate cognoſcentis, quod non ſupponit ut factum*: Alij: *Cognitio practica eſt, quæ proximè dirigit cognoſcentem ad operandum.*

Prænotandum 3. Tria antiquis Græcis, qui accuratiſſimè ſoliti ſunt rebus ſingulis ſingulas voces aptare, nomina fuiſſe, quibus ſolebant habitus intellectuales diſtinguere, videlicet θεωρίαν, πρᾶξιν, ποίησιν, quæ Quintilianus *l. 1. c. 18.* Latinè reddidit Contemplationem, actionem, factionem. Ariſtotelem quod attinet, negari haud poteſt, praxin propriè ab eo vocatam, quæ aut eſſet actus liber voluntatis, aut ſaltem liberè à voluntate imperaretur. *Activorum*, inquit, *in agente electio eſt l. 6. Metaph. c. 1.* & paulò pòſt: *Idem agibile quod eligibile.* Et *6. Eth. c. 2. Cogitationis practicæ veritas eſt, quæ appetitui recto conſentanea eſt.* Et 3. *de Anima c. 10. text. 49. Intellectus extenſione fit practicus*: non extenditur autem intellectus, niſi actus alterius potentiæ dirigendo. Illud ipſum axioma ſæpe repetit S. Th. *1. 2. q. 59. a. 1. ad 1.* & *2. 2. q. 47.* & *51. a. 2. ad 3.* & *1. p. q. 79 a. 11.* & *q. 14. de verit.*

Prænotandum 4. Ex allatis ſuprà definitionibus multa inferun-

tuntur, ex quibus natura cognitionis practicæ & speculativæ magis illustratur], quæ hîc in unum fascem colligam, & breviter examinabo.

1. Praxis debet aliquo modo libera esse, & ita à voluntatis electione pendere. Bruta multa operantur & cognitione ducuntur, quæ tamen defectu libertatis practica dici non potest. Cùm cognosco actus, quibus vegetor, nutrior, augeor, &c. non potest ea cognitio practica vocari, quia est de actibus nullo modo à voluntate dependentibus. Ratio est, *tum* quia hoc nomen *praxis* solis actibus aliquo modo liberis Philosophi, eorúmque Princeps Aristoteles tribuerunt, ut ex ipso Aristotele, Scoto & S. Thoma suprà ostendi: nomina verò rebus imposita mutari non debent, nisi omnia confusa velis; nec ullus ampliùs mutatis nominibus philosophandi locus erit; omnia de omnibus dici poterunt: nam si corvo nomen cygni imponas: facilè probaveris corvum esse album, & optimi cantûs. *Tum* quia cognitio intellectûs, quæ nullo modo est à voluntate, est pura speculatio, non ergo est praxis. *Antecedens probatur*; quia sicut intellectus, ita omnes actus intellectivi sunt circa verum tanquam proprium objectum & centrum cognoscibile; ergo in vero quiescunt, ergo sunt actus speculativi, quia speculatio, ut à praxi distinguitur, est cognitio in vero quiescens. *Si dicas*, speculationem, quæ ab alia cognitione per regulas dirigitur & certum ordinem accipit, ut sic vocari posse praxin. *Contrà est*: quia illa ipsa dirigibilitas, & regulabilitas speculationis, cùm est objectum cognitionis puræ & à voluntate non imperatæ, spectatur ut veritas, & centrum actûs intellectivi regulantis; ergo ut in illa quiescatur, ergo non est praxis sed speculatio, cujus essentia est, non egredi verum, sed in illo figi. Deinde si omnis cognitio, quæ dirigit est practica, quæ dirigitur praxis, sequitur nullum esse actum, & habitum intellectivum, qui non sit practicus; omnis enim habitus operatur & effectivè suum actum dirigit, quod plus est, quàm moraliter tantùm operari, ergo habitus physicè in actum influens plus operatur, ergo magis est practicus: & actus qui physicè producitur, magis erit praxis: Si habitus practicus est, qui versatur circa actum ut operabilem,

quis

quis magis ita versatur quàm qui operatur? Et si illa qualitas est practica, hoc est, activa, quæ opus ostendit, quantò magis, quæ facit? aut ergo actus intellectûs praxes non sunt, aut si sunt, omnis habitus, qui illos facit, practicus est. Sed de hoc infrà.

2. Praxis debet rationi subesse ab eáque dirigi, & ideo cùm cognosco modum & rationem, quâ cœli, quâ cor movetur, non est ea cognitio practica, quia motus cœli & cordis rationi non subsunt, nec ab ea pendent.

3. Oportet praxin defectibilem aliquo modo esse, hoc est fieri aut non fieri posse, hoc ipso quòd electionem supponat, & ideo processio Spiritûs S. non est praxis, quia necessaria.

4. Non est cognitio practica, cui non respondet in cognoscente potentia exequendi: cognitio ergo quâ grandinum, fulminum, pluviæ generationem cognosco, practica non est, quia deest mihi potentia illa producendi, esto Naturæ & Deo non desit; alioqui si omnis scientia est practica, quæ est de objecto absolutè, & ab aliquo producibili, nulla jam scientia non erit practica, cùm nihil sit à Deo saltem non producibile. Defectus tamen per accidens non obstat cognitioni practicæ, habitus enim Musicæ etiam in muto practicus est, quia potentia loquendi est muto connaturalis, defectus verò per accidens; ergo habitus Musicæ connaturaliter cum potentia cantandi in muto jungitur, quod ad cognitionem practicam satis est.

5. Requiritur, ut vi illius cognitionis opus sequi possit: v.g. cognosco modum, quo sanguis in corpore humano circulatur, hæc cognitio est de re factibili, & cujus potentia in nobis est, & tamen non est practica, quia vi illius circulatio non sequitur; nam etiamsi nescias, sanguis adhuc circulabitur.

6. Non omnis cognitio est practica, ad quam aliud quocunque modo sequitur, aliàs omnes scientiæ, omnia principia erunt practica. Ex principijs speculativis deduci possunt conclusiones practicæ, v. g. *Omne totum est majus suâ parte, ergo est majus bonum; ergo magis amandum: corpora quæ angulos habent, minùs distant quàm circularia, ergo vulnera angularia faciliùs curantur: in corpore globoso facilior est motus descendenti quàm ascendenti, ergo naves tardiùs à*

portu moventur, *quàm portui vicinæ.* Hæ conclusiones sunt practicæ, pertinentque ad scientias practicas, & tamen ex principijs speculativis deducuntur; non ergo omnis notitia est practica, ex qua aliud sequitur.

Quæres. Quantam ergo oporteat esse inter opus, & notitiam operis connexionem, ut notitia practica dici possit? si enim remota sufficiat, omnis notitia erit practica, quia nulla est tam sterilis, quæ opus parere non possit, ut suprà notatum: Si proxima, multi habitus ab omnibus pro practicis habiti eliminandi erunt, quia non proximè ad opus concurrunt, v. g. habitus Syntheresis, ad quem prima operandi principia spectant, qualia sunt; *malum fugiendum*, *bonum faciendum*, *non peierandum*, *&c.* Sæpè enim hæc generalis notitia sine opere est, nec sufficit movendæ voluntati, non ergo est practica.

℞. Sicut potentia activa illa dicitur, cui ad agendum nihil deest, quamvis non agat, sic cognitio practica dicitur illa, cui ad movendam voluntatem & opus præstandum nihil deest, quamvis actu non moveat, nec opus præstetur. Omnis ergo cognitio repræsentans voluntati bonum amabile, practica dici potest, quia omne bonum natum est movere voluntatem, sicut omne pondus natum est movere gravia: Si motus ex pondere in gravibus,& ex bono in voluntate non sequatur, per accidens est,nec ideo pondus non est pondus, bonum non est bonum, practicũ non est practicum. Sed sicut in potentijs activis datur latitudo, ita ut una causa sit magis activa quàm alia, ita in cognitionibus practicis una magis est practica quàm altera, quia magis proximè ad opus concurrit; & ideò quò magis in particulari & cum pluribus circumstantijs, quæ opus circumstant, cognitio fertur, eò magis erit practica, quia vicinior operi; hoc enim non producitur, nisi in particulari & individuo: hæc ergo cognitio: *Deus hic & nunc*, *cùm occasio*, *cùm voluptas*, *cùm utilitas contrarium suadent*, *amari debet*; magis est practica quàm illa: *Deus est summum hominis bonum*: quia universalia plures exceptiones patiuntur, & minus movent, quia minùs repræsentant, nam & pulchra facies, sed distans, minùs videtur & minùs amatur. Cùm ergo veritas practica sit inclinativa ad operandum, omnes & solæ veritates,

quibus bonum proponitur, sunt practicæ; nec enim homo agit nisi velit, nec vult nisi bona.

Dices: Hæc dictamina: *Extremis remedijs extremi morbi curandi sunt, quia magna vis magnâ vi expugnatur. Æstate magis quàm hyeme à morbis cavendum est, poris videlicet apertis & nativo calore dissipato,* sunt practica, & ad medicinam pertinent, & tamen nihil dicunt de bono; falsum ergo est, tantùm illas esse veritates practicas, quæ voluntati bonum proponunt; licèt enim nemo agat, nisi velit, nec velit nisi bono trahatur, voluntas tamen & bonum sunt causæ tantùm universales, quæ supponunt totam artem, & scientiam practicam, & ideo etiamsi voluntas v. g. curari non velit, medicina adhuc est practica, nec ullus dixerit, voluntatem curandi, aut cognitionem, quod curari expediat, ad artem medicinæ spectare, nam sine omni arte haberi possunt, & ad omnes omnino scientias, artésque similiter pertinent, ut artifex ad opus applicetur.

℞. Cognitionem, & intentionem finis prima esse operandi initia; electionem verò mediorum, quæ proximè ad finem conducunt, etiàm à voluntate esse: sed judicium, quo voluntati media proponuntur, & meliora suadentur, esse ab intellectu, & habitu artis, vel scientiæ practicæ; intellectus enim habitu medicinæ instructus judicat febribus hîc & nunc laboranti optimum remedium esse potionem, quâ ad sudorem, aut vomitum æger provocetur: quod judicium ideo practicum est in Medico, suppositâ curandi voluntate, quia versatur circa objectum operabile, videlicet sanitatem, & quantùm est de se, sufficit, aut saltem conducit, movétque Medicum ad præbendam potionem: semper ergo verum est, cognitionem practicam curare opus suppositâ voluntate, & potestate operandi. Cognitio verò speculativa est, in qua aut voluntas operandi, aut potestas deficit, qualis in Physico est ista: *Sanitas est temperies quatuor qualitatum*: hæc enim cognitio, ut nota ex habitu Physicæ, non dicit ordinem ad potestatem, aut voluntatem curandi, quia Physicæ habitus considerat corpus naturale ut est, non ut factibile est, & ideo de multis agitur à Physico non, facti-

factibilibus; ex objecto ergo formali habet Physica, eiusque cognitiones, ut non sint practicæ.

7. Cognitio, & scientia practica intrinsecè specificatur à proportione, quam habet cum suo fine; quod enim in speculativis est objectum, hoc in practicis est finis: sicut ergo proportio actûs ad objectum intrinsecè actum specificat, ita proportio actûs practici ad finem judicium practicum specificat. Finis tamen extrinsecè specificat tanquam mensura operationis, & communicans sua prædicata cognitioni practicæ; sanitas enim, quæ est finis curationis, est proportio uniformis, difformis quatuor qualitatum: ergo judicium practicum de sanitate reparanda debet ordinari ad hanc proportionem, & remedium proponere illi proportioni efficiendæ.

8. Ut cognitio sit practica, oportet eam esse de materia operabili & modo operabili. Speculatio verò aut non attingit objectum operabile, aut non modo operabili, hoc est, tantùm ut scibile & verum, non ut factibile & bonum. Si ergo principia alicuius scientiæ sint solùm manifestantia veritatem, & ignorantiam fugantia, speculativè procedunt; si autem versentur circa veritatem ut ponendam in esse, practica sunt. Vide S. Thom. *2. Metaph. l. 2.*

11. *Prætereà.* Multis modis speculativum à practico differt. *Primò* Speculativi finis est scire, Practici facere. *Secundò* aliter moventur: nam ad operandum movet bonum, ad contemplandum movet verum; Medicus enim febrienti propinat sudatorium, quia hoc sanitati est bonum seu conveniens. Physicus contemplatur motum cœli, quia veritas ipsa satis per se movet, oblectàtque. *Tertiò.* Practicus compositivè, Speculativus resolutivè procedit, hoc est, conclusionem resolvit in suas causas, v. g. *Ægri luèt debiles minùs esuriunt, quia corpus humido abundat, & huic consumendo, dum calor laborat, minùs excitat appetitum.* Practicus verò componit, hoc est, principia universalia particularibus, formam materiæ applicat, v. g. *Calor naturalis in ægris debilis est, & ideo tarda digestio, oportet ergo modicis cibis uti.* Ubi simul vides Practicum & Speculativum contrariâ ratione ferri: Speculativus particularia in universalia resolvit, Practicus universalia ex parti-

cularibus colligit, nec tam curat, quare aliquid sit, quàm ut sit. *Quartò.* Contemplatio est de opere, quod respectu contemplantis non potest se aliter habere, cùm nihil circa illud faciat. Praxis est de opere, quod respectu operantis potest se aliter habere, facit enim quod prius non erat. *Quintò.* Practicus contemplatur quidem naturam operis, quod molitur, non tamen illic sistit; quia non habet contemplationem, & veritatem pro fine, sed opus in quod habitus, aut notitia practica inclinant. *Sextò.* Habitus practicus est de rebus quas constat, aut saltem suspicio est in nostra potestate esse, ut sint, secùs Contemplatio, quæ subinde etiam ad impossibilia transit. *Septimò.* Alij sunt actus qui ad speculationem, alij qui ad praxin concurrunt. *Primus* enim actus ante ingressum speculationis præsuppositus est, quòd aliqua veritas sit à nostra electione independens. *Deinde* curiositas sciendi & applicatio intellectûs ad inquirendum; inquisitio per excitationem specierum & phantasmatum: inventio & judicium de varijs principijs, quæ suspicamur ad solutionem propositæ quæstionis conducere: tandem inventio veritatis, eiusque scientia, v. g. Luna ideo alijs astris magis sensibiliter influit in corpus, illúdque alterat, quia terræ vicinior, & quia cùm orbem breviorem decurrat, sæpius eundem influxum repetit, sæpius etiam variat ob frequentem cum varijs signis conjunctionem. Ad praxin hi actus deserviunt. *Inprimis*, Judicium saltem suspicativum, quòd opus à nobis pendeat: deinde desiderium opus conficiendi, & applicatio intellectûs ad inquirendum ea, quæ faciendo operi conducunt: postea inventio & judicium de multis quæ conducunt: denique collatio omnium inter se & ultima determinatio vel dilatio determinationis ad tempus. *Octavò.* Processus practicus habet pro fine opus, & ideo omnes illius actus sunt practici: Speculatio habet pro fine scientiam, & ideo omnes illius actus sunt speculativi. *Nonò* Nobilior est cognitio speculativa, quàm practica, non quidem toto genere (cùm detur aliqua cognitio practica, quæ speculationi de re vilissima præstet) sed quia cæteris paribus perfectior est modus rem aliquam speculativè, quàm practicè cogno-

gnoscendi, *tum* quia speculatio est gratiâ sui, ipsa enim veritas & scientia est per se valde appetibilis, & omni etiam utilitate, aut delectatione aliâ sublatâ omnium maximè afficit oblectátque, ut in Physicis, Mathematicis, alijsque patet. Practica cognitio est gratiâ operis, nec tam ipsa est quàm opus quod placet, & ideo magis est servilis, quia non sui, sed alterius gratiâ; *tum* quia speculatio est de veritatibus primarijs, & radicalibus, ex quibus practicæ inferuntur; ex hac enim speculativa veritate; *Deus est perfectissimus*, sequitur illa practica: *Deus est amandus* Tantùm ergo speculativæ practicis præstant, quantum totum suis partibus, causa effectui, altius inferiori: *tum* quia scientia practica est de opere factibili, & consequenter bono, speculativa de objecto scibili, hoc est, vero: sed verum est causa boni (nec enim est bonum aurum nisi sit verum) multóque bono universalius; nam etiam quæ alicui aut omnibus mala sunt, sunt tamen vera: malum venenum, sed tamen verum, & tantò verius, quantò peius. Sicut ergo verum est causa boni, ita veritas speculativa est causa practicæ, sicut visio causa amoris, lux causa caloris; & ideo contemplatio non est inutilis, quia causa operis; *tum* quia objectum speculationis est longè universalius, præteritum videlicet, præsens, futurum, possibile & impossibile. practicæ solum futurum. Speculativa de toto suo objecto est, omnibúsque objecti causis. Practica de minima objecti parte, nec causas curat, aut saltem non resolvit in ultimas. Novit Medicus præsagium mortis esse pulices ægrum deserere, aut vermes adhuc viventes per secessum labi, sed causam ignorat, aut si novit, non illam à medicina, sed à Physica habet; nec multùm interest sanando corpori, eam causam cognosci.

III. *Quæritur* 1. Utrum idem habitus possit esse speculativus, & practicus.

Resp. Non repugnat eundem habitum practicum simul & speculativum esse.

Ratio est 1. Quia idem objectum vario respectu simul est speculabile & operabile, ergo idem habitus poterit esse simul speculativus & practicus. *Antecedens probatur*: nam Deus est

prima veritas & ultimus finis. Sanitas ut est harmonia primarum qualitatum, ut necessariò corruptibilis, ut effectus alimenti, &c. est objectum merè speculabile & Physicæ, quia ut sic non est in nostro arbitrio, nec à nobis pendet, ut sit, vel non sit harmonia primarum qualitatum, &c. Ut verò conservabilis est & reparabilis, est objectum practicabile, & pertinet ad medicinam. *Consequentia probatur*, quia non magis repugnant operabile & speculabile quàm operativum & speculativum; Si illud uni objecto non repugnat, quare hoc uni habitui repugnet? Intellectus est una potentia, & tamen partim est speculativus, partim practicus, cur non idem habitus? Idem actus visionis beatificæ est speculativus, quia circa primum verum, & practicus, quia consecutio ultimi finis, & excitans ad summum amorem; cùm enim cognoscere, & agere sint perfectiones subordinatæ, non repugnant eidem actui, maximè cùm esse practicum non dicat actu operari, sed posse operari; sicut ergo, quod quiescit potest moveri, ita actus speculativus veritati inquiescens potest alio respectu principium motûs in voluntate, atque ad extra esse.

Denique habitus fidei est respectu diversorum objectorum practicus & speculativus, non ergo hæ differentiæ se mutuò excludunt. *Si dicas* id ideo esse, quia habitus fidei est supernaturalis. *Contra est*; quia quando duæ differentiæ sibi essentialiter opponuntur, ne quidem supernaturaliter conjungi possunt, ut patet in rationali, & irrationali, auditivo, & visivo. Si verò differentiæ practici & speculativi accidentaliter sibi opponuntur, potest hæc repugnantia & oppositio abesse. *Nec est* novum, aliquam perfectionem habitûs supernaturalis etiam naturali communicari, ut patet in habitibus virtutum; *nec valet* consequentia: Habitus fidei supernaturalis est practicus, & speculativus, ergo nullus habitus naturalis est practicus & speculativus; alioquin & ista valeret: Habitus fidei supernaturalis est ad Deum certò cognoscendum, ergo nullus habitus naturalis est talis.

2. Magis inter se differunt, & opponuntur consensus, & dissensus (involvunt enim contradictionem, ne divinitus, quidem

quidem superabilem) quàm practicum & speculativum, sed eadem potentia, idémque habitus respectu diversorum inclinat ad dissensum & assensum, ergo.

3. Quia *denique* nulla potest afferri ratio & causa repugnantiæ, ut ex solutionibus apparebit.

IV. *Objicitur* 1. Auctoritas S. Thomæ [*1. p. q. 1. a.* 4. *&* 6. *Eth. l. 2. &* 3. *& 1. 2. q.* 57. quibus locis dicit, scientias per speculativum, & practicum distingui.

℟. Etiam animam & dividi & distingui per vegetativum, sensitivum, & rationale, & tamen tres istæ differentiæ in eandem animam concurrunt. Sicut ergo vegetativum formaliter & præcisivè sumptum constituit plantam, excluditque sensitivum, sic practicum & speculativum.

Objicitur 2. Habitus speculativus est, cujus finis principalis est scire, ut hîc quiescat: practicus, cujus finis principalis non est scire, nec in hoc quiescere, sed in opus extendi: atqui hæc involvunt contradictionem, ergò non possunt eidem habitui, multóque minùs uni actui convenire.

℟. Si quid hoc Argumento probaretur, ne quidem Theologia, Fides, & Visio beatifica utrámque differentiam reciperent. Idem ergo habitus diversas habet perfectiones, diversos respectus: respectu autem diversorum non est contradictio. Eadem anima rationalis est perfectior & imperfectior bruto: perfectior cognoscendo, imperfectior vegetando, movendo, &c. *Deinde* actus & potentia non inducunt contradictionem; quod enim actu non movetur, sed quiescit, habet potentiam se movendi. Sic speculatio, quæ actu non movet ad opus, sed in vero quiescit, movere ad opus potest, imò naturaliter est apta ut moveat, & hoc sufficit ut sit practica, quia hoc potentiam non actum dicit, aliàs pictor non esset, qui actu non pingit: nec nauta qui non navigat.

Objicitur 3. Habitus ex actu generatur; sed non potest idem esse actus practicus & speculativus, ergo nec habitus; sicut enim ex actu temperantiæ non producitur habitus fortitudinis, ita ex actu merè speculativo non potest habitus practico-speculativus produci. *Minor videtur certa*, cùm praxis fiat compositivè,

ſitivè, ſpeculatio reſolutivè: ſpeculatio cauſam, cur aliquid ſit, quærat, operatio non cauſas, ſed opus quærat: illa veritati acquieſcat, praxis foras exeat, non videndi, ſed faciendi cupida.

℞. 1. Jam ſuprà monui, non repugnare, eundem actum, ſed diverſo reſpectu, practicum eſſe & ſpeculativum; ſunt enim perfectiones ſubordinatæ ſe mutuò compatientes, ſicut lux & calor; & ſicut lux eſt virtualiter calida hoc eſt, cauſa caloris (ideo enim radius reflexus, quia plus lucis habet, magis calefacit, unde major infimæ aëris regioni, quàm mediæ calor, major æſtati quàm hyemi æſtus, ſole verticaliter poſito, & radio perpendiculariter fuſo reflexóque; ideo plenilunio noctes tepidiores, & ut notat Ariſtoteles *4. de gener. animal. c. 2.* & eleganter S. Th. *Opuſc. 82. a. 4.* Sicut Sol toto anno æſtatem, hyemémque facit, ſic luna quot menſibus incremento, & decremento lucis. Proclus inſignis Mathematicus imperante Anaſtaſio Imperatore æneis ſpeculis è muro Conſtantinopolitano ſuſpenſis ignem collectis radijs accendit, quibus hoſtium claſſis & claſſiarij arſère) ita ſpeculatio eſt cauſa praxis & operationis: aut enim proponit bonum, ex quo amor in voluntate, & ex amore opus: aut rem tam clarè diſtinctéque cognoſcit, ut ex illa naſci ſine difficultate opus poſſit, & voluntas ad agendum dirigi, ut patet in viſione beatifica, & in his cognitionibus: *Linea recta à quolibet puncto peripheriæ ad centrum adhibitâ regulâ duci poteſt, Linea curva eſt, quæ non rectà de puncto ad punctum ducitur.* Quælibet iſtarum cognitionum & eſt ſpeculativa, cùm rei naturam ac definitionem explicet; & practica, quia ſola operationem dirigere poteſt; & hæc aptitudo ad practicam ſufficit: nec enim practicum & operativum eſſe actum dicit, ſed potentiam; *nihil ergo obſtat,* eundem actum formaliter ſpeculativum, virtualiter practicum eſſe.

2. *Demus,* actus ſpeculativum & practicum ſemper diſtinctos eſſe, poteſt tamen ex utroque habitus, qui utrumque complectatur, gigni, utriusque actûs & cauſæ perfectione in unum effectum unitâ. Sic ſpecies & potentia viſiva cùm duæ ſint, nec unum ſit aliud, ad eandem viſionem concurrunt, quæ ab

ab uno habet, quòd sit vitalis, ab alio, quòd sit objecti imago; & tantò magis, quia, ut dixi, illæ perfectiones practici, & speculativi sunt subordinatæ.

Objicitur 4. Ergo & eadem potentia poterit intellectus & voluntas esse, cùm & istæ sint subordinatæ, una magis practica, altera magis speculativa.

℟. 1. Consequentiam à quamplurimis concedi, illis videlicet, qui potentias cum anima indentificant.

2. Suppositâ potentiarum distinctione, meritò negari consequentiam; esse enim practicum est circa objectum operabile versari, *dirigendo*, *ostendendo*, *docendo*, *&c.* quæ omnia speculationi nec ex parte objecti, nec ex parte modi repugnant; tota enim operatio, cùm sit aliquod verum, cadere potest in speculationem, & sciri; *dirigere* verò *ostendere*, *docere*, sunt omnes proprietates speculationis, vix enim erit aliqua contemplatio tam sterilis, quæ non, aptitudinaliter saltem, doceat dirigátque; imò, ut ostendi, aliquæ sunt speculationes tam claræ, distinctæque, ut sequi opus possit, & quæ magis remotæ ad opus concurrunt, non ideo desinunt practicæ esse; nam proximum & remotum, nisi aliud accedat, non variant speciem: & cognitio, quæ respectu unius est remota, respectu alterius est proxima, quod sufficit, ut sit practica. v.g. Ex hac cognitione: *Summum bonum est summè, & super omnia amandum*, sequitur hæc: *Ergo Deus est summè, & super omnia amandus.* Et in voluntate sequitur amor simplicis complacentiæ saltem, & ut Deus est; respectu ergo istorum effectuum speculatio illa est practica: & ita semper verum est, quòd *dirigere*, *docere*, *motivum & impulsivum ad opus esse*, non sint perfectiones speculationi adversæ, sed maximè connaturales. Aliud est de voluntate, & intellectu: intellectus enim imperat, voluntas aut paret, aut imperium fugit, ut placuerit: Intellectus necessariò, voluntas liberè agit: intellectus plura proponit, voluntas unum eligit: intellectus impeccabilis est, voluntas peccabilis: intellectus objecta ad se trahit, sibíque assimilat, voluntas trahitur amando, exit, & se objecto unit. Suppositâ ergo potentiarum

O distin-

diſtinctione neceſſariò dicendum eſt, intellectum, & voluntatem diſtingui, quæ enim diſtinguuntur, ſi iſtæ non?

Objicitur 5. Ex hoc ſequitur, omnes ſcientias, etiam Methaphyſicam, Phyſicam, Mathematicam, quæ omnium conſenſu ſpeculativæ ſunt, practicas dici poſſe, quia nulla eſt quæ remotè non ad opus, & amorem operis moveat.

℞. 1. Phyſicam & Mathematicam quod attinet, ab omnibus diſtingui in practicas & ſpeculativas, quia aliquæ in illis ſunt cognitiones merè ſpeculativæ, quæ non ſunt de re operabili, v. g. *Cœlum eſt incorruptibile*: & ne quidem hæc cognitio ad amorem Creatoris conducit; quis enim ex hoc capite, niſi forſan merè occaſionaliter, Deum amavit? nec enim quòd creaverit cœlum incorruptibile, ideo Deus eſt bonum aut honeſtum, aut utile vel delectabile amanti: imò ne Dei quidem incorruptibilitas ex eadem ratione reddit illum homini amabilem, quantò minùs incorruptibilitas cœli? Plurimæ hujusmodi cognitiones merè ſpaculativæ in Phyſica ſunt; plurimæ in Mathematica; omnes ferè in Metaphyſica.

℞. 2. Ad dignoſcendum an habitus aliquis ſpeculativus denominari, aut practicus debeat, ad has regulas attende.

1. Denominatio practici à prædicato dominante accipitur: Si majori parte in praxin feratur, raro in ſpeculationem, abſolutè practicus vocabitur; quæ enim raro fiunt, & modica, non denominant: arbor, quæ raro, & ferè nunquam fructum profert, abſolutè ſterilis vocatur: Æthiops non à dentibus modica parte, albus eſt, ſed abſolutè niger: ignis abſolutè ſiccat, quamvis aliquando humectet. *Et ratio eſt*, quia ſicut regulariter unus alterve actus non producit, ita non denominat habitum.

2. Ut habitus dicatur practicus, oportet hujus objectum operabile eſſe, hoc eſt, aliquo modo conſequibile: nec ſufficit amorem ab objecto excitari, niſi vi illius amoris objectum aliquo modo fieri, & poſſideri poſſit, & amans, quantùm eſt ex ſe, aptus & diſpoſitus ad operandum fiat; tunc enim talis amor praxis, & practicus erit, & cognitio ad illum movens practica. Sic viſio beatifica practica eſt, quatenus ad ſummum amorem excitat: amor autem, ſi verus eſt, ex ſua natura eſt opera-

operativus, & beatificus disponit ad operandum, quidquid Deo placet, ad tolerandam mortem, supplicia, &c. si beatis inferri possint.

3. Oportet præcipuum objectum, à quo habitus specificatur, operabile esse. Cùm ergo Physica, Methaphysica, Mathematica, minima ex parte ad operandum moveant, & siquando operantur, ipsum opus contemplationi aptent (Mathematicus enim tubum fabricat, ut stellas cognoscat) & cùm illarum præcipuum objectum non sit operabile, nec ejus cognitio ad illud amandum, & aliquo opere possidendum moveat, patet, cur practicæ dici non debeant. Quis enim cùm ens, ut ens, corpus mobile ut mobile, quantatem à materia sensibili separatam cognovit, vi hujus cognitionis in amorem raptus est, & conatum hæc objecta faciendi?

V. His præsuppositis. *Quæritur secundò.* An Logica sit practica, vel speculativa?

℞. Licèt hactenus cum communi sententia supposuerimus, Logicam esse pacticam, hoc tamen solùm iutelligi volumus, quoad modum versandi circa suum objectum; unde & Joannes à S. Thoma *in Logica p. 2. q. 1. a. 4.* eam modum Scientiæ practicæ induere docet ex S. Thoma. *1. 2. q. 57. a. 3. ad 3.* Nihilominus strictè loquendo, consideratâ naturâ praxeos hactenus declaratâ, & spectatis principijs, ac objecto Logices proprio.

Dicendum est, Logica simpliciter est speculativa. Ita passim Thomistæ & Scotistæ contra R.R.

Ratio est 1. Actus intellectûs non sunt praxes, ergo Logica quæ illos dirigit non est practica. *Consequentia* est clara, *Antecedens* probatur ex supradictis, ubi ostendimus nomen praxis à Philosopho actibus potentiæ, quæ intellectus non est, impositos fuisse, nomina verò, nisi cum confusione, mutari non possunt, *tum* quia vel omnes actus intellectûs sunt praxes, vel non sunt? Si omnes sunt praxes, ergo omnis habitus intellectivus est practicus. Si non omnes sunt praxes, cur soli Syllogistici, definitivi, alijque, quos Logica pro objecto habet? *Dices*, quia isti sunt dirigibiles, ergo habitus eos dirigens est practicus. *Contra*, Si habitus est practicus qui concurrit ad pro-

ducendum actum intellectûs, omnes habitus intellectûs practici erûnt, omnes enim effectivè concurrunt: quod autem efficit, multò magis est operativum, & practicum, quàm quod tantùm dirigit; quis enim dicat: eum non magis pingere, qui penicillum ducit, qui telam coloribus distinguit, qui inumbrat, qui tingit, &c. quàm, qui docet pingere? aut eum non magis navigare, qui clavum flectit, dirigítque, quàm qui viam & portum præmonstrat?

2. Et materia, & directio, & principia Logica ad speculationem pertinent, ergo tota Logica speculativa est. Materia enim Logica v. g. Syllogismus, Definitio, Propositio sunt meræ cognitiones & speculationes veritatis, quibus si aliud non addas, nunquam practica fient. Directio Logica non per se intenditur, sed certiùs cognoscendæ veritati: si enim forma v. g. Syllogistica per se intenderetur, non præscriberet Logica, Demonstrationem *ex veris, immediatis, &c.* constare debere, æquè enim forma in falso salvatur. Sicut ars statuaria æquè in falso ac vero auro laborat. Sicut ergo Mathematica quamvis dirigat confectionem astrolabij, quia tamen hocipsum gratiâ contemplationis facit, simpliciter speculativa est, ita & multò magis Logica, cujus directio & opus non tantùm est ad cognoscendum, sed ipsum cognoscere.

3. Tota ratio, ob quam Logica habitibus practicis adscribitur, est, quòd actus intellectûs dirigat, sed hoc non sufficit, *tum* quia dirigere est relativum; directio enim est ad aliquid directio: ad quid dirigit Logica? ad sciendum, ad verum (non enim ad ignorare, & ad falsum scientia datur) ergo finis intrinsecus Logicæ est scire & verum, ergo hîc quiescit, ergo est speculativa: *tum* quia, ut suprà dixi, si dirigere est operativum & practicum esse, multò magis efficere (quia hoc magis est operari) ergo omnis habitus intellectualis est practicus, quia suum actum effectivè producit.

Dices: Alij habitus non præscribunt modos & regulas aliquid faciendi ut Logica, & ideo non sunt practici. *Contra*, quia non sufficit modum aliquid faciendi præscribere, ut scientia sit practica, nisi ipsum objectum sit praxis, & habeat conditiones objecti

jecti practicabilis suprà recensitas, quales non habent actus intellectivi, nisi ut imperantur à voluntate cùm ergo supponis, directionem Logicam de objecto practicabili esse, supponis, quod probandum erat. Deinde non requiritur ad cognitionem practicam, ut regulas & præcepta operandi præscribat, modò sit talis, ut vi cognitionis opus sequatur: Sic visio beatifica est practica, non quòd aliquas amandi regulas præscribat, sed quià talis est, ut ex illa amor, & summus quidem sequatur. Actus Synteresis v. g. *malum non est faciendum, bonum est amandum &c.* sunt practici, & tamen nullas regulas amori, odióque ponunt. *Quodsi velis* hos ipsos actus esse regulas generales bene vivendi, & ideo esse practicos, dicam & ego actus Methaphysicos v. g. *non potest idem simul esse, & non esse*, regulas generales aliquid sciendi, & inferendi esse, ergo Metaphysicam esse habitum practicum, & à quo omnes scientiæ diriguntur. Cùm ergo ex una parte non sit necessarium ad scientiam practicam, ut expressè, & in actu signato regulas operandi tradat, ex alia omnis habitus intellectivus ex sua natura effectivè & directivè intellectum ducat; aut omnis habitus & Scientia est practica, aut Logica non est practica.

VI. *Objicitur* 1. Scientia, quæ voluntati regulas & præcepta honestè vivendi tradit, est practica, cur non illa, quæ intellectui regulas bene cognoscendi? utraque enim dirigit.

℞. Negando paritatem: actus intellectûs, quos Logica dirigit, non sunt praxes, bene autem actus voluntatis: cur isti præ illis? quia ex sua natura sunt operativi; bonum enim, quod est objectum voluntatis, ad agendum trahit, & ideo agere est volentis non scientis: cognitio ergo, quæ dirigit voluntatem, practica est, quia primam radicem, clavémque operandi movet. Aliàs, si directio cujuscumque actûs etiam merè intellectivi ad scientiam practicam pertinet, omnis habitus, omnis scientia, quæ actum suum facit, & intellectum in veri cognitione dirigit practica erit, & omnium maximè Metaphysica, quæ regulas, & principia universalia omnibus scientijs suppeditat.

Objicitur 2. Actus intellectûs ut regulabiles, v. g. in Syllogismum reducibiles subsunt liberæ electioni, & imperio volun-

ratis, nemo enim nisi volens argumentatur; ergo ut sic sunt praxes eorúmque habitus est practicus.

℞. Hoc Argumento probari omnes scientias esse practicas, nemo enim nisi volens est physicus, Methaphysicus, Mathematicus, &c. Voluntas ergo argumentandi, ut honestè fiat, hoc est, debito modo, loco, fine, tempore, ad Ethicam & Prudentiam pertinet, Actualis Argumentatio ut artificiosè fiat, ad Logicam: illa verò Argumentatio cùm sit actus intellectûs nec dirigat voluntatem, non est praxis, nec ejus habitus est practicus.

Objicitur 3. Logicæ objectum non est verum cognoscere (hoc enim ad alias & particulares scientias pertinet) sed parare instrumenta sciendi, & intellectum, ne à vero exerret dirigere; ergo finis Logicæ non est scire, sed aliquid facere, ergo non est speculativa.

℞. Ad Scientiam practicam non sufficere, ut quocunque modo dirigat, sed insuper, ut habeat praxin pro objecto, Logica verò praxin pro objecto non habet, sed actus intellectûs, v. g. Syllogismum, & Syllogismus Conclusionem, quæ & ipsa cognitio scientifica est; tota èrgo directio Logica tandem resolvitur in scire. Nam si sola directio practicum facit, nulla est ratio cur directio effectiva, quæ magis in opus influit, non magis practicum faciat, quàm doctrinalis: & si illa sufficit, cur non omnis scientia sit practica, cùm omnis actum efficiat, omnis intellectum dirigat, ne unum pro alio intelligat? imò directio doctrinalis in actu exercito, quâ intellectus principia & regulas accipit unam cognitionem ex alia deducendi, ne quidem Metaphysicæ deest, quæ omnium minimè practica est: tam enim hoc principium: *repugnat idem esse & non esse* intellectum dirigit ut concludat: *Petrus vivit, ergo non est mortuus*: quam illud Logicum: *dictum de omni dicitur de particularibus; ergo si omnis homo est animal, etiam Petrus est animal*: cùm ergo utrúmque principium æquè intellectum aliasque scientias dirigat, cur aut non utrumque, aut neutrum est practicum? & tamen illud est Metaphysicæ, istud Logicæ.

§. VII.




§. VII.

De Arte, & an Logica ſit ars?

Summaria.

1. *Quid ſit ars?*
2. *Quæ artis diviſionis?*
3. *Quis ordo inter artes?*
4. *Conditiones, & proprietates artis exponuntur.*
5. *Quæ ſit artium origo?*
6. *Experientiæ uſus, & utilitas.*
7. *Logica eſt ars liberalis.*
8. *Logicæ artificium in quo eluceat?*





Rifariam uſurpatur nomen Artis; *tum* pro omni habitu Intellectûs verum attingente etiam ſpeculativo, quâ ratione Mathematica ars dici poteſt: *tum* pro ſolis habitibus practicis etiam ſcientificis: *tum* denique & ſtrictiſſimè pro ſola arte effectiva, quæ operando tranſit in externam materiam.

I. *Quæritur* 1. Quid ſit ars? *Reſp.* Ars ab Ariſtotele *l. 6. Eth. c. 4.* bene definitur: *Habitus recta cum ratione factivus.* Si per habitum

habitum factivum intelligas, qui ad extra operatur, certum est, ad scientias non extendi: sed *factivum* laxiùs intelligere possumus pro *activo*; nam etiam cognoscere est agere, & ita, ut videbimus, non repugnat eundem habitum & artem & scientiam esse. Quomodo Definitio hæc sit intelligenda, ex dicendis patebit. Aliam & magis receptam Artis definitionem tradit Galen. *c. 5. introduct.* *Ars est collectio multarum de una re comprehensionum ad finem aliquem utilem vitæ.* Hæc definitio non excludit scientias practicas, nam & istæ utiles sunt vitæ intellectuali, quam perficiunt, & errore eximunt.

Dicitur 1. *Collectio multarum comprehensionum*, quia habitus nec uno actu generatur, nec ad unum actum, sed multis præceptis, regulis ac actibus continetur. Comprehensiones pertinent ad intellectum, & ita excludunt omnes habitus extra Intellectum, v. g. voluntatis, &c. Excluduntur etiam habitus intellectûs defectivi, qui errare possunt, v. g. errores, falsæque opiniones: quamvis enim sint cognitiones, non tamen veræ: nomen autem absolutè positum pro vero supponit, sicut aurum pro vero auro, imago pro vera imagine, &c. quia hæc nomina sunt rebus veris non falsis imposita.

Dicitur 2. *De re una*: unius enim habitûs unum objectum formale est, ut suprà dictum, & præsertim quia artis est ordinare; unde in objecto & artefacto unitas ordinis, proportionis & symmetriæ. Hæc verò unitas objecti non est singularis, sed communis; regulæ enim artis v. g. pictoriæ non pro una tantùm, sed pro omnibus imaginibus faciunt, secùs ac prudentia, & experientia, quæ de singularibus sunt, feruntur enim in hunc numero actum: at pictoria & architectonica non in hanc numero imaginem, aut in hanc numero domum.

Dicitur 3. *Ad finem aliquem utilem vitæ.* Hîc artes à theoria & scientijs contemplativis distinguuntur: hæc sui gratiâ, illæ utilitatis causâ & inventæ & exercitæ. Artes maleficæ aut ideo artes non sunt, quia non certis regulis, sed fallacibus & merè contingentibus utuntur (ut magicæ & Astrologiæ judiciariæ) aut ideo, quòd non tam intellectui perficiendo, ac veritati, quàm passionibus, maléque affecto animo serviant, & ideo nec sint homi-

homine dignæ, ne discendæ. *Cæterum* si per regulas naturaliter certas procedant, v g. certis modis venena temperare, artes omnino sunt, *tum* quia intellectum perficiunt cognoscendo, *tum* quia officium artis non est operantem bonum facere, sed opus regulis conforme; imò per hoc artes à prudentia differunt, quòd hæc requirat appetitum bene affectum & dirigat in ultimum finem; artes bonum tantùm artificij & naturalem operis perfectionem, abstrahendo an beatæ vitæ conducat. Vide S.Thom. *1. 2. q. 52. a. 3. & 4.* Patet jam ex dictis, quomodo ars ab alijs quinque virtutibus intellectualibus differat: Ab Intellectu, quia non est de per se notis, primísque principijs. A Scientia, quia ars ut sic procedit quidem per regulas certas, sed non laborat de istarum causis. Novit Agricola aptissimum tempus cædendis arboribus Autumnum esse, & lunâ decrescente; causam non curat, hujus enim cognitio parum lignationi conducit. A Sapientia, quia hæc est de veritatibus per se notis & per se non notis. A Prudentia, quia hæc considerat veritates practicas ad ultimum finem conducentes.

II. *Quæritur* 2. Quotuplex sit ars? ℞. Variæ sunt artium divisiones; cùm enim ars sit regula defectibilium, quales sunt actiones humanæ, sicut istæ sunt variæ, ita etiam artes oportuit varias esse. Operationes ergo humanæ aut sunt immanentes aut transeuntes. Immanentibus artes activæ, transeuntibus factivæ deserviunt. Inter operationes immanentes præcipuæ sunt actus rationis eorúmque signa, hoc est, voces externæ. Hinc artes rationales & sermocinales, Logica, Grammatica, Rhetorica. Historia ad Rhetoricam, Poëtica itidem ad Rhetoricam revocantur. Ars Saltatoria ad activas & immanentes pertinet. Artes factivæ aut opus post se relinquunt ut Pictoria, Statuaria, aut non relinquunt: ut Musica, Nautica, &c. Inter factivas aliæ sunt imitativæ, aliæ non. Imitativæ omnes, quæ constituunt imagines rerum, & ideo plus delectationi, quàm utilitati serviunt, v. g pictoria, statuaria, &c. Non imitativæ varia opificia ad utilitates humanas, vel etiam delectationem pro fine habent, quæ cùm ordinariè per

machinas, aut inſtrumenta quædam corporea exerceantur, mechanicæ appellantur, & ſunt ſeptem.

Secunda artium diviſio eſt à fine: alias eſſe practicas, alias theoricas: hæ pro fine habent contemplationem & veritatem, illæ operationem; & ſubdividuntur in activas & factivas: activæ in intellectivas & appetitivas: iſtæ voluntatem, ut ſcientia moralis, illæ intellectum ut Logica dirigunt. Moralis in Ethicam, quæ homini, Oeconomicam quæ familiæ, Politicam, quæ Reipub. præeſt: ad hanc ultimam ſpectant Juriſprudentia tum canonica tum civilis. Effectivæ aut dirigunt ſermonem externum (Grammatica & Rhetorica) aut res alias extra nos, ut Pictura: & hæ vel opus poſt ſe reliquunt, vel non relinquunt. Ars Contemplativa in Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam, ſive Theologiam dividitur. Phyſica una eſt, ad quam Medica reduci poteſt. Mathematica ſubdividitur in purè Mathematicam & mixtam, hoc eſt Phyſico-mathematicam: hæc cujus objectum partim naturale, partim mathematicum, hoc eſt, quantitas aliquo modo materiæ ſenſibili & mutabili affixa, & ſunt Perſpectiva, Muſica, Coſmographia, quæ Aſtronomiam & Geopraphiam continet: Perſpectiva enim ſeu Optica eſt de lineis viſualibus, quæ procedit per principia & Geometrica & Naturalia, ex angulis & oculo petita. Muſica eſt de numeris & proportionibus, ut in voce & ſono repertis. Coſmographia agit de magnitudine mundi eiuſque partibus ac motibus: præcipuas demonſtrationes capit ex ſenſibilibus obſervationibus. Purè Mathematicæ ſunt, quæ agunt de quantitate ſeu ente extenſo ejusque affectionibus, abſtrahendo ab omni materia ſenſibili, tales ſunt Arithmetica, & Geometria, quæ numerum, & magnitudines ut ſic, non ut in numeris, aut corporibus inveniuntur, conſiderant.

Tertiò. Dividuntur artes in ſuperiores & inferiores. Superiores ſunt Phyſiologia, Ethica, Theologia. Inferiores ſunt quatuordecim, quarum ſeptem Liberales (quòd animum excolant, partem hominis liberam) ſeptem verò ſerviles, quòd verſentur in opere mercenario, & corpore exerceantur, parte hominis ſubdita. Inter has ipſas ſerviles ſunt aliquæ præſtan-

tiore

tiores & Liberis proximæ, quòd plus ingenio quàm viribus valeant. Liberales & serviles artes duobus his versibus continentur.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra,
Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

III. *Quæritur* 3. Quis sit ordo inter artes? *Resp.* Ordinem artium quod attinet, is vario respectu varius est. *Certitudine prima est* Mathematica, tum Philosophia, tandem Metaphysica. Demonstrationes enim Mathematicæ duplicem habent evidentiam, sensibilem & intelligibilem, v. g. globum terræ respectu firmamenti punctum esse probat Mathematica, quia ubique terrarum nobis apparet media pars cœli, perinde ac in centro media pars circuli à centro ad peripheriam æquales lineas duci, quia centrum ab omnibus peripheriæ partibus æqualiter distat, quæ omnia & oculo, & rationi manifesta sunt. Physiologia secundum certitudinis locum tenet, est enim de materia sensibili, v. g. matutino tempore, quamvis sol vicinior, majus est frigus quàm nocte, quia longior solis absentia, quia matutino tempore ros, & pruina cadunt, quia concocto jam cibo, & stomacho inani frigus magis sentitur: ubi vides, principia hujus physicæ demonstrationis sub sensum cadere, qui objecto ritè applicato, rarò fallitur. Metaphysica cùm sit de rerum essentijs, formisque separatis, quæ in sensum non cadunt, parum certa est; sicut enim oculus ita & intellectus à remotis decipitur.

Ordine disciplinæ primæ sunt Mathematicæ. 2. Physicæ. 3. Metaphysicæ. Sicut facilius videntur quæ clariora & vicina, ita faciliùs intelliguntur, quæ certiora; à facilioribus autem initium discendi. Plato Academiæ portis inscripserat: *Qui Geometriam nescit, huc non intret.*

Ordine dignitatis prima Metaphysica. 2. *Physica.* 3. Mathematica. Dignitas enim essentialis ab objecto tanquam à specificativo sumitur, non à certitudine, evidentia, aut facilitate secundùm nos. Quò enim objectum est altius & perfectius, eò etiam secundùm se est clarius, certius & evidentius, ut patet in Deo; & stellæ, quò altiùs positæ, plus habent

lucis, magisque spectabiles sunt, quamvis quæ vicinæ sunt, magis nobis luceant, & grandescant. Obscuritas ergo & inevidentia objecti Metaphysici non est ipsius objecti, aut scientiæ secundùm se, sed nostri intellectûs: quòd ergo Metaphysica, secundùm se clara & certa, nobis sit obscura & dubia, nihil ejus dignitati derogat, sicut nec stellæ ideo minùs claræ, quia nobis minùs vicinæ, minúsque apparent.

Dices: Nobilitas & perfectio imaginis aut picturæ non ex eo est, quòd rem pulchriorem aut nobiliorem repræsentet, sed ex modo & arte: sanus ægro præstat, & tamen tabula ægrotantis ab Apelle picta, & teste Plinio laudata, ac ab Attalo Rege 100. talentis empta (talentum Atticum 600. nostratibus aureis valet) prælata est multis valentium imaginibus. Sic ergo nobilitas scientiæ, quæ & ipsa imaginum est, non erit ex objecto, sed ex modo tendendi magis minúsve perfecto desumenda.

℞. 1. Metaphysicam secundùm se perfectissimo, & certissimo modo in objectum suum ferri, inevidentiam verò & incertitudinem non esse ex natura ipsius scientiæ, sed intellectûs, in quo recipitur, semper enim verum est, elemento aquæ perfectissimam figuram, hoc est, rotundam deberi, quamvis figuræ vasis aptetur.

2. Scientia & cognitio sunt imagines veri, sed naturales & perfectivæ; anima enim cùm naturaliter sit veri appetitiva, eóque delectetur, quò pulchrius est verum, eò magis satiat delectatque, amorem alióisque motus in anima ciet, nec impedit, illud verum non ita clarè certóque cognosci; nam facies pulchra, & velata plùs amatur, placétque, quàm turpis & detecta; & in speculo tantò pulchrior imago, quantò pulchrius objectum, licèt fugacius, & speculo imperfectè, hoc est, mutabiliter unitum: & forma plantæ multò magis perficit ornátque materiam, quàm forma lapidis, quamvis ista stabiliùs materiæ uniatur, illa fluxiùs & in brevius tempus. Sicut ergo nobilitas absoluta compositi ex forma non ex modo, quo unitur subjecto, desumenda est, ita nobilitas cognitionis & scientiæ ex objecto, quod est forma intelligibilis & idealis, non ex modo, quo intellectui objectum unitur magis minúsque claro, evidenti

certo-

certóque, alioqui nobilior esset muscæ prætervolantis contemplatio, quæ certa est evidénsque, quàm stellæ polaris, quæ obscura, difficilis, nec intuitiva.

Inter alias artes quæ præstet, ex sequentibus regulis collige.

1. Artes, quæ facultatibus animæ potiùs, quàm viribus corporis exercentur, præstantiores sunt: pictoria enim, sculptoria, architectonica, in quibus plus ingenij, quàm roboris est, nobiliores sunt agriculturâ, pistoriâ, lignaria, &c.

2. Quæ imperant, perfectiores, quàm quæ exequuntur, v. g. architectonica nobilior mechanicis, nautica remigatorijs, imperatoria militari, medica chirurgicis aut pharmaceutricis, &c.

3. Artes quæ corpus fœdant, ignobiliores sunt illis, quæ non fœdant, v. g. pistoria, agricultoria, coquinaria, &c.

IV. *Quæritur* 4. Quæ sint conditiones, & proprietates artis ?

℞. Ex dictis colligi, multa esse, quæ partim ad essentiam, partim ad proprietates artium spectant: nam *Primò* Ars est virtus intellectualis, hoc est, habitus, qui facit bonum habentem, & actum ejus bonum reddit; bonum dicitur quod fini accommodatum est, actus bonus qui cum fine, aut his quæ sunt ad finem conjungitur; finis intellectûs est cognitio & possessio veri, ad hanc ars immobiliter & indefectibiliter disponit, ergo est virtus.

Eodem modo intelligi debet & applicari definitio, quòd *Ars sit dispositio perfecti ad optimum. Secundò.* Artis regulæ sunt certæ & infallibiles, quibus si opus respondeat, semper rectum est, & ex voto Artificis; imago enim ex præscripto pictoriæ semper erit pulchra; domus ex præscripto architectonicæ semper bona: quodsi opus aliquando deficiat, id erit aut ex ignorantia Artificis non omnes regulas bene applicantis, aut quia opus non est totum in potestate Artificis, nec ex ejus sola peritia, sed alijs causis dependet, & ita finis artis non tam opus ipsum est, quàm operatio recta: ita non omnis qui optimè medetur, semper curat: nec omnis qui optimè navigat, semper applicat, quia

curare, & portum ſubire non ſunt effectus ſolius artis, ſed etiam caloris nativi & ventorum, quæ artem & ſolertiam fugiunt, & ideo Medici finis non eſt ſanare, ſed rectè mederi: nec finis nauticæ eſt portum ſubire, ſed rectè navigare. Eſt tamen aliquod diſcrimen inter artem & prudentiam: utrique non ſemper opus reſpondet, ſed tamen regulæ artis ſemper ſunt infallibiles & certæ, quia neceſſariæ; ventis enim contrarijs cedendum eſſe præceptum nauticæ neceſſarium eſt. Regulæ prudentiæ ſunt contingentes, nec infallibiles, quia ex libera hominum voluntate, quæ mutari poteſt: v. g. regula prudentiæ eſt: *Veterem qui fert contumeliam, invitat novam*: Hæc non eſt certa vindictæ regula, quia ſæpe indulgentia amorem in offendente & pœnitudinem genuit.

3. Quod rectè fit, ſed absque arte, caſus eſt. Protogenes cùm ſpumam currentis canis non ſatis ad naturam exprimeret, penicillum varijs coloribus imbutum iratus tabulæ impingit, & ecce ſpumam ex ore anhelantis pendentem, qualem natura feciſſet. *Canem*, inquit Plinius, *ita Protogenes monſtravit & caſus.* Idem de Nealce pictore in ſpuma equi legitur.

4. Ars mater eſt ordinis. Vix enim aliud ars facit, quàm ut quæ natura dedit, in ordinem collocet. Diſputabit aliquis, perorabit ſine arte, ſed vix ordinatè. Ordo claritati & facilitati ſervit, ac præſertim memoriæ. Hæc veritati certò, clarè, diſtinctè, breviique intelligendæ cùm faciant, ad artem pertinent.

5. Ars nunquam in falſum, ſed ſemper in verum fertur: aut enim opus regulæ reſpondet, & eſt rectum verúmque; aut non reſpondet, & ut ſic non pertinet ad objectum artis: Si ergo error contingat, non ille eſt artis, ſed Artificis, & ignorantiæ. Vide S. Thom. *1. 2. q. 57. a. 3. & 4.*

6. Ars naturam imitatur & perficit. 7. Non conſultat ars, utrum iſtis an illis medijs ad obtinendum finem uti velit, ſunt enim jam certa & determinata, & extra conſilium. Quodſi aliquando conſultet, id per accidens eſt, & quia aliquid artifex ignorat. Sicut Medicus conſultat de medicinis, quando dubitat de morbo, & Nauclerus deliberat de modo navigationis, v. g. medióne pelago feratur, an oram legat, quando dubitat

biat de ventis: & per hoc ars à prudentia differt, cujus media ad finem non sunt determinata, sed arbitraria.

8. Ars sine ulla pugna affectuum & appetitûs operatur.

9. Artifex non ab intentione, sed ipso opere laudatur; nec vituperatur, si deditâ operâ aberret, cùm possit aliter operari; sed tantùm si ex ignorantia & invitus. Contrarium in habitu prudentiæ contingit, ubi peior est, qui volens peccat, quàm qui ignorans.

V. *Quæritur* 4. Unde artes natæ sint? *Resp.* Variæ sunt causæ, quæ initium artibus dedêre. *Prima est* admiratio; cùm enim viderent homines aliquos à natura effectus, eósque vitæ humanæ, aut utiles, aut saltem delectabiles, eos primùm admirati sunt, deinde causas indagârunt, & inventas imitati sunt, & ideo ars simia naturæ dicitur. *Secunda* Necessitas, naufragijs natare, frigore & æstu vestiri, fame coquere, injurijs bellare didicimus. *Tertia* & præcipua experientia. De hac Aristoteles *1. Metaph. c. 1. Experientia artem genuit, in experientia fortunam.* Experimento v. g. compertum est, rhebarbarum radicem purgâsse choleram Socrati, Platoni, Alcibiadi, &c. Ex hac observatione experimentali notitia universalis nata est, rhebarbarum choleram purgare, & sic de aljis; cùm enim intellectus sit tabula rasa, nec cognoscat, nisi sensu movente; sensus verò sit singularium, oportet experientiam, quæ est singularium, priorem esse arte & scientiâ, quæ sunt universalium; nec potest Intellectus judicare, omnibus hominibus aliquid convenire, quòd non priùs huic & illi convenire judicaverit.

VI. Circa experientiam *Notandum* 1. Experientiam latè sumptam dici posse perceptionem cujuscunque rei singularis, etiam semel tantùm acceptam; potest enim dici aliquis expertus esse, quòd vinum inebriet, etiamsi id semel tantùm passus, aut in alio viderit. Oportet ergo ad veram & propriam experientiam non semel tantùm, sed sæpius eundem effectum experiri; imò neque hoc sufficit, sed oportet Intellectum unum effectum cum alio conferre, & observare, an omnimoda similitudo & confluxus circumstantiarum interveniat, & tunc judicium formare universale: experientia ergo à sensu incipit, sed

per-

perficitur in Intellectu, idem de omnibus & in ſimilibus circumſtantijs judicante: defectu hujus collationis & judicij experimentum ab Hippocrate fallax dicitur, nec brutis propriè convenit.

Notandum 2. Prima & univerſaliſſima principia cognoſci etiam ab inexpertis poſſe: oportebit tamen experientiam aliquam accedere, ex qua intellectus terminos apprehendat, eorúmque ſignificationem intelligat, & ideo cœcus huic principio aſſenſum dabit: *Impoſſibile eſt aliquid eſſe & non eſſe*: ſed non huic: *Impoſſibile eſt ſolem lucere, & non lucere*, quia nunquam expertus eſt ſolem & lucem, & ideo terminorum ſignificationem non apprehendit, cujus defectu nec aſſenſum principijs præſtat. Et ruſtico aut pueris prima principia exemplis non tam probamus quàm explicamus; neſcit enim quid ſit totum, quid pars, niſi exemplo oſtendas civitatis v. g. magnâ turri, aut hominis magno capite inſtructi; & ideo experientia etiam primis principijs valde utilis eſt, quæ tamen non tam eſt ratio aſſentiendi quàm applicatio objecti: ſicut præſentia & debita ſituatio coloris illuminati non eſt ratio videndi, ſed tantùm conditio ſine qua non, & applicatio objecti. Principia verò particularium ſcientiarum, v. g. materiam eſſe incorruptibilem, quæ non tantùm cum inventione, ſed etiam cum diſciplina acquiruntur, experientiâ indigent; nemo enim certum & indubitatum aſſenſum illi principio dabit, niſi qui expertus fuerit omni compoſito corrupto aliquid remanere; & ex nihilo nihil generari; & his experientijs ductus rationem à priori indagare conabitur, hanc videlicet: *Nihil corrumpitur niſi à contrarijs: materia non habet contraria* (cùm omnes formas appetat, omnes recipiat) quæ tamen præmiſſæ partim experientiâ, partim naturali lumine notæ ſunt. Semper ergo eſt verum, experientiam omnibus artibus, etiam primis principijs aut neceſſariam aut valde utilem eſſe.

Sed dices: quî fieri poteſt, experientiam, quæ non eſt omnium ſingularium, cauſam eſſe judicij & notitiæ univerſalis? qui enim dicit: Omnis ignis naturaliter calidus eſt, non omnes eſt expertus: quis novit in Æthiopia, ubi corui ſunt albi, non eſſe ignes frigidos?

℟. Sicut ex ungue leonem, ex vestigio corpus, & avem ex cantu, ita ex aliquot singularibus universalia colligi: quæ naturâ talia non sunt, videmus, saltem mutatis circumstantijs, mutari: ignis nunquam calorem, nec hyeme nec æstate mutat; est ergo naturaliter calidus. Si frigidus in Æthiopia sit, alius specię à nostro erit: Sicut si sol ibi esset lucis & caloris expers, nolo priùs credere ignes frigidos dari, quàm tangas, tanges fortè difficiliùs quàm dicas.

VII. *Quæritur* 5. An Logica sit ars liberalis? *Resp. affirm. Ratio.* Quia est habitus recta cum ratione factivus; procedit enim per regulas certas & indefectibiles: dirigit operationes intellectûs, quæ ex sua natura rectæ aut obliquæ esse possunt: & denique habet quidquid artis est: & quamvis sit de particularibus & contingentibus, quantum ad opus (nec enim fit syllogismus nisi in particulari, eúmque fieri contingens est, cùm possit non fieri) regulæ tamen & præcepta sunt universalia, omnibus applicabilia & necessaria. Nec repugnat eundem habitum scientiam & artem esse; Scientia enim est quatenus regulas suas earúmque causas & principia necessaria examinat; ars, quando regulas non examinat, sed operi applicat, sic enim facit, quod proprium artis est.

VIII. Consistit verò Logicum artificium in multis. 1, Quòd Logica non navim ut Nautica, non lineas visuales ut Optica, non penicillum ut Pictoria, sed intellectum dirigat, potentiam nobilissimam quidem, sed juxtà erroribus obnoxiam, nam post lapsum primorum Parentum sæpissimè fallitur, nisi regulis intelligendi juvetur, ad quas continuò respiciat: Sicut gubernator ad pyxidem nauticam, cùm in alto vela facit: & quoad hoc melior est sensuum conditio, quorum in cognoscendis objectis major est certitudo, minórque hallucinatio. *Deinde* intellectus faciliùs universalia intelligit, quæ nullis temporum, locorum, personarum circumstantijs determinata sunt, & ideo circa particularia tum sensuum testimonio, tum regulis Logicæ opus habet, ut rectè singularia ex universalibus colligat. Non intelligit momento, sed certo ordine & intervallis: Lo-

gica ordinem & gradus præscribit, per quos feratur; hinc prædicamenta, definitiones, argumentationes.

2. Apparet artificium Logicum in secundis notionibus; Conceptus rem ipsam & objectum exhibens v. g. hominem, est prima notio. Conceptus verò quo intelligo ipsum modum concipiendi (concepi enim hominem ut naturam quandam Petro, Paulo, &c. communem) vocatur notio secunda, quæ, ut dixi, non supra objectum ipsum, sed supra modum concipiendi appellat, & his notionibus secundis Logica nomen generis, speciei, &c. imposuit; unde patet, secundas notiones tam non esse entia rationis, quam non est ipse conceptus & cognitio hominis. Quod ergo in Nautica est acus magnetica, ventorum plagas & ortus designans: in Astrologia circuli sphæræque, in Gnomonica umbræ horarum indices; hoc sunt in Logica secundæ notiones: Sicut enim v. g. pyxis nautica, quam compassum vocant, non continet ipsos ventos reales, nec eorum regiones, sed imaginem tantùm ventorum regionúmque, & tamen navigationem dirigit; ita genus, differentia, aliæque notiones Logicæ regulas quasdam & vim directricem habent, quâ in tanta rerum confusione & difficultate verum cognoscendi intellectus ne aberret, continetur, & à falso abducitur.

3. Tribus præsertim defectibus mens in cognoscendo laborat, quòd à vero aberret, aut si verum tangit, quòd obscurè ac velut per nebulam & intra corticem, quòd confusè & absque ordine; medetur omnibus Logica.

4. Per Logicam scimus nos scire, unde maxima animo voluptas & lætitia; potest enim aliquis scire, & tamen hoc ipsum nescire, quemadmodum rectum cursum navigando tenere, nec tamen hoc scire, nisi pyxide inspectâ.

5. Ab aliis tractata in suas partes & membra aptè resolvit, unde claritas & facilitas intelligendi; nec corporis humani fabrica meliùs quàm anatomiâ spectatur.

6. Insidias & fallacias impugnantium veritatem retegit & palam exponit; quò fit ut faciliùs vitentur, & agnitæ contemptui habeantur.

7. De-

7. Denique, ut alia multa omittam, aliæ Scientiæ sine Logica imperfectæ sunt; nam teste Alberto M. *1. top. c. 5.* similes sunt igni, urenti quidem, sed qui nescit se urere; aut cæco rectè ambulanti, sed hoc ipsum ignoranti, quia ambulandi normam, hoc est, lucem, non videt.



§. VIII.


De Platone, Aristotele, & Philosophia Aristotelica.

Summaria.

1. *Platonis ortus & educatio.*
2. *Philosophia Platonica à SS. PP. commendata.*
3. *Errores Platonici.*
4. *Plato excusatus.*
5. *Aristotelis ortus, adolescentia, studia, nuptiæ.*
6. *Alexander M. sub Aristotelis disciplina regijs virtutibus imbuitur.*
7. *Aristoteles occisi Alexandri M. à Plinio accusatus, sed immeritò.*
8. *Extincto Alexandro M. Athenas Aristoteles secedit, moritur. Lis de causa mortis, virtutes & vitia.*
9. *Progressus doctrinæ Aristotelicæ usque in nostra tempora.*



MAgna pars in Deo providentiæ fuit, multis exemplis, quantùm in omne virtutum, ac scientiarum genus naturæ liceret, quantúmque deficeret, ostendere, ut Naturæ, etiam cùm summa est, defectus gratiam commendarent, quæ una abjectissimis quoque unóque momento plus sapientiæ ac virtutum contulit, quàm Natura multo studio multóque labore, etiam maximis. In Seneca quantum virtutis potuit exeruit, in Alexandro quantum fortitudinis, in Lycurgo quantum justitiæ, in Scipione quantum pudicitiæ, sed in Platone & Aristotele quantum ingenij habuit, quantum sapientiæ. Utriusque vitam & Philosophiam breviter dabimus, turpe enim est, auctorem nescire, cujus opus celebramus.



I. Natus est Plato Athenis Olympiade 87. hoc est Anno Mundi *3625.* ante Christum *428.* quamvis enim ludi Olympici ab Hercule Idæo instituti fuerint Anno Mundi 2849. variis tamen de causis per annos ferè 430. intermissi sunt, & ab Iphito Elæorum Rege restituti anno 3278. ante Christum 775. ante conditam Urbem annis ferè 24. à quo tempore Olympiades sedulò numerari cœptæ.

Ferunt Platoni nato è cœlo imbrem aureum venisse, è terrâ apes advolâsse, quæ melle in pueri labrum deposito futuræ eloquentiæ præluderent: & verò tanta hæc fuit, & tam dulcis, ut vulgò jactaretur, Jovem si loqui Atticè vellet, non alio quàm Platonis ore locuturum. Primam ætatem inter Pictores & Poëtas duxit; postea immenso philosophandi amore captus Socrati, Cratilo, Hermogeni Philosophis, Euclidi, Theodoro Mathematicis, Philolao & Theodoro Pythagoræis adhæsit: in Indias iturus ad Gymnosophistas, nisi bello prohiberetur; flexit ergo in Ægyptum: hîc Sacras Scripturas didicisse testis est Clemens Alexand.

Alexand. *1. Stromat.* à quibus tantum luminis & sapientiæ hausit, ut vulgò *Moyses Athenienſium* audiret.

II. S. Augustinus lectione Platonis vehementer se ad virtutem inflammatum esse in libris confessionum testatur: Cato de immortalitate animæ Platonem legens tædio præsentium & amore futurorum pugionem in pectus mersit, tanta illi vis & facundia scribendi, dicendíque fuit. Creditur in Mysterium SS. Trinitatis penetrâsse, sive hunc ab ingenio, sive à Sacris Litteris radium acceperit, de quo vide S. Th. *1. p. q. 32. a. 1. ad 1.* & ad Annibald. in *1. d. 3. q. 2. a. 2.* Planè de divinis adeò sublimiter sensit, scripsítque, ut Divinus Plato diceretur. Vide S. Aug. *l. 2. Confeſſ.* Quæ causa fuit, ut plerique Patrum Platonicam Philosophiam complecterentur, & ab illa ad Catholicam fidem facilè & quamplurimi transirent. Aug. *de vera Relig. c. 4.* Imò tanta Platonicæ cum Christi doctrina cognatio fuit, ut passim jactarent Academici, Christianos, ipsúmque Joannem Evangelistam suas opiniones à Platone conduxisse, cui absurdo errori S. Amb. librum de Philosophia opposuit. Plato peregrè reversus Scholas in Academia aperuit, locus is erat mille passus procul Athenis, arboribus, umbrísque lætus, & studijs amicus, solitudine animum à curis avocante; hinc Secta Academica. Quidquid pulchri & eximij in alijs Philosophis Plato observaverat, in suam Philosophiam contulit, in Moralibus Socratem, in Logicis Pythagoram, in Physicis Heraclitum secutus, ex omnibus flore delibato. Sic docet, miscétque sententias, ut in quam ipse flectat nescias; hinc natum Academicorum dogma, de omnibus dubitantium, nullâ veri certitudine aut scientiâ. Vitam finijt nuptijs accumbens annos unum & octoginta natus.

III. Varij magníque hujus Philosophi errores sunt, adeò remotâ fide etiam summis ingenijs omnia in lubrico & obscuro jacent. Voluit rerum omnium ideas universales & separatas dari, quibus in cornibus lunæ domicilium fixit, v. g. rosam aliquam universalem, cui spinæ quoque, odor colórque universalis esset, hyeme, æstate, autumno florentem, occasûs, ortúsque expertem. Venire animas in mundum refertas rerum omnium speciebus, nec eas aliter corpori, quàm aurigam curru,

Navarchum clavo adesse, substantias videlicet motrices tantùm, non formas corporum. Dari palingenesiam, idémque corpus sæpius phœnicem esse, nasci videlicet renascíque, mori, resurgere. Animarum in corpora descensum per orbes mundanos gradatim fieri; aliquando vitam æthercam animæ apud eam stellam esse, cui maximè naturâ vel affectu vicina; aliquando dæmoniacam in igne, heroicam in aëre, humanam in terris; imò in bestias transire, sed illas, quas moribus referrent, Cantorum in luscinias, audacium in leones, simulantium in vulpes, Homeri in pavonem, Orphei in cygnum, Thamyræ in philomelam, Agamemnonis in aquilam, Thersitis in simiam. Vide S. Aug. in *Gen. ad Liter. c. 10.* Nihil novi animam discere, sed reminisci tantùm. Magno anno revertente, quem propterea Platonicum dixêre, éstque annorum 49000. (quo videlicet spatio nona sphæra gyratur) omnia eo statu reditura, quo aliquando fuerant; Academiam videlicet cum ijsdem frondibus, umbris, subsellijs, Platonem cum ijsdem discipulis, eodem gestu, eâdem voce disputantem; me quoque qui hæc scribo, vósque qui legitis, eâdem facie in orbem prodituros, eo fermè modo, quo sol circumacto anno in eadem signa recurrit: hinc malorum supplicia æterna non fore, qui etiam Origenis error fuit. Dæmonibus corpora esse, & ideo in amores ac venerem rapi, quæ sententia multis Sanctorum Patrum placuit, Basilio videlicet, Irenæo, Hilario, Ambrosio, Gregorio, Bernardo, Augustino, Tertulliano, Origeni, Cajetano in *c. 2. ad Ephes.* Cœlis animam dedit & musicam, singulísque orbibus suam Syrenem velut cantûs moderatricem.

IV. Irascitur more suo Platoni eiúsque Philosophiæ Tertullianus, quòd ex illo Hæretici in Ecclesiam armarentur. Sed quid ab Hæreticis tutum? nam multò magis Sacris Litteris quàm Platone abutuntur, num ergo florem potiùs quàm araneam damnabis, quæ venenum ab innoxio sugit? Negari non potest, in veritatem sæpe multúmque Platonem offendisse, imò & in præcepta morum, sed quî aliter potuit fidei Catholicæ expers? quid ille non fecisset, non scripsisset, si hunc Solem vidisset? nunc verò tam densâ nocte, & in tam lubrico ad tenuem facem, quam

Na-

Natura accenderat, ambulantem, quid mirum eum impegisse aliquando, & lapsum esse? non Platonis hic casus sed noctis fuit. Imò & hos errores modestiâ Plato correxit; solebat enim discipulis dicere, suam de virtutibus doctrinam tenerent, donec sanctiorem alium reperirent, qui meliora eos doceret, tunc enim Platoni veritatem præferrent. Et verò virtutes adeò coluit, easque non sibi tantùm, sed & alijs adamavit, ut cùm parum Athenis proficeret, in Siciliam, in Italiam, in Ægyptum iret imbuendis hominum moribus operam locaturus. Cùm ad Dionysium Tyrannum navigaret, rogatus quò cursum? Ad Siciliam, *inquit*, curandam, malè ex capite laborantem. De hoc itinere sic Plinius: *Platoni Sapientiæ Antistiti Dionysius Tyrannus, aliàs sævitiæ superbiaque natus, vittatam navim misit obviàm, ipse quadrigis albis egredientem in littore ex epit.* Felicem Platonem, si tantum fidei, quantum scientiæ habuisset, nunc verò nemo in Catholica religione tam indoctus rudi que est, qui non multò plura quàm Plato de Deo divinísque cognoscat, & quæ in illo pro maximis habentur, nostrorum elementa sunt, ludique pueriles. Nunc de Aristotele dicamus.

V. Aristoteles genere Macedo, patriâ Stagyrites, Olympiadis 99. anno 1. ante Christum 383. ab Orbe condito 3670. natus est. Parentes habuit copiosos, & arte medicâ florentes, à quibus & ipse illius artis elementa accepit, solitus dicere: *Medicus sum, ut & meis amicis prodesse possim.* Variè cum Aristotele Fortuna lusit. Primam adolescentiam & patrimonium inter epulas & voluptates consumpsit; hinc rerum omnium inopia, cui sarciendæ, militiæ adscribitur. Bellum infeliciter dum caderet, Delphos transit, & Oraculum consulit. Responsum, castra scholis, ferrum calamo mutaret, Marte delicatum militem avertante. Ergo Athenas migrat, totúsque in Philosophiam intentus duodeviginti annos natus Platoni instituendum se tradit. Sunt qui Socratis discipulum faciant, sed malè, Socrate Olympiade 95. hoc est, multò priùs extincto, quàm Aristoteles nasceretur. Platonem ergo 20. annos audivit. Tantam continuò indolem, subtilitatem, industriam prodidit, ut illum Plato Magister jam *Mentem Academiæ*, jam *Philosophum veritatis* appellaret.

Plato-

Platonici etiam *Dæmonium*, ob ingenij præstantiam, Plinius *Virum immensæ subtilitatis*, Averroës *Terminum humanæ intelligentiæ.* Cibi parcissimus fuit, inopiâ etiam parsimoniam augente; ferunt enim odorati pulveris mercaturâ, parvóque quæstu vitam sustentâsse, dum Athenis discipulum ageret. Clemens Alex. & Eusebius testantur* Athenis cum Judæo sermonem contulisse, à quo dum veram de Deo sententiam audiret, libróſque Mosis legendos susciperet, dixisse ferunt: *Pulchra profectò hic Barbarus scribit, si ea probaret.* Perpetuus hic Aristoteli labor, & æstus fuit, rerum causas appetere, nec aliter acquiescere, adeò ut cùm morbo laboranti Medicus poculum daret, nollet priùs accipere quàm causam medicinæ aperiret, *Philosophum*, inquiens, *non brutum curas, causam expone.* Quæ nimia causas omnes persciendi cupido mortem illi attulit, si vera sunt, quæ de Eurippo dicuntur. Somnum libabat potiùs quàm caperet, manu æneam pilam gestante, cujus in subjectam pelvim casu sonóque vigilias repeteret. Studium & lectio tam pertinax, ut illum Plato Anagnosten, hoc est, Lectorem appellaret. Libros scripsit 400. quorum pauci ad nos pervenerunt: versus (nam & Poëticen coluit) 45300. hoc est, quadragies quinquies mille trecentos, teste Laërtio. Jam quintum decimum annum sub Platonis disciplina egerat, cùm alia sentire à Magistro cœpit; hinc Platonis querelæ, ingratum discipulum, pullúmque calcitrantem appellantis. Sed veritas Aristotelem, non æmulatio agebat, integra semper Magistro reverentia, quam erecta dedicatáque Platoni ara ostendit, adiecítque scripturam obsequii & venerationis plenam: *Hic est cui reverentiam & amorem omnes debent.* Platone è vivis sublato Athenas deseruit, & in Mysiam ad Hellespontum, ubi Hermiam regnare acceperat jam olim amicum, secessit. Ibi non hospitium modò, sed & thalamum invenit, Pithiâ Regis sorore in uxorem ductâ, tantúmque adamatâ, ut velut numini thus adoleret, indignum Philosopho facinus, cui lectus pro ara, voluptas pro numine fuit. Adeò ne Aristoteli quidem amare & sapere concessum est; sed nec longa felicitas fuit, Hermia à Persis victo, captoque. Ergo Aristoteles iterum exul in Lesbon insulam, & Mytilenen transit, illic aliquan-

quamdiu moratus tantum ubique docendo, scribendoque commendationis, & famæ collegit, ut exilium in aulam mutaret: Litteris à Philippo Macedonum rege invitatus Alexandro instituendo Magister datur. Epistola Philippi hæc fuit. *Natus mihi filius, Philosophe Aristoteles; quo quidem vehementer lætor, sed non tam quòd natus, quàm quòd eo potissimum tempore natus, quo tu tantus talísque Philosophus ei præire potes ad sapientiam & virtutem, ac dignum efficere dignitatis potentiáq; mea successione.*

VI. Agebat tunc Alexander quartum decimum ætatis annum. Octo annos regius adolescens sub Aristotele meruit, ab eóque Eloquentiâ, Physicis, Moralibus, Politicis, arcanísque artibus (quas huic uni commisisse Plutarchus tradit) imbutus est, tanto profectu, ut Aristoteli Philippus, & Olympias Reges statuas, & publica monumenta ponerent: ipse verò Alexander omni moralium virtutum genere, quæ illud fastigium decebant, adeò præcelleret, ut parem inter reges non haberet. Summa in Parentes Deósque pietas, liberalitas tanta, ut etiam regna donaret: perpetuus periculorum, mortísque contemptus: summa animi magnitudo, adeò ut etiam in hoste virtutem laudaret, & præmio afficeret. Democrito plures mundos asserente lachrymas fudit, quòd in uno adhuc bellaret, nec planè subegisset. Supra ætatem, supra fidem pudicus, pulcherrimas Persarum, quas in potestate & captivas habebat, ne aspexit quidem, sed maritis reddidit intactâ formâ, quod in Juvene, in Milite, in Rege, in Victore miraculum fuit, & facinus dignum Orbis terrarum imperio, quod à Deo in præmium accepit tantarum virtutum. Testis Darius Persarum Rex, qui sæpe ab Alexandro acie victus, regnóque exutus, cùm inter vulnera, quæ à Besso acceperat, ultimum spiritum duceret, hæc locutus fertur: *Alexandro*, inquit, *Dij pro summa in meos clementia ac humanitate gratias referant, cui hoc fidei regia unicum dextra pignus pro me dabis;* hæc dicentem vita destituit. Darij morte Alexandro nuntiatâ, ad corpus demortui perveniens, tam indignam illo fastigio mortem lachrymis prosecutus est, demptáque sibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu ad Matrem Sisygambin patrio regióque more sepeliendum misit. Dubium non est, ab

Ariſtotele tam præclaras virtutes Alexandrum accepiſſe, quas ille in ſuis Ethicorum libris etiam poſteris reliquit. Sed nimia felicitas tot bona in Alexandro corrupit, & ducta à Philoſopho lineamenta detерſit, quem devicto jam Orbe terrarum Babylone omnium gentium legatos audientem mors abſolvit. Vide de illius virtutibus Salianum ad annum M. *3730. n. 25.* & Cornel. *in Daniel.*

VII. Curtius veneno extinctum ſcribit, quod illi Antipater propinaverat, præfecturâ Macedoniæ ob querelas Olympiadis Matris exutus. Sunt qui referant, conſcium mortis Ariſtotelem fuiſſe; hunc enim, cùm inter primos Calliſthenis Philoſophi amicos eſſet, Calliſthene ab Alexandro, cui divinos honores abnuerat, interfecto, Ariſtotelem vehementer indignatum eſſe, præſertim cùm ſe quoque Regi ſuſpectum videret: partim ergo ob amici necem irâ incenſum, partim metu, ne eodem fato caderet, Rege in ſuſpiciones & iras præcipiti, cum Antipatro conjurâſſe. Plinius *lib. 30. hiſtor. natur. c. 16.* hæc habet: *Ungula tantùm mularum reperta, neque alia ulla materia, quæ non perrodatur à veneno Stygis aqua: cùm id dandum Alexandro M. Antipater mitteret, memoriâ dignum magnâ Ariſtotelis infamiâ excogitatum.* Verùm excepto Curtio, omnium ferè Hiſtoricorum ſententia eſt, Alexandrũ non veneno, ſed vini intemperantiâ, febrique ac delirio ex potu orto ſublatum eſſe; maximè cùm epulas epulis adderet, & nativum temperamenti calorem, quod ardentiſſimum erat, in immenſum æſtas & vinum augerent. Audi Plutarchum: *Alexander cùm regio convivio Nearchum excepiſſet, atque inde more ſuo lotus cubitum iret, ad Medium obnixè rogantem commeſſatum ivit; cúmque in ſequentem diem perpotâſſet, febri tentatus fuit, ex qua cùm vehementi ſiti cruciaretur, vinum potavit, itáque in phreneſin incidit; ac trigeſimo menſis Daſij* (qui Junio reſpondet) *vitâ exceſſit.* Addit, etiam in defuncto magnam totius corporis fragrantiam ex nativo calore durâſſe, illúdque ſine ullo aromatum præſidio in ſeptimum uſque diem incorruptum ac ſine tabe conſervatum eſſe, quæ omnia argumento ſunt, mortem non ex veneno, ſed morbo fuiſſe, eáque præter Curtium omnium ferè ſententia fuit, Arriani videlicet, Plutarchi, Juſtini, Athenæi, Livij, Diodori, Oroſij,

Suidæ, Valerij Max. Solini, &c. vide Salianum l. c. & præsertim Diarium morbi Alexandri apud Plutarchum in Alexandro. Deinde si Aristoteles Antipatro complex & socius fuit, cur, rogo, defuncto Alexandro, & Antipatro rerum ac Græciæ, & præsertim Athenarum potito Aristoteles Athenis fugit, metúque mortis sponte in exilium ivit? quid à socio & amico metuebat? & cur non potiùs obviàm processit, præmiúmque ab eo expectavit, cui regnum consilio paraverat? *Cæterum* Alexander Præceptorem suum adeò dilexit, coluítque, ut illius memoriæ statuas poneret, collapsam Stagyram civitatem restitueret, aliquot millia hominum in totius Græciæ, Asiæque tractu parere illi juberet, omnium videlicet, *quos*, inquit Plinius *lib. 8. c. 16. venatus, aucupia, piscatúsque alebant; quibúsque vivaria, armenta, alvearia, piscina, aviaria in cura erant, quos percunctando quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus condidit.* Cui labori 800. talenta liberalissimus Alexander in sumptus adscripsit, qui teste Budæo summam nostratis monetæ reddunt quater centies & octuagies mille aureorum (480000.) talentum enim Atticum valet 600. aureos.

VIII. Alexandro in Persas profecto, Athenas Aristoteles secessit, ubi Lycæum à Magistratu accepit: illic apertæ scholæ, & secta Peripateticorum instituta, sic dicta, quòd soleret Aristoteles globo discipulorum cinctus disputare inambulando. Post Alexandri mortem æmulorum invidiâ apud Hierophontem Sacerdotem accusatus, quòd Deorum multitudine damnatâ unum assereret, causam dixit, & mox Chalcidem profugit; metuebat enim, ne Socratis exemplo ob eamdem causam damnati mori cogeretur. Chalcide secundo ab Alexandri obitu anno mortem oppetijt. Cùm morientem circumstantes discipuli rogarent, cui Lycæum relinqueret; Theophrasto Lesbio an Menedemo Rhodio Philosophis? vino labrum admovit, libatóque Lesbio Rhodióque; *Firmum & jucundum*, inquit, *est Rhodium, sed Lesbium jucundius*: quo dicto Theophrastum prætulit. Tandem in lachrymas & suspiria doloris plena solutus fertur primi Entis clementiam, cujus causâ exulabat, his verbis implorâsse: *Ens entium miserere mei.* Vide Cælium *l. 16. c. 34.* Explevit annum 63.

63. De causa mortis variant Historici; alij dolore confectum scribunt, quòd causam Eurippi novies quotidie reciprocantis assequi non posset: alij veneno, alij viscerum doloribus consumptum. Fabula est, mari haustum esse, quòd Eurippi motus non caperet; id enim à nullo historicorum traditur. *Primus omnium*, inquit Strabo *l. 3. congestis libris bibliothecam composuit, idque Ægypti Reges facere docuit.* Docuit Mundum fuisse æternum: non posse Deum, nisi mutetur, alios mundos creare, & quem creavit, necessitate, non sponte creâsse. Fuit Aristoteles staturâ corporis parvâ, nec conspicuâ, quam tamen ut arte juvaret, odoramentis, balneis, annulis, cultúque supra Philosophum insigni emendabat, adeò ut Platoni à luxu displiceret Valetudine tam firmâ ac immensi laboris patiente, ut semel tantùm morbo tentaretur. Mores tanto Philosopho pares, qui amorem non tam provocarent, quàm extorquerent. Summa in illo humanitas ac benignitas. Injurijs à quodam & contumelijs appetitus, *Non*, inquit, *adverteram*. Indoles gravis, & ab omni obscæno ac ridiculo aliena. Gratitudo maxima. Platoni Magistro, quamvis æmulo, statuas posuit. Protogenem laudatissimum pictorem hortatus est, ut alijs omissis, Alexandri victorias pingeret, *propter immortalitatem operum*, inquit Plinius. Proxenis Curatoris sui prolem & bonis artibus instruxit, & testamento filium adoptavit. Liberalitas tanta, ut domi suæ quamplurimos pauperum aleret, & libertate donaret. Animus utrique par fortunæ, & æqualiter in prospera & adversa libratus, quem nec ista frangerent, nec illa extollerent. Libertas Philosopho digna: Alexandrum quòd Calisthenem innocentem leonibus objecisset, acriter objurgavit, hinc suspiciones in illum, & Regis indignatio concitatæ. Pietas denique in Deum, quantum illi superstitio & tenebræ permittebant. Testatur Laertius libellum de votis & precationibus scripsisse. Summam felicitatem in Dei contemplatione constituit. Unum Deum agnovit, docuit, eáque de causa judicium & exilium subijt, cujus etiam clementiam & misericordiam moriens appellavit. Nec vitia tamen inter virtutes abfuêre. Amoribus nimium & æmulationi dedit. Cùm Alexander amplis muneribus Xenocratem, qui

Lycæ-

Lycæo præsidebat, donâsset, Aristotele prætcrito, ferunt hunc invidiâ percitum de tollendo Alexandro cum Antipatro convenisse, quod suprà refutatum est. Cùm audîsset Isocratem aperto Rhetoricæ ludo summis laudibus extolli, & ipse Rhetoricam docere aggressus est, *Non est æquum*, inquiens, *me tacente Isocratem loqui.*

IX. Sectæ ac doctrinæ Peripateticæ hic ordo, & progressus fuit. Theophrasto, quem inter discipulos charissimum Aristoteles habuit, suos libros commisit, cavitque, ne unquam in publicum proferret. Theophrastus, cùm vivis excederet, Neleo tradidit, amico æquè & discipulo. Neleus filijs reliquit, qui Attalicorum Regum metu omnes libros instruendæ bibliothecæ conquirentium eos terræ infoderunt: illic 150. annos latuêre, tineis, humilóque corrupti, Appelliconi Teio magno argento venditi. Appellicon exscribi curavit, sed scribarum imperitiâ infinitis erroribus referti sunt. Primus Sylla Romam detulit. Imperante Antonino Pio Alexander Aphrodiseus insignes in Aristotelem commentarios edidit. Secutus Ammonius Alexander anno Christi 210. qui magno Christianæ rei bono publicè Philosophiam etiam Ethnicos docuit, & Platonicam miscuit Aristotelicæ. Anno 360. floruit Themistius Philosophus Peripateticus, quamvis Ethnicus, tamen Christianis amicus, Constantio, Juliano, Theodosio Imperatoribus præclarus magnísque dignitatibus auctus. Sub Valente Imperatore Catholicorum causam præclarâ Oratione contra Arrianos egit: Gregorio Nazianzeno inter primos amicos, & ut omnia complectar, Augustini Magister: hujus ergo ingenium & Philosophiam tot hæreticorum victricem Aristoteli debemus. Scripsit Themistius insignes in Aristotelem commentarios, & laudatissimam ac pulcherrimam in posteriora analytica paraphrasin.

Circa annum 400. Magnus Augustinus secutus est, nescias major Philosophus an Theologus: de illo Trithemius: *Tanta scripsit, ut neminem crediderim omnia posse vel legere, vel habere; cunctos enim scriptores & numero librorum & utilitate præcedit, qui plus quàm mille Tractatus scripsit.*

Vix annum vigesimum ingressus Categorias Aristotelis publicè exposuit. Circa annum 500. & 600. Boëtius Senator & Consul nobilissimus ex Aniciorum stirpe primus in aula Theodorici Regis Aristotelis libros Latinos dedit, & ita Peripateticam doctrinam Occidenti vulgavit. A Theodorico Rege in suspicionem vocatus & carceri inclusus, libros de consolatione philosophica scripsit, quibus ostendit magnam esse Philosophiæ vim ad ferendas calamitates, & animum contra fortunam muniendum. Circa annum 800. S. Joannes Damascenus Philosophiam Aristotelis in compendium collegit. Circa annum 1150. Averroës & Avicenna Arabes Philosophiam Aristotelicam totâ Africâ & Hispaniâ, quâ potiebantur Arabes, celeberrimam reddidêre, instituto Cordubæ collegio, in quo doceretur, multísque editis commentarijs, quorum tamen tanta barbaries est, ut vix intelligantur, & ea in nostros etiam Philosophos, Theologósque decurrerit, quibus fœditas sermonis tanquam merx peregrina & ex Arabibus ducta in pretio est. Circa annum 1210. Americus Doctor Parisiensis dum Aristoteli, præter lineam fidei Catholicæ, adhæreret, in hæreses lapsus est, Aristotelis doctrina, quæ in Parisiensem Universitatem jam venerat, damnata, ejúsque libri in flammas conjecti. Sed tandem sub annum 1250. Peripatetica doctrina operâ, studio, pulcherrimísque commentarijs Alexandri Alensis, SS. Alberti M. Bonaventuræ, & præsertim Thomæ Aquinatis toto Orbe decantari cœpta, sola in triumphum ducta, reliquis Philosophorum sectis longè præteritis. Patritius in libro de Peripateticis discussionibus testis est, circa annum 1400. tantâ omnium Doctorum æmulatione illustrandæ Philosophiæ Aristotelicæ certatum esse, ut supra 12000. voluminum typo impressorum in Aristotelem circumferrentur. Jam nulla est Europæ Universitas, quæ Aristoteli cathedram non posuerit. Parisiensis anno 1611. publico decreto illius se doctrinæ obstrinxit. Negari haud potest, Patres Ecclesiæ primitivæ Aristoteli ejúsque libris infensos fuisse, quòd videlicet nimium rationibus & sensui tribueret, quod Christianæ fidei adversum videbatur, supra omnem rationem sensúmque positæ: sed postmodum experientiâ patuit, maximè Arianâ hæresi

resi grassante, mysteria nostræ fidei sine Aristotelis Philosophia credi quidem posse, sed non explicari, non defendi contra impugnatores, non reduci ad principia & rationes naturales, quæ ad fidem disponunt, & quantùm hujus natura permittit, obscuritatem illustrant. Hinc in Concilio Nicæno tanta Patrum cura, ne cum Philosophis hujus scientiæ imperiti, quamvis aliàs sanctissimi, concurrerent. Nihil ferè in tota Theologia est, præsertim cùm de Deo & Trinitate ac virtutibus agit, quod intelligi aut explicari possit tacente Aristotele. Lege hujus libros Moralium ac Politicorum, & videbis omnium virtutum naturam & proprietates tam distinctè, & ad vivum expressas, ut à Christiano nihil expressius & elegantius potuerit, & cùm Theologica Scientia duabus præmissis nitatur, unâ naturali, alterâ fidei, idem est Philosophiam, quæ est scientia naturalium, quod Theologiam tollere.



§. IX.

De Methodis.

Summaria.

1. *Quid inter Methodum & Ordinem intersit.*
2. *Divisio Methodi.*
3. *Regulæ Methodi generales.*
4. *Regulæ pro Methodo synthetica.*
5. *Regulæ pro Methodo analytica, quæ scientiis practicis deservit.*

I. Sunt,



I.



SUnt, qui diſtinguant inter Ordinem & Methodum. Ordo enim eſt diſpoſitio partium ſecundùm prius & poſterius, abſtrahendo an hic ordo inſerviat aut non inſerviat ad majorem rei cognitionem, an deducat, aut non deducat ex notis ad notitiam ignoti; Ordo enim ad plura conducit]: ad rei pulchritudinem, ad delectationem ſpectantis, ad victoriam, ad ſanitatem, ad doctrinam, &c. Methodus verò eſt modus à ratione ordinatus procedendi in veritatis indagine, ut Galenus definit. Methodus ergo eſt ſpecies Ordinis, & ab hoc diſtinguitur, quia Methodus ad ſolius veritatis indaginem refertur, & quia ex notis deducit ad cognitionem ignoti; ac tandem, quia ordo eſt etiam in rebus & artefactis, Methodus verò tantùm in cognoſcente & Artifice. Vide latiſſimè Zabarellam de Meth. Finis ergo Methodi eſt, optimè facillimè & clariſſimè rem aliquam cognoſcere, aut ſcientiam acquirere, alijſque cognoſcendam tradere. Advertit tamen Hippocrates lib. *de homin. nat.* non opus eſſe methodo in ijs, quæ experientiâ diſcere volumus, nam ſine alia Methodo tacto igne cognoſcis eſſe calidum; ſi autem ratiocinando probare de igne velis, quòd ſit calidus, quia rarus, ſubtilis, lucidus, &c. Methodo locus erit.

II. Varia & multiplex eſt Methodi diviſio. Methodus arbitraria & inartificialis eſt, quæ non tam ex ordine naturæ & regulis artis conſtituitur, ſed pro varijs diſcentis & docentis circumſtantijs captui, aut delectationi accommodatur; eſt enim quædam ars artem negligere, & quidam ordo ordinem confundere, ut patet in remedijs empyricis, in orationibus patheticis, & in alijs quibuſdam, ubi ipſe neglectus ordinis eſt quidam ordo,

do, hoc eſt, diſpoſitio ad finem aliquem conſequendum apta, de quo vide Ariſtotelem, & ibi S. Thom. *l. 2. Metaph. circa fin.*

Methodus artificialis eſt, quâ juxta rerum naturam normásque artis partes inter ſe diſponuntur. Methodus univerſalis eſt, quâ integrum ſyſtema ſcientiæ alicujus eiúsque partium ordinatè aptéque collocatur.

Methodus particularis, quâ utimur in tractatione unius tantùm, vel alterius quæſtionis, non verò totius Scientiæ.

Methodus Synthetica ſeu Compoſitionis eſt, in qua progredimur à ſimplicioribus & prioribus ad magis compoſita & poſteriora, & hoc quatuor modis fieri poteſt. *Primò*, cùm procedimus à ſimplicioribus ad magis compoſita. Grammaticus à Literis ad ſyllabas, ad nomina, ad verba, ad integras orationes: Logicus à terminis ad propoſitiones, ad Syllogiſmos: Phyſicus à principijs corporis naturalis in genere ad principia in ſpecie, ad ejus proprietates; *tum* ad ſpecies corporis naturalis. *Secundò*, cùm procedimus à magis ad minùs univerſalia, ut ſi acturi de animalibus priùs de animali in genere, tum de eius ſpeciebus agamus. *Tertiò*, cùm à cauſis ad effecta, ſicut Phyſicus priùs de anima quàm effectibus agit: & acturus de eclypſi priùs de terræ interpoſitione, de umbra terræ, de concurſu luminarium in eclyptica agas, quæ ſunt cauſæ eclypſis. *Quartò*, quando progredimur de medijs ad finem, quomodo Medicu priùs remedia ægro applicat, quàm ſanitatem conferat.

Methodus Analytica ſeu reſolutoria eſt, cùm à poſterioribus, magísque compoſitis ad priora magísque ſimplicia procedimus: & hoc æquè quatuor & oppoſiti modis Methodo Syntheticæ. His prænotatis ſingulis Methodis ſuas regulas aſſignabimus; præſertim duabus ultimis, quæ majorem in ſcientijs uſum & locum habent.

III. *Dico 1.* Pro Methodo in genere obſervandæ ſunt regulæ ſequentes.

Regula 1. Nulla pars deſit, nulla abundet & ſuperflua ſit, ſuperflua enim mentem confundunt, neceſſaria, ſi deſint, ignorantiam pariunt. Contra hanc regulam plerique modernorum peccant, qui tam multa inutilia, ac levia nullíque uſui

S valitu-

valitura Theologiæ & Philosophiæ miscent; tam multa necessaria scitu omittunt, ut nescias defectu, an excessu magis noceant discentibus.

Regula 2. Partes antecedentes & consequentes inter se distinctæ in certo principio & fine seu scopo conveniant; quod fiet, si Scientia certum objectum respiciat, quæstio, ejúsque resolutio certum finem, intra quem sistat; alioqui si nullum scopum præfigas, evadet omnis disputatio vaga, exerrans, confusa, & fastidiosè prolixa.

Regula 3. Partes ita connectendæ, ut lectori vel auditori appareat priora posterioribus cohærere.

Regula 4. Partes Methodi sint omnes homógeneæ, non heterogeneæ, hoc est, Logica de rebus Logicis, non Metaphysicis agat; Physica de Physicis, non Logicis, &c. id enim esset extra objectum & limites scientiæ ferri, ordinémque turbari.

Regula 5. In omni materia pertractanda ratio habeatur, *tum* rerum quæ tractantur, *tum* etiam auditorum quibus proponuntur; nec enim res omnes eodem argumentorum, & rationum genere probandæ & confirmandæ sunt; res enim sempiternæ, mutationis expertes, Mathematicæ, &c. exactissimas & evidentes demonstrationes admittunt: morales & humanæ, varijsque casibus obnoxiæ, solùm probabiles & verisimiles. Vide eleganter S. Th. in *l. 2. Metaph. Lect. 5.*

Sic etiam alia est disputandi ratio cum eruditis, sapientibus, præcelso ingenio præditis: alia cum vulgo, ineruditis, literarum expertibus, &c.

Regula 6. Denique speculum Methodicæ doctrinæ videre est in summa Theologica S. Thomæ Aquin. in qua omnes dotes exquisitissimæ Methodi reperies, Ordinem, claritatem, majestatem Theologo dignam, brevitatem, decorum, suavitatem, varietatem, probandi efficaciam, & denique quidquid desideres ab Angelica manu, ut meritò de illo Joannes XXII. dixerit, *tot miracula fecisse, quot articulos scripserat*, & Cardinalis Pallavicinus sibi ipsi indignetur, *quòd aliorum Auctorum lectioni 30. annos*

insump-

insumpserit, qui tandem omnia multóque plura in D. Thoma legerit, huic uni deinceps se, & ingenium, & oculos sacraturum.

IV. *Dico* 2. Pro Methodo Synthetica & compositionis hæ sunt regulæ.

Regula 1. Methodus Synthetica inservit Scientijs tum tradendis tum inveniendis: qui ergo Scientiam alicujus rei comparare vult, v. g. hominis, oportet, ut priùs de materia, forma, unione hominis agat, hoc est, priùs de partibus, principijs & causis, & tunc demum de toto: priùs de simplicibus, tum de magis compositis. Quam Methodum Aristoteles egregiè in octo libris observavit, ubi

1. Agit de Methodo procedendi in hac Scientia, eámque assignat, ut à causis & principijs ordiamur, & inter ipsa principia ea assumantur, quæ nobis sunt notiora & manifestiora: manifestiora autem esse universalia particularibus, confusa distinctis.

2. Agit de principijs in genere, & præmittit ab omnibus admissa, tum ad dubia progreditur.

3. Agit de principijs in particulari. 4. De natura; cùm enim Physica sit de principijs naturalibus, postquam de principijs in genere actum est, oportuit etiam de naturali agere.

5. De causis, & primò de magis notis, tum de minùs notis, casu videlicet & fortuna.

6. De effectibus & proprietatibus corporis naturalis, & primò de motu, utpote notissimo, & de hoc quidem, *tum* in communi eiúsque affectionibus, *tum* in specie & partibus; ac tandem de ejus affectionibus & mensuris extrinsecis, hoc est, loco & tempore, & absoluta consideratione motûs assurgit ad ipsa moventia, primúmque motorem; de cujus æternitate infinitate, immutabilitate ac unitate præsertim tam multa, & præclarè dixit, ut mirum non sit Aristotelem eâ causâ exilio damnatum, quòd proscriptâ Deorum turbâ unum agnosceret, doceréque, crimen ab Atheniensibus pro magno habitum, nec impune auditum.

7. A Corpore Naturali eiúsque affectionibus in genere pergit ad species, & primò quidem de universalissimo, hoc est,

de Mundo, & primò in genere (an fit perfectus, an omnes ejus partes eâdem materiâ constent, an possint plures Mundi quàm unus produci, an perpetuò duraturus, &c.) tum de ejus partibus, videlicet de cœlo ejúsque proprietatibus, de elementis, de mixtis, & primò imperfectis, hoc est, meteoris: tum perfectis, sed inanimatis, hoc est, metallis, lapidibus, deinde animatis: & primò de anima in genere eiúsque proprietatibus: de anima in specie Vegetativa, Sensitiva, Rationali, &c. Ubi vides, perpetuum hunc esse Aristotelis ordinem, curámque, ut de principijs ad composita, de imperfectis ad perfecta, de partibus ad totum, de universalibus ad particularia, de genere ad species deveniat, quæ planè est methodus Synthetica, & Scientiæ contemplativæ necessaria; & ratio est, *tum* quia scire est rem per suas causas & principia cognoscere; prior ergo est notitia partium & causarum, quàm Scientia; qui enim priùs non cognovit terram soli ac lunæ interponi, & umbram à terra usque ad lunam pertingere, nunquam sciet eclypsin; videbit quidem lunam obscurari, sed nisi causa præcognita, nesciet; & ita cognitio distincta & confusa præcedit movétque desiderium sciendi, causásque indagandi: deinde sequitur causarum indagatio & inventio, ac tandem fit applicatio & comparatio causæ ad effectum, hunc ex illa deducendo, & hoc est scire: *tum* etiam quia cognitio confusa & universalium prior est cognitione distinctâ & particularium, ut patet in ijs, quæ procul videntur, & alibi ostendemus, docétque Aristoteles *lib. 1. Phys. c. 1.* faciliùs siquidem ea, quæ multis communia sunt, cognoscimus, quàm quæ singulis propria. Asinum esse animal sciunt omnes, sed quomodo ab equo distinguatur, pauci: quæ multis communia sunt, sæpe multúmque in oculos & intellectum incurrunt, & ita faciliùs in experientiam, & ab hac in intellectum transeunt.

Regula 2. Ad Methodum Syntheticam pertinent subjectum Scientiæ, causæ & principia, ac tandem affectiones. De Subjecto præcognosci debet quòd sit, quid sit, & ut habeat certas proprietates, quæ de illo demonstrentur; cùm enim Methodus sit via ad scientiam, sicut Scientia, ita & Methodus præsupponunt,

nunt, ſubjectum de quo aliquid demonſtrandum eſt, jam præcognoſci, quid ſignificet & quid ſit. Si enim neſcias quid ſit Saturnus, quomodo de illo demonſtrabis, eſſe ſidus ferale, noxium, exaſperans, octavo menſi præſidens, & ideo octimeſtri partui infauſtum? Expedit tamen, Scientiam aliquam aggredienti, v.g. de anima, objecti definitionem præmittere, ejusque omnes partes explicare, ut ita diſtinctiùs clariúſque pateat, quid ſit anima, & tantò faciliùs demonſtrari de illa poſſint proprietates.

V. *Dico 3.* Pro Scientijs operatricibus & practicis (quatenus docent, & regulas tradunt, non quatenus operantur) hæc regula eſt, ut in ijs diſcendis tradendíſque procedatur Methodo analyticâ & reſolutivâ, ita videlicet ut à notione finis progreſſus fiat ad cognitionem principiorum, ſeu mediorum, quibus ad finem pervenitur, & cùm finis in ſcientijs practicis ſit, quod objectum in ſpeculativis, etiam de fine prænoſci oportet, *quòd ſit & quid ſit*: militaris enim præſupponit, vinci poſſe, & tantùm de medijs vincendi conſultat: Medica ſupponit corpus ſanari poſſe, ſupponit etiam ſanitatem eſſe bonam totius corporis habitudinem, & ideo de ſanitate nihil demonſtrat, aut ſi demonſtrat, ex principijs Phyſicæ demonſtrat. Ratio Concluſionis eſt: *tum* quia cùm ars operatrix ſit circa finem, quem ſupponit, & de quo non conſultat, ſed tantùm de medijs, oportet finem eſſe medijs notiorem; ſed omnis doctrina à notioribus incipit: *tum* quia finis eſt menſura & regula omnium mediorum; nec agimus de medijs, niſi ut proportionem ad finem habent; priùs ergo de fine agendum eſt, & tum de principijs & cauſis illius: ſicut qui agit de menſurato, priùs agit de menſura, & qui agit de regulato, priùs de regula, alioqui nec menſuratum nec regulatum intelligi poſſent: *tum denique* exemplo omnium artium, Architectonica in opere quidem ipſo compoſitivè procedit, à partibus videlicet domûs ad totam domum, ſed in doctrina priùs de tota domo ejúſque uſibus, & poſtea de partibus domûs, & ideo bene monuit Ariſtoteles *l. 7. Metaph. text. 23.* domum fieri à domo, hoc eſt, domum realem à domo ideali. In arte Medica tradenda Averroës Methodi obſervantiſſimus tres

Medicinæ partes constituit: *Primam*, in qua de subjecto operationis, hoc est, corpore humano agitur; nisi enim artifex aliquam subjecti cognitionem habeat, v. g. Medicus corporis humani, Architectus lapidum, nunquam circa illud ritè operabitur, neque enim omne lignum recipit formam Mercurij, nec omne membrum eadem medicamenta, modúmque curandi: dentes si doleant, evelli expedit, non tamen caput & cor, quamvis acerrimè doloribus crucientur. *In Secunda* parte de fine tractatur, qui est sanitas. *In tertia* de medijs & principijs adipiscendæ sanitatis, quæ sunt velut conclusiones ex fine ipso deductæ. Vide Zabarellam eleganter *de Meth. l. 2. à c. 12.* Sed omnium pulcherrima est Methodus resolutiva, quam S. Thomas observavit in Theologia practica à Prima Secundæ, quâ planè nulla pulchrior, & exquisitior, suísque numeris absolutior aliquando visa est. Illam vide, & si potes, non admirare: ausim ego de illa quod Scriptura de solio Salomonis dicere: *Non est factum tale opus in universis terris.*

Regula 2. Ad Methodum resolutivam revocari potest Methodus definitiva: cùm videlicet acturi v. g. de Medicina, ejus definitionem ponimus, eiúsque omnes partes explicamus; sicut enim à centro duci possunt lineæ ad totam circumferentiám circuli, quia totus circulus virtualiter est in centro; ita à definitione duci potest tota aliqua & scientifica disputatio, quia definitio est virtualiter tota scientia; nam sicut definitio hominis est totus homo, & homo virtualiter continet omnes suas proprietates & accidentia, ita eadem definitio hominis est virtualiter tota scientia & cognitio hominis, & complectitur, quidquid dici de homine, cognoscíque potest. Sic Aristoteles in L. de Interpret. & L. prior. & poster. Analyticorum, à definitionibus exorsus est. Sic omnes Mathematici; sic Galenus Medicinam definijt *Artem salubrium, insalubrium & neutrorum*: deinde hanc definitionem dissolvens, Primò de salubribus egit, tum de insalubribus, tandem de neutris.

Sed adverte, eam Methodum aptissimam esse, quæ proposito maximè deservit, conducítque veritati: quæ autem ea sit, non

non tam regulis, quàm experientiâ & judicio opus esse; sæpe enim multarum regularum observatio impedimento potiùs, quàm usui est; sicut & multæ struthioni pennæ, non volatui sed oneri sunt; & experientiâ didici, eos qui pulcherrimè regulas tradunt, pessimè uti, ingenio ad plura distento, aut multitudine oppresso, & ideo nec plura de Methodo.



LOGICÆ PARS I.

EA QUÆ SPECTANT AD PRIMAM MENTIS OPERATIONEM, EJUSQUE DIRECTIONEM.



Res sunt mentis operationes: Apprehensio, Judicium, Discursus.

Prima Objectum cognoscit, sed de illo nihil asserit, nihil negat, & instar simplicis imaginis solùm hoc habet, ut repræsentet.

Secunda De objecto aliquid asserit, aut negat; nec enim linguâ tantum, aut vocibus, sed etiam intellectu, & conceptibus Anima loquitur: & hæc Secunda cùm componat, hoc est, prædicatum subjecto nectat (nec enim aliter affirmare aliquid aut negare possumus) supponit Primam; nemo enim potest priùs de Æthiope dicere, quòd sit niger, quàm Æthiopem & nigredinem conceperit.

Tertia Non solùm de subjecto aliquid asserit negatve, sed etiam ex assertis & negatis aliquid infert, & hæc Tertia duas Pri-

mas ſupponit, ut patet. Cùm ergo tres ſint operationes Mentis, tres etiam ſunt Logicæ partes, cujus prima primæ operationi inſervit, eámque dirigit. Quia verò Apprehenſio, ſimplicéſque conceptus ſunt partes & termini propoſitionum, & ex illis error ac confuſio naſci poſſunt, ſi eorum ſuppoſitio varietur, unus pro alio accipiatur, &c. *Rurſus*, quia termini alij ſunt univerſales, alij particulares; ipſique ſimplices conceptus rem aliquam repræſentant ſecundùm perfectiones, aut pluribus communes, aut ſingulis proprias: *Deinde*, quia tunc Apprehenſio eſt recta, quando rem, ut eſt, repræſentat, & ſæpe intellectus fallitur apprehendendo ſubſtantiam eo tempore & loco, quo accidens v. g. apprehendi deberet, cui cavendo errori maximè conducunt Prædicamenta, hoc eſt, claſſes quædam & loculamenta omnium rerum, ex quibus quæ res ſint ſubſtantia, quæ accidens apparet, quæ genera, quæ ſpecies. &c. Ac tandem, quia omnium perfectiſſima eſt Apprehenſio, quæ rerum eſſentiam exprimit, quod fit Definitione, ideo tota hæc prima Logicæ pars agit de Terminis, de Univerſalibus, Prædicamentis, ac Definitione, quæ Methodus utique Analytica eſt, procedens à fine in intentione (qui eſt dirigere Apprehenſionem) ad finem in executione (qui eſt actualis ipſa & perfectiſſima ac definitiva apprehenſio) per media huic fini conducentia, quæ ſunt genera, differentiæ, prædicamenta, &c.

Alij Logicam ſic dividunt. Cùm Logica de modo diſſerendi agat, & tres ſint modi diſſerendi, Definitio, Diviſio, Diſcurſus, Prima Logicæ pars eſt de Definitione eiúſque partibus, hoc eſt, Terminis, Univerſalibus, ac Prædicamentis, in quibus genera, differentiæ, ſpecies, &c.




Caput



CAPVT I.

§. I.



DE TERMINIS.

Summaria.

1. *Definitio Termini.*
2. *Non convenit vocibus extra propositionem positis.*
. *Eam tamen meretur vox non significativa.*
4. *Sicut & Copula* eſt *materialiter ſumpta.*
5. *Celebriores Termini diviſiones.*
6. *De Univocis & æquivocis.*
7. *Dari analoga ab univocis & æquivocis diſtincta oſtenditur.*
8. *Eorum definitio & diviſio.*
9. *Quænam conditiones ad analoga attributionis requirantur.*
10. *Analogiam proportionalitatis propriæ admittendam eſſe auctoritate, & rationibus evincitur.*
11. *Quæ illius conditiones.*
12. *Tranſcendentia tollit univocationem.*
13. *Solvuntur objectiones.*

T 14. Si-

14. Sicut & dependentia.
15. De concretis, & abstractis eorúmque significatis.
16. De denominante, & denominativo.
17. Denominatio extrinseca perperam ens rationis dicitur.





Ermini vox est ambigua, aliquando finem significat, aliquando limitem: hîc pro simplici conceptu nihil affirmante, nihil negante accipitur, & quem simplicibus etiam vocibus exprimere solemus, quales sunt: *homo, animal rationale, &c.* tales enim voces sunt velut limites quidam, intra quos tota clauditur propositio.

I. *Quæritur ergo* 1. Quid sit Terminus Logicus? *Resp. Terminus est extremum, in quod resolvitur propositio tanquam in prædicatum & subjectum.* Ita definit Aristoteles 1. *prior. c. 1.* Dicitur *extremum*, quo modo terminus cum puncto lineæ extremo, cum lapide limitari, alijsque extremis convenit, quæ tamen non sunt extrema propositionis, quod soli termino, de quo agimus, convenit: & quia etiam integræ propositiones possunt esse prædicatum & subjectum (ut si dicas: *Hæc propositio: Omnis homo est animal, est affirmativa*) ideo possunt etiam termini esse. Meliùs, hoc est, essentialiùs alij terminum definiunt, *quòd sit extremum propositionis:* licèt enim tam posse destrui, quàm posse produci sit essentiale rebus corruptibilibus, & maximè artificiatis, *corruptibilitas* tamen est consequens ad *producibilitatem* & hanc supponit, sicut ipsum *corrumpi* supponit *produci*: non autem est absurdum, essentiam gradus habere, & ordinem aliquem per respectum ad aliquos effectus priores & posteriores: sicut ergo in alijs rebus, ita & in terminis, prius est esse partem *compositionis* quàm *resolutionis*; licèt utrumque sit termino essentiale; sed Aristoteles per resolutionem definivit, quia factâ re-

so-

ſolutione partes magis innoteſcunt, cùm redeant ad ſuam & ſimplicem naturam, ſicut factâ per corruptionem, aut anatomiam compoſitione corporis, magis iſtius partes, oſſa, nervi, viſcera in oculos cadunt.

Dices: Æquè obſcurum eſt quid ſit propoſitio, quàm quid terminus, malè ergo hic per illam definitur.

℞. Cùm terminus ſit pars, & pars ſit totius, non poſſe partem niſi cum reſpectu ad totum definiri, & totum ſæpe eſt notius parte quoad nos & confuſè; qui enim procul velificantem navem ſpectat, totam videt & nullas partes diſtinctè, prior ergo & notior eſt confuſa notitia totius quàm diſtincta partium.

II. *Quæritur 2.* An voces extra propoſitionem poſitæ ſint Termini?

Reſp. Voces extra propoſitionem poſitæ non ſunt termini, quia actu non terminant.

Ratio eſt, quia licèt in phyſicis & naturalibus determinatio fiat ab aptitudine naturali, non ab actu, ſicut anima hominis ſeparata eſt, & dicitur forma, quamvis non informet, ſenſitiva, quamvis non ſentiat, &c. in artificialibus tamen & ex arbitrio ac inſtitutione hominum pendentibus ſola aptitudo non denominat; quamvis enim truncus aptus ſit eſſe ſtatua, non ideo & antequam elaboretur eſt ſtatua: & lapides, quamvis apti ſint uniri & fieri domus, antequam tamen uniantur, non ſunt domus: *& diſparitas eſt*, quia certa & determinata denominatio debet fieri à certo & determinato actu: lapis verò v.g. aut lignum non habet aptitudinem magis ad domum quàm non domum, ad ſtatuam quàm non ſtatuam, ſed eſt in ſtatu neutro, & illa aptitudo nimis remota eſt, nec eſſentialiter ad formam ſtatuæ ordinata, & ideo ſi nunquam ſtatua fiat, non ideo erit in ſtatu violento, aut præternaturali; imò ſæpe perfectiones naturales amittit, dum recipit artificiales. Sic etiam nullum lignum dicitur ulna, quamdiu eſt in ſtatu purè naturali, niſi ab arte aliquam determinationem ad metiendum potiùs, quàm ad aliud recipiat. Secùs eſt in potentijs & formis naturalibus, quæ aptitudinem naturalem habent, & determina-

tionem ad certum actum, à qua denominantur, etsi non agant: intellectus enim est determinatus ad cognoscendum, voluntas ad volendum, forma ad informandum, essetque contra istorum naturam, si ad aliud applicarentur. Cùm ergo voces extra propositionem non sint naturaliter determinatæ ad componendam propositionem potiùs, quàm non componendam; nec actu componant, aut terminent, nisi Logicâ ordinante, tamdiu non debent termini, antequam Logica eos uniat, & locum prædicati aut subjecti tribuat, quàm lapides, & ligna non dicuntur domus, nisi ab Architecto ordinata: & sicut aptitudo lapidis non facit domum, aut statuam, ita non facit terminum, nec prædicatum aut subjectum, sic etiam sola vocis aptitudo ad aliquid significandum non facit nomen, nisi aliquid significet, quia significare est effectus artis, qui à sola aptitudine non habetur.

III. *Quæritur* 3. Utrum voces non significativæ sint termini?

Resp. Etiam voces non significativæ, v. g. *blictr*, *scbyndapsis*, *&c.* sunt termini: quamvis enim nihil significent, potest tamen de illis aliquid affirmari aut negari, ut si dicas: *blictri est vox nihil significans*; ergo possunt esse extrema propositionis, ergo termini: & talis propositio quamvis constet subjecto nihil significante, dici tamen simpliciter potest significativa (sicut homo simpliciter corporeus) quia de subjecto aliquid significat.

Quæritur 4. An copula *est*, sit etiam terminus? *Resp.* Copula *est* materialiter sumpta etiam terminus est, quia significari de illa aliquid potest; formaliter verò, ut est in propositione, connectitque prædicatum cum subjecto, non est terminus, sed unio; quomodo enim terminus, cùm non sit extremum, sed medium propositionis? Unio hominis non est homo, Unio lapidum non est lapis, ergo nec unio terminorum est terminus

Si dicas cum aliquibus esse *terminum Quo*, quia est ratio, quòd aliqua vox sit prædicatum, aut subjectum, & hæc applicat, ut sint termini; cur non etiam dicis unionem materiæ & formæ esse hominem *ut quo*, quia est ratio, cur materia recipiat & for-

ma

ma informet, & hæc ad componendum applicat? Aliquando tamen verbum *eſt* duplici officio, copulæ videlicet & prædicati fungitur, *ut ſi dicas*: *Petrus eſt*: quæ ſic reſolvitur: *Petrus exiſtens eſt*. Et hæc de terminis in genere, nunc ad terminos in ſpecie.

V. *Quæritur* 5. Quotuplex ſit Terminus? *Reſp.* Terminus dividitur *primò* in *mentalem*, *vocalem*, *&* *ſcriptum*; nam & propoſitio alia eſt mentalis, alia vocalis, alia ſcripta. Mentalis propoſitio cùm ſit actus & cognitio ſpiritualis, nec partes, nec terminos habet, niſi virtualiter & æquivalenter ad terminos vocales; quod enim uno actu mens concipit, hoc pluribus vocibus lingua profert. Terminus mentalis alius eſt *ultimatus*, alius *non ultimatus*. Terminus non ultimatus eſt conceptus, quo ipſa vox percipitur, non ejus ſignificatum: ultimatus, quo etiam ſignificatum vocis. Ruſticus audiens hanc vocem Latinam *homo*, ejus tantùm conceptum non ultimatum format; qui verò Latinè novit, etiam ultimatum.

2. Terminus vocalis alius eſt *ſignificativus*, alius *non ſignificativus*. Significativus eſt ſignum inſtrumentale ex inſtituto, quod priùs cognitum in alterius cognitionem deducit: quâ ratione à ſigno formali, & à ſigno inſtrumentali naturali diſtinguitur, quod latiùs infrà explicabitur, ubi de ſignis.

3. Terminus ſignificativus alius eſt *primæ*, alius *ſecundæ intentionis*. Primæ intentionis eſt, qui rem ſignificat ut eſt, v.g. *homo*, *equus*. Secundæ, qui ſignificat rem ut apprehenditur, non ut eſt, v. g. *genus*, *ſpecies*; nec enim homo eſt ſpecies, hoc eſt, una natura, quæ pluribus individuis ſit communis, ſed ita apprehenditur, & ea denominatio ſpeciei ex eo naſcitur, quòd cùm Petrus v. g. apprehendat hominem, ut naturam communem, tu naturam à Petro ſic cognitam ſpeciem vocas. Sic *lineæ*, *circuli*, *poli*, *Zonæ* Mathematicorum appellari poſſunt ſecundæ intentiones Mathematicæ; ſpatia enim cœleſtia non ſunt in lineas & puncta diſtincta, ſed ſic concipiuntur.

Nota. Secunda intentio hîc accipitur, non pro ente rationis Logico, cujus eſſe objectivum eſt ſolùm in intellectu, quia

tale ens non agnoſcimus, ſed ſolùm pro denominatione extrinſecâ deſumpta ab actu potentiæ cognoſcitivæ, tendentis in objectum: quæ denominatio eſt ens reale, quia â parte rei exiſtit, ſicut ipſa forma denominans, nimirum cognitio, & tamen conſtituit Univerſale, Genus, Speciem, &c. non quidem in eſſendo, ſed in repræſentando.

4. Terminus primæ intentionis aut eſt *categorematicus*, aut *ſyncategorematicus*, aut *mixtus*. Categorematicus eſt, qui etiam ſolus & ſine alio termino poſitus aliquid perfectè ſignificat, v. g. *homo*, *equus*, *ſol*, *&c.* Syncategorematicus, qui ſolus in propoſitione non habet perfectum ſenſum niſi alteri jungatur, & qui eum audit, nullius rei perfectam cognitionem format, v. g. *omnis*, *nullus*, *valde*, *&c.* & comparatur conſonantibus aut ciphris numerorum. Terminus mixtus utrúmque, categorematicum & ſyncategorematicum complectitur, v. g. *ſemper*, *nemo*, quæ hiſce æquivalent; *Omni tempore*, *nullus homo*, *&c.* Adjectiva v.g. *albus*, *juſtus*, revocantur ad terminos ſyncategorematicos, quia ſola perfectam ſignificationem non habent: & qui audit hunc ſolum terminum *juſtus*, tam hæret aliúdque expectat, quàm qui audit hunc; *Nullus*, *&c.*

Nec obſtat, quòd abjectivum *albus* v. g. formam albedinis perfectè ſignificet, poſſitque ſine addito prædicatum fieri, ſecùs ac illa Syncategorematica *omnis*, *nullus*, *&c.*

℞. 1. Album ſignificare formam quidem albedinis, ſed per modum adjacentis, & ideo imperfectè, quia nullum ſubjectum exprimitur cui adjaceat; alioquin etiam *omnis* & *nullus* ſignificarent aliquam formam univerſalitatis, nec tamen hoc ſufficit.

℞. 2. Adjectiva ſe ſolis fieri prædicata, ſed non ſe ſolis ſignificare; & hoc ſufficit, ut non ſint termini categorematici, qui ſunt ſpecies termini ſignificativi; cùm enim adjectiva ſint eſſentialiter termini concreti, formam quidem perfectè, ſed non ſubjectum perfectè ſignificant.

5. Terminus alius eſt *finitus*, alius *infinitus*. Infinitus eſt, cui præponitur negativa *non*, v. g. *non homo*, *non lapis*. Finitus, cui non præponitur, v. g. *homo*. Si negativa præponatur copulæ

læ *eſt*, reddit propoſitionem negativam, v. g. *lapis non eſt homo.* Si præponatur non copulæ, ſed tantùm prædicato, reddit propoſitionem affirmativam, v. g. *lapis eſt non homo*, hæc enim de lapide aſſerit, non negat aliquid. Dicitur terminus infinitus, quia negatio de infinitis rebus prædicari poteſt, omnia enim, excepto homine, ſunt *non homo*, & ideo Ariſtoteles voces infinitas negat eſſe nomina ſcientifica, quia Scientijs non inſerviunt, nec enim ſcit lapidis naturam, qui ſcit eſſe non hominem, & cùm in ſcientijs non detur proceſſus in infinitum (ſiſtunt enim intra cauſas & principia per ſe nota) voces infinitæ uſui non ſunt.

6. Terminus *complexus* eſt, qui ſine verbo conſtat duobus terminis propriam inter ſe retinentibus ſignificationem, v. g. *homo albus*, *animal rationale*, *nemo* (hoc enim virtualiter eſt idem ac nullus homo.) Ad terminum complexum hæ ſunt conditiones neceſſariæ.

Primò. Ut partes intra compoſitionem eamdem ſignificationem retineant, quam extra; hinc *dominus* non eſt terminus complexus, licet enim ſyllabæ ſeparari poſſint, & ſeparatæ aliquid ſignificent, non idem tamen, quod conjunctæ.

Secundò. Ut partes aliquo modo inter ſe uniantur, ſive per particulam conjunctivam *&*, ſive per Grammaticalem conjunctionem v. g. *homo juſtus*: hæc igitur nomina *Petrus*, *Paulus*, terminum complexum non faciunt.

Tertiò. Ne uterque idem omnino eodémque modo conjunctum ſignificent, eſt enim compoſitio diverſorum unio; non ergo eſt terminus complexus, ſed duo incomplexi, *Marcus Tullius.* Dicunt aliqui, hunc terminum, *Cajus Caligula*, eſſe terminum complexum, quia licèt eundem hominem ſignificent, non tamen eodem modo conceptum; nam *Cajus* nomen erat gentilitium, *Caligula* appellativum, ex moribus deductum, quòd bellis caligis uteretur.

Quartò. Ut duos conceptus formales & expreſſos ſignificet, non ſolùm implicitos & confuſos; & ideo nomina concreta & connotativa, v. g. *albus*, non ſunt termini complexi; quamvis plura

ra significent, subjectum & formam, hanc expressè, distinctéque, illud confusè tantùm.

Quintò deníque, ut terminus complexus verbum non contineat, alioqui non terminus, sed oratio erit. Est verò terminus complexus triplex; *voce tantùm*, v. g. animal rationale, qui pluribus vocibus rem unam complectitur, & cujus significatum simplici termino efferri potest. *Significatione tantùm*, qui constat unâ voce pluribus æquivalente, v. g. *nemo*. *Voce & significatione*, v. g. *homo doctus*.

7. Alia est divisio termini in *communem* & *singularem*. Communis seu universalis, qui rem aut naturam unam significat, sed de pluribus prædicabilem, v. g. *homo*, *equus*, *sol*: licèt enim sit unus sol, tamen plures esse possunt. Singularis est, qui rem unam significat, nec de pluribus prædicabilem, ut *Joannes*. Hic subdividitur in *determinatum*, *demonstrativum*, *vagum*, & *collectivum*. Collectivus tamen, v. g. *Populus*, *Exercitus*, *&c.* ut de pluribus prædicari potest, est etiam universalis. Concreta v. g. *album*, quamvis plura significent, non tamen sunt collectiva, quia non significant ut multa, sed ut unum, nec numerum facientia. Differt, strictè loquendo, terminus communis ab universali, quia terminus universalis dicit naturam pluribus *univocè* communem: communis dicit naturam pluribus etiam analogicè communem.

VI. *Octavò*. Celebris est divisio termini in *Univocum*, *Æquivocum*, *Analogum*. *Univoca* sunt, quorum nomen commune est, ratio per nomen significata omninò eadem. *Æquivoca* sunt, quorum nomen commune est, ratio per nomen significata penitus diversa: *Analoga*, quorum nomen commune est, ratio per nomen significata partim eadem, partim diversa. Univoca talia sunt, quamvis res diversas significent, modò diversitas per nomen non significetur; v. g. *animal* est nomen univocum, quamvis enim sit genus, totúmque potentiale, & diversas habeat differentias, illæ tamen per nomen non significantur, & ideo nec impediunt univocationem. Idem proportionaliter de æquivocis, & analogis dicendum est, in quibus oportet diversitatem ipso nomine exprimi. Univoca alia sunt univocantia, alia

uni-

univocata; alia participata, alia participantia: alia essentialia, alia accidentalia. In rebus ipsis dantur univoca saltem fundamentalia, hoc est, naturæ pluribus communes, quæque communi nomine appellari exigunt. Idem dicas de Analogis. Æquivoca, quantùm est ex parte diversitatis, patet in rebus dari, non autem quantùm ad exigentiam unius nominis, nam diversa diversum potiùs nomen, quàm unum idémque exigunt; & ideo plerique dicunt, æquivoca idem nomen à casu, analoga à consilio habere.

Dividunt communiter æquivoca *in æquivoca à casu, à consilio, à spe, à memoria, &c.* Vide Fonsec. *instit. L. 1. c. 19.* Plerumque æquivoca ex prædicato, aut alijs circumstantijs univoca evadunt, ut si dicas, *canis latrat*; prædicatum enim *latrat* restringit vocem canis ad unum significatum, alijs exclusis; alij enim canes, stella v. g. non latrant.

Nota, etiam in rebus æquivoca dari; nam fumus v. g. hoc est, vapor niger, & teter est signum naturale, & tamen non solùm ignem, sed calorem & fimum significat, cùm non à solo igne, sed etiam ex animalium visceribus calore æstuantibus & ex fimo procedat: & sicut voces æquivocæ ad unum significatum ex circumstantijs determinantur, ita fumus ex circumstantijs habet, ut unam potiùs causam, quàm aliam significet. Putant aliqui, etiam in conceptibus & cognitionibus æquivocum dari; eadem enim species, eadem cognitio in Angelis, multóque magis in Deo repræsentat multa & diversissima objecta; Sicut ergo vox æquivoca est, *cujus nomen commune est, ratio verò per nomen significata omninò diversa*, ita conceptus æquivocus est, *qui pluribus communis est, ratio verò per conceptum significata omninò diversa.* Si enim vox plura repræsentans est æquivoca, quare non conceptus? Sed negandum est, in conceptibus æquivocationem esse; nec enim sufficit ad æquivocationem plura significari, sed oportet cum confusione significari, ita ut intellectus hæreat, nec ullũ determinatum conceptum formare possit, aut si formet, errori sit obnoxius; auditã enĩ hac propositione æquivocã, *video canem*: nescis animal an stellam intelligas; & si velis determinatè de animali intelligere, falli potes; quid si enim stellam viderim? Philippus

U Macedo

Macedo juſſus à quadrigis oraculo abſtinere, currus intellexit cavítque, ſed deceptus eſt; cùm enim gladio Pauſaniæ cecidiſſet, quadriga ferro inciſa apparuit, hanc oraculum intellexit. Bruto & ſocijs oraculum reſponderat, eum Romæ potiturum, qui primus matri oſculum figeret. Socij matres oſculati ſunt, Brutus terram; illi æquivoco decepti ſunt. Patet ergo proprium eſſe æquivocorum, ut plura ſignificent, ſed confuſè & cum periculo erroris. Sed ſpecies aut cognitio Angelica licèt plura repræſentent, repræſentant tamen diſtinctè, & cum proprijs prædicatis, & ideo ſine confuſione, & periculo errandi. Sic imago aliqua, in qua plurium perſonarum pictura eſt, non ideo eſt æquivoca, quia virtualiter eſt multiplex, & ſine confuſione & periculo erroris ſingula diſtinctè proponit.

Quæres, an terminus æquivocus ſit unus vel plures?

℟. Unùm eſſe, quamvis diverſas habeat ſignificationes, quia unitas concreti accidentalis ſumitur ab unitate ſubjecti, ſicut homo pluribus ſcientijs aut artibus inſtructus dicitur unus artifex, non plures *3. p. q. 3. a. 7. ad 2.* Imò etiam concreta ſubſtantialia, ſi forma ſubſtantialis multiplicetur, & non ſuppoſitum, nec ipſa multiplicantur, & ideo ſi una Divina Perſona plures Humanitates aſſumeret, eſſet unus homo, non plures, S. Th. *l. cit.* & *l. 1. cont. gent. c. 33.* Quia tamen naturaliter loquendo multæ formæ ſubſtantiales multa habent ſuppoſita, ideo abſolutè dicit S. Thomas, concreta ſubſtantialia à formis multiplicari *1. p. q. 39. a. 4.*

Quæritur 6. An præter terminum univocum, & æquivocum detur verus terminus analogus?

Reſp. Affirmativè cum communi. Terminus enim æquivocus *omnino* diverſa ſignificat, analogus partim eadem, partim diverſa; hic enim terminus v. g. *ſanus* de medicina & de corpore dicitur, & diverſam ſanitatem ſignificat, nam ſanitas corporis eſt debita quatuor humorum temperatura, quæ in medicina eſt qualitas quædam activa temperandis humoribus apta, herbíſque & radicibus inhærens. Sanitas tamen medicinæ & corporis in hoc conveniunt, quòd utraque in humorum temperie conſiſtat, corporis quidem ſanitas *formaliter*, medicinæ

verò

verò *effectivè*. Una ergo ſanitas ad aliam eam proportionem habet, quam cauſa ad effectum, & ideo licèt analogata non ſint unum unitate *æqualitatis*, ſunt tamen unum unitate *proportionis*. Non deſunt tamen, qui omnem analogiam dicant eſſe ſpeciem æquivocationis præter analogiam proportionalitatis, de quo vide Cajet. *in Opuſc. de Analog.* Sed non eſt à communi ſententia recedendum toties à S. Thoma & Ariſtotele traditâ, & cujus aperta eſt ratio; ſemper enim inter duo extrema datur medium, ut in qualitatibus, in elementis, in figuris, in motibus patet, ergo etiam inter omnino diverſa & omnino ſimilia dabitur medium de utroque aliquid participans, hoc eſt, partim ſimile, partim diverſum, & hoc ipſum vocamus analogum, ſi eodem nomine exprimatur: differtque ab univoco, quod eandem prorſus naturam habet, eodémque modo definibilem: ab æquivoco, quod diverſas omnino naturas, diverſóque modo definibiles ſine ullo *reſpectu*, *connexione*, *proportione*, *aut commenſuratione* unius naturæ ad alteram: quam enim habet Gallus homo ad gallum avem? at verò analoga dicunt quidem diverſas naturas, ſed tamen cum mutuo reſpectu & connexione unius ad alteram, ut patet in ſanitate, quæ homini, medicinæ, & colori tribuitur. Impugnat Baro Scotiſta *Actione 2. de Antepradic.* Diſtinctionem analogorum ab æquivocis, ſed tam frigidè, ut pigeat cum glacie pugnare. Circa Analogiam *Nota*, communiter dividi ſolere in Analogiam *proportionis & proportionalitatis*; & hæc ſubdividitur in *proportionalitatis propria* & *impropria* ſeu *Metaphorica*. Addunt aliqui analogiam etiam *inæqualitatis*, quando enim gradus ſuperior participatur inæqualiter ab inferioribus & cum exceſſu perfectionis, dicitur analogum inæqualitatis, ſed propriè univocum eſt, ut patet in animali, quod perfectiùs ab homine, quàm bruto participatur, quæ tamen perfectio cùm proveniat à ſolis differentijs, nec exprimatur nomine aut definitione animalis, propriam univocationem haud impedit. Analogia proportionis alio nomine etiam *Attributionis* vocatur, hoc quidem quia ab uno principaliori analogato fieri ſolet denominatio & attributio unius ad aliud: à ſanitate enim corporis medicina, cibus, colórque ſana denominantur, in quibus cùm aliqua pro-

portio appareat, hoc est, commensuratio & habitudo unius ad aliud, vocatur etiam analogia proportionis, & hæc contingere potest in omni genere causarum, unde nata analogiæ divisio *ad unum* (hoc est, finem, sicut medicina, cibus, ambulatio sana sunt propter sanitatem corporis) *ab uno* (hoc est efficiente) *in uno* (hoc est subjecto, quo modo accidens analogicè est Ens per ordinem ad subjectum in quo est) ex uno exemplari seu prototypo, quo modo homo pictus est analogicè homo propter similitudinem, quam habet cum vero homine, quem repræsentat.

VIII. Definiuntur ergo analoga Attributionis, *quorum nomen commune est, ratio verò per nomen significata eadem est secundùm terminum, diversa secundùm habitudinem ad terminum.*

Analoga proportionalitatis, *quorum nomen commune est, ratio verò eo nomine significata simpliciter quidem diversa, proportionaliter eadem.* Differt ergo ab Analogia Attributionis, quòd nullum alium respectum dicat ad principale analogatum, quàm meræ proportionis expressæ per particulam *Sicut.* Observandum enim est, nomen *proportionis* arithmeticum esse, & a numeris ad terminos Logicos transferri; in numeris enim aut alijs quantitatibus *proportio æqualitatis* est, cùm duæ quantitates æquales comparantur, v. g. 6. ad 6. palmus ad palmum; & hæc frequentiùs æqualitas, quàm proportio appellatur: & potiùs dicimus, palmum palmo, senionem senioni æqualem, quàm proportionalem esse, quia proportio aliquam dicit inæqualitatem. *Proportio* ergo *inæqualitatis* est, cùm duæ inæquales quantitates ejusdem tamen generis ad invicem comparantur, v. g. 6. ad 1. habet sextuplam proportionem, quia sexies unum includit: 6. ad 4. habet proportionem sesquialteram, quia semel quaternarium includit & adhuc ejus dimidium. *Proportionalitas* verò est æqualitas proportionum: differt ergo à proportione, quòd hæc sit quantitatum, illa proportionum: Proportionalitas quatuor terminos, proportio duos tantùm habent.

Erit ergo Proportionalitas, non proportio, si dicam: sicut se habent 6. ad 3. ita 4. ad 2. est enim proportio dupla. Sicut se habet 6. ad 4. ita 15. ad 10. est proportio sesquialtera.

Eo-

eodem igitur modo proportionalitas Logica inter 4. terminos versatur, & exprimitur per particulam *Sicut.* v. g. *Sicut se habet pes hominis ad hominem, ita pes scamni ad scamnum, uterque enim sustentat, estque pars infima.*

Subdividitur Proportionalitatis Analogia in propriam & impropriam. Proportionalitas propria est, cùm ratio proportionalitatis similis intrinsecè reperitur in omnibus analogatis, ut ratio principij respectu fontis & cordis, ratio Entis ex sententia Thomistarum in Deo & creaturis: & hanc analogiam aliqui negant, dicúntque univocationem esse, de quo vid. Suar. *in Metaph.* & nos infrà. Proportionalitas impropria seu Metaphorica est, quando ratio proportionalitatis intrinsecè & propriè in uno reperitur, in alijs impropriè & metaphoricè, ut *risus* in prato & homine, *pes* in scamno & animali: hanc Thomistæ negant esse veram analogiam.

IX. *Quæritur 7.* Quæ conditiones ad analogiam attributionis sint necessariæ?

Resp. Variæ sunt conditiones ad analogiam Attributionis requisitæ. *Prima est, ut ratio significata per nomen analogum intrinsecè sit in solo, & principali analogato, in alijs verò extrinsecè & per denominationem.* Ita S. Thom. *11. Metaph. l. 3.* & *1. Eth. l. 17.* & *4. Metaph. l. 1.* & *1. 2. q. 20. a. 3. ad 3.* & *1. p. q. 16. a. 6. & 4.* Aristot. expressè *l. 4. Metaph. text. 1.*

Ratio est. Quia si forma denominans in omnibus analogatis intrinsecè reperitur, ergo ab hac denominabuntur, & non per attributionem ad primum analogatum, v. g. si medicina, & color sana dicuntur ab aliqua forma intrinseca, & non à sanitate extrinseca corporis, ergo denominabuntur per se, & non per attributionem à sanitate corporis; ergo tollitur Analogia Attributionis, sicut quia cygnus albus est à forma intrinseca, non est talis per Attributionem & proportionem cum alio.

Deinde virtus sanativa quæ est in herba, à qua, ut dicis, herba vocatur sana, vel ordinem aliquem dicit ad primum analogatum, hoc est, sanitatem corporis, vel nullum dicit? si nullum, non ergo est terminus analogus, sed merè æquivocus; dicit enim sanitatem omnino diversam ab ea, quæ est in cor-

 pore,

pore, & nullo modo illi ſubordinatam. Si dicit ordinem & proportionem ad primum analogatum, utique tamquam ad terminum & menſuram iſtius proportionis; ergo jam prima forma menſurans proportionem & analogiam eſt in ſolo primo analogato, quod intendimus. *Tandem*, ſi forma denominans ſit intrinſecè in omnibus analogatis æqualiter, & in nullo magis principaliter, nec ut aliorum menſura, ſed cum mutua tantùm ſimilitudine & proportione, reſultabit analogia Proportionalitatis propriæ, quam tamen Adverſarij negant eſſe veram analogiam, ſed meram univocationem, ergo ſi hanc conditionem non admittunt, nec analogiam Attributionis. Exemplum eſt in hac voce *principium*; hoc enim de fonte & corde dicitur, ita tamen ut utrique æquè principaliter & intrinſecè, ac ſine mutua dependentia conveniat; ſublato enim omni fonte adhuc verum eſt dicere: *cor eſt principium.*

Nec obſtat, Ens eſſe analogum analogiâ Attributionis. S. Thom. in 1. *p. q. 16. a. 6.* & *q. 6. a. 4.* & *cont. Gent. c. 32.* & tamen ratio entis intrinſecè in Deo & creaturis, in ſubſtantia & accidente reperitur.

℞. Omninò reperiri, ſed non ideo creaturas analogicè per Attributionem ad Deum denominari, quia intrinſecè entia ſunt; nam ſi per impoſſibile vera entia non eſſent, adhuc entia dicerentur per Attributionem ad Deum, tanquam hujus imagines, ſigna & effectus, quemadmodum ſtatua, aut imago hominis analogicè homo dicitur, licèt verè & intrinſecè homo non ſit. Creatura ſi ens non eſſet, nec Dei effectus, nec imago, nec ſignum eſſet, ſed nihil: ratio ergo intrinſeca entis non eſt forma analogizans, ſed fundamentum, ſine quo analogia Attributionis eſſe non poſſet: ſicut nec colores aut pictura ſunt imago, ſed fundamentum imaginis.

Obſerva. Hanc primam conditionem etiam analogis Proportionalitatis Metaphoricæ, quæ parum diſtant ab analogis proportionis, competere.

Secunda conditio analogiæ Attributionis eſt, *quòd ratio per nomen analogum ſignificata ſit una numero, nec realiter in analogis multiplicetur.* ſicut ratio univoca animalis realiter in equo & homine mul-

multiplicatur: forma verò sanitatis denominans corpus & medicinam est una in corpore, nec in medicina, herbis, alijsque multiplicatur, licèt multiplicentur fundamenta, & rationes denominandi; nam alia est ratio cur herbæ, alia cur color sana dicantur. Hæc conditio sequitur ex prima; si enim forma analogizans est in uno tantùm, ergo est una, ergo non multiplicatur. Vide S. Th. *1. 2. q. 20. a. 3. ad 3.*

Tertia Conditio est, *quòd in hac analogia Attributionis primum analogatum ponitur in definitione cæterorum*; si enim definias medicinam aut colorem, in quantum sunt sana, dices, esse artem, aut signum sanitatis, & ideo sublatâ corporis sanitate, nec medicina nec color nomen sani, aut analogiam retinerent. Vide S. Thom. 1. *p. q. 13. a. 6.* hinc natum apud Logicos axioma: *Analoga absolutè pronuntiata pro famosiori significato supponere.*

Quarta conditio est, *ut analoga Attributionis unum conceptum objectivum, seu unam rationem formalem non habeant, quæ cognosci per modum unius possit, sicut potest ratio animalis.*

Ratio est 1. Quia sanitas animalis, & medicinæ non est una in utróque, sicut animal in bruto & homine, ergo abstrahi ab utroque & de utroque prædicari eodem modo non potest, de uno enim necessariò prædicatur intrinsecè & de altero extrinsecè, si non de utroque, & eodem modo, hoc est, intrinsecè esset prædicabilis, jam non esset analoga per attributionem, sed per proportionalitatem vel univocè: & licèt sanitas medicinæ sit aliquo modo una, hoc est, ordine, ipse tamen ordo est alius & alius: aliter enim se habet medicina ad sanitatem corporis, aliter ista ad medicinam, non ergo possunt concipi analoga, nisi ut alia & alia, ergo ut multa.

2. Analoga tam Attributionis quàm Proportionalitatis essentialiter, ut supradictum, consistunt in mutuis proportionibus; sed proportio non resultat ex ratione aliqua una communíque, sed ex rationibus specificis & differentialibus, quæ sunt multæ; ergo nec analogia. *Minor probatur*, si enim numeros v. g. 4. & 6. sub ratione communi consideres, ut sunt videlicet numeri, nulla in illis est proportio, sed mera æqualitas & univocatio; uterque enim æquè est numerus; sed tota analo-

analogia & proportio *sesquialtera* quæ in illis est, oritur ex specifica illorum differentia; numerus enim senarius, non ut præcisè est numerus, sed ut est senarius, semel quaternionem, ejúsque dimidium continet; nam si senarius non esset, sed quinarius v. g. jam non haberet eandem proportionem sesquialteram ad 4. Sicut ergo in numeris proportio essentialiter ex multis oritur, in multis est, & sine multis concipi non potest, ita nec in rebus analogia: proportio enim medicinæ ad sanitatem corporis, & prati ridentis ad risum hominis, non fundatur in aliqua ratione, quæ medicinæ & corpori, prato & homini sit communis (sic enim non proportio & analogia, sed omnimoda æqualitas, & univocatio esset) sed in differentijs particularibus, quæ solæ fundant inæqualitatem, & ut tales non sunt unum, sed multa.

Quinta Conditio, quæ ex quarta deducitur, est, *ut analogia proportionis, seu attributionis assimiletur numeris inæqualibus*, qui quamvis sint inæquales primóque diversi, in quantum dicunt proportionem, unus tamen eorum dependet & mensuratur ab alio; quatuor enim semel sumpta & media ex parte repetita faciunt 6. ita nomen analogum significat diversa in quantum diversa, unum primariò & distinctè, aliud secundariò & confusè, cùm aliqua tamen dependentia & habitudine mutua.

Sexta Conditio, *Analoga Attributionis & Proportionalitatis Metaphorica non possunt esse medium Demonstrationis.*

Ratio est, Quia medium debet æqualiter extremis applicari; & si non æqualiter, sed secundùm diversa applicetur, oritur fallacia amphibologiæ: sed analogum Attributionis non potest æqualiter omnibus analogatis applicari, cùm significet diversa ut sic, &c. ergo.

X. *Quæritur 8.* An detur vera analogia proportionalitatis propriæ?

Resp. Præter Analogiam Attributionis & Proportionalitatis Metaphoricæ datur etiam vera analogia Proportionalitatis propriæ. Negat hanc cum RR. Suar. in Metaph. *d. 28.* & *32.* sed asserit S. Th. *2. de verit. a. 11.* & *1. Eth. l. 7.* & in *1. d. 19. q. 5. a. 2. ad 1.* & *q. 7. de pot. n. 7.* Arist. *12. Metaph.* ubi S. Th. *lect. 4.*

Ratio

Ratio est 1. Ex auctoritate S. Thomæ & Aristotelis locis allegatis; malumus enim istos duces quàm alios sequi, qui nec tantum habent auctoritatis, nec tantum ingenij, doctrinæque; nec rationem aliquam afferunt, quæ intellectum trahat, multò minùs quæ convincat, ut patebit.

2. Quia analogia proportionalitatis in rebus & vocibus deducta est ab analogia proportionalitatis in numeris, alijsquè quantitatibus: sed in numeris omninò æqualibus, & quorum unus intrinsecè tantus est, quantus alter, datur proportionalitas; ergo etiam in vocibus, & rebus æqualiter & intrinsecè rationem analogam participantibus. *Major* est certa & ipsum nomen analogiæ ostendit; quod idem est ac proportio, hæc verò est propria quantitatis, nec minor est convenientia & habitudo rei ad rem, quàm numeri ad numerum, soni ad sonum, magnitudinis ad magnitudinem. *Minor* æquè est certa ex Eucl. *l. 5. Elementor* S. Th. *l. 5. Metaph. lect.* 17. ubi proportionem dividunt in eam, quæ est æqualitatis, & inæqualitais, & ita inter 2. & 2. palmum & palmũ, proportionem agnoscunt; uterque enim numerus bis unitatem includit, uterque est par, uterque palmus eandem habet extensionem, tantumdem loci occupat, &c. Eodem igitur modo licèt ratio *principij* æquè & intrinsecè in fundamento, & corde reperiatur, quia tamen non eodem omnino modo principiant, non sunt univoca: nec penitus diverso modo, & ideo nec æquivoca, sed cum aliqua proportionalitate, erunt analoga proportionalitatis, ut magis paulò pòst explicabitur.

3. Non repugnat dari naturam aliquam, quæ pluribus insit, nec tamen æqualiter omnibus communicetur, sed uni perfectiùs alteri minùs perfectè, ita ut hic excessus non se teneat ex parte solius differentiæ, aut subjecti, sed ex parte ipsius formæ communicatæ, ut exemplum est in anima rationali, quæ secundum aliquos non est in omnibus æqualis perfectionis: si ergo nomen aliquod detur, quo ea forma eiúsque inæqualis participatio significetur, quid deerit analogiæ intrinsecæ & propriæ proportionalitatis? & quid hîc repugnantiæ? Sic in sententia Thomistarum Ens est analogum proportionalitatis respectu Dei & creaturæ; nam & creatura, & Deus sunt Ens, hoc

X ta-

tamen non competit Deo & creaturæ æqualiter, sed tantùm proportionaliter, quia ens *ut sic* dicit totam plenitudinem essendi, ergo *ut sic* dicit aliquam perfectionem & inæqualitatem, non quidem Deo sed creaturæ repugnantem. Idem dicas *de principio* respectu cordis & fundamenti. Quodsi neges, *principium & ens* talia nomina esse, quæ hanc proportionalitatem & inæqualitatem exprimant, lis tantùm de nomine erit, re salvâ; cur ergo nominis tantùm causâ à D. Thoma & Aristotele discedas? tanti hæc victoria non est.

Nec Obstat 1. In hoc nomine *principij* aut *entis* nullam apparere differentiam, aut inæqualitatem, quæ enim illa est? Sed tota inæqualitas nascitur ex differentijs *creati & increati*: *cordis & fundamenti*; ergo principium, & ens *ut sic* non dicunt veram analogiam, sed meram univocationem. Idem dici posset de omnibus alijs analogis proportionalitatis, siqua afferrentur; sed nulla alia afferri possunt; non datur ergo analogia Proportionalitatis.

℞. Etiam nomine *canis* aut *risus* absolutè prolati nullam differentiam, aut diversitatem explicari, cùm tamen certum sit, unum esse æquivocum, aliud analogum; sufficit ergo tam ad æquivoca quàm ad analoga talia esse, ut eorum nomine nulla ratio aut forma significetur, quæ omnibus analogatis æqualiter applicetur, sed semper cum aliqua diversitate, & proportione, quæ non tantùm ex parte subjecti, & analogati, sed ex ipsa forma inæqualiter communicabili oriatur.

Explico: Gradus animalis æqualiter, & sine omni excessu perfectionis homini & bruto communicatur; in ijs enim, quæ sunt animalis, spectántque ad vitam sensitivam, eodem modo homo, & brutum est animal, & sensibus utitur, & siquæ est diversitas, major minórque perfectio, ea non à gradu animalis provenit, nec in operationibus sensitivis exercetur, sed rationalibus; ab his ergo non ab illis tota differentia. Aliud est in ente & in principio: ens enim *ut ens* dicit perfectionem, & plenitudinem essendi soli Deo, non creaturis communicabilem; ergo ens, *ut ens*, dicit inæqualem communicabilitatem.

Rursus

Rursus, imperfectio creaturæ etiam in *ratione entis* exercetur; nam etiam in *ratione entis* est dependens, limitata, ad nihil reducibilis, &c. Sic etiam *fundamentum* & *cor* in ratione principij, & principiandi differunt, & non tantùm in ratione carnis, figuræ, coloris, effectuum, &c. fundamentum enim domum principiat eam sustentando, non influendo, cor influendo, non sustentando, &c. & ita in ipso principio est quædam difformis uniformitas, & proportio inæqualitatis, adeóque radix analogiæ.

Non obstat 2. Admissâ analogiâ Proportionalitatis omnia univoca analogari, possum enim dicere: Sicut equus se habet ad gradum animalis, ita & homo: Sicut lapis se habet ad suum esse, ita & homo, ergo *esse* & *animal* erunt termini analogi respectu hominis & equi, quod est absurdum.

℞. *Negando consequentiam*, quia terminus univocus non solùm dicit proportionalitatem cum univocatis, sed omnimodam convenientiam & æqualitatem, adeò, ut quantum est ex parte animalis v. g. nulla inæqualitas, aut difformitas appareat, & ideo animali etiam contracto ad hominem tota diversitas est in *ratiocinari*, *non in sentire*, secùs in analogis, ut ostensum.

XI. *Quæritur 9.* Quæ conditiones requirantur ad analogiam proportionalitatis?

Resp. Conditiones Proportionalitatis propriæ sunt:

Primò, ut ratio significata nomine Analogia proportionalitatis propria intrinsecè reperiatur in omnibus analogatis, non quidem omnino eadem, ut in univocis, nec omnino diversa, ut in æquivocis, sed partim diversa, partim eadem proportionaliter, sicut 4. & 8. sunt numeri primò diversi, sed proportionaliter similes.

Secundò. In Analogia Proportionalitatis propria secunda analogata non definiuntur per primum, sicut in analogia Attributionis & Proportionis Metaphoricæ. S. Th. de verit. *q. 2. a.* 11. *ad 7.* & *1. p. q. 13. a. 6.* Sic cor non definitur per fundamentum, nec intellectus per oculum: *& ratio est*, quia licèt proportio unius ad aliud debeat per aliud definiri, sicut simile per suum terminum, res tamen ipsæ proportionatæ à se mutuò non dependent, ita nec per se mutuò definiuntur.

Dices: Accidens definitur, quòd sit *entis ens*, hoc est, substantiæ: creatura quòd sit ens à Deo productum: sed ex sententia Thomistarum ens est analogum ad Deum & creaturam, ad substantiam & accidens analogiâ proportionalitatis, ergo, &c.

℞. Id fieri non quia analoga proportionalitatis propriæ, sed quia analoga Attributionis.

Tertiò. In analogis proportionalitatis propria non habet locum axioma Logicum: Analogum stat pro famosiori: quia omnia analogata quoad proportionem æqualia sunt; tam enim fundamentum, v. g. suo modo principiat quàm cor suo modo; cur ergo principium cor potiùs quàm fundamentum significet?

Quartò. Analogum proportionalitatis propriæ potest esse medium Demonstrationis, quia verè, intrinsecè, & necessariò de extremis prædicari potest; verè enim & intrinsecè cor est principium, sed non verè & propriè medicina est sana; nec potest dari definitio sanitatis corpori & medicinæ communis, sicut potest dari definitio principij cordi æquè ac fundamento communis.

Quintò. Licèt dari possit conceptus communis in analogis proportionalitatis propria, is tamen intrinsecè dicit diversam applicabilitatem ad analogata servatâ proportione, & hoc modo differt ab univocis: principium enim alio modo applicatur fundamento, alio cordi; in utroque tamen servat proportionem: animal verò eodem modo homini, eodem bruto.

Sextò denique, Analoga Attributionis dicunt dependentiam & subordinationem ad primum analogatum, à quo in suo esse dependent, & à quo, ut supradictum, in omni causarum genere dependent, sublatâ enim sanitate hominis, nec medicina, nec color, nec cibus sana dici possunt. *In analogis proportionalitatis propria hæc dependentia non reperitur, nisi alia analogia aut ratio dependendi subsit*; esto enim nullum cor, aut nullus fons possibilis esset, adhuc fundamentum erit, & dicetur principium domûs, non erit tamen analogum, nec dicet proportionem ad cor & fontem. Sic quaternarius numerus dicit proportionem ad octo, & tamen sublato numero octonario non ideo quaternarius aufertur, licèt ipsa

ipsa proportio cesset; *Ratio est*, quia analoga proportionalitatis ut sic non dependent à primo analogato in esse, sed tantùm in proportionari, ut patet in numero quaternario respectu octonarij, à quo ille non accipit *esse*, sed tantùm *proportionem*. Hactenus de Natura, Speciebus, Conditionibus, & Proprietatibus Analogiæ, nunc de eius causis.

XII. *Quæritur 10.* Utrum transcendentia entis impediat ejus univocationem, & inducat analogiam?

℞. *Affirmativè*, contra RR. cum S. Th. 3. *Metaphys. lect. 8. & in 1. d. 19. q. 5. a. 3.*

Nota: Transcendentia est duplex, *re & ratione*: illud realiter transcendit, quod cum alio realiter identificatur, v. g. animal transcendit rationale. Transcendit ratione, sine quo aliud ne concipi quidem potest, sic ens omnes differentias transcendit.

Ratio Conclusionis nostræ est 1. Quia ens transcendens dicit essentialiter aptitudinem & exigentiam, ut cum differentijs identificetur & intimè in illis imbibatur, adeò, ut de illis etiam in abstracto prædicari possit; dico enim, rationalitas est ens, animalitas est ens, &c. ergo essentialiter, & quoad exigentiam est aliud & aliud, cum proportione tamen; ergo est analogum, quia sic est unum, ut tamen non solùm aptitudine sit aliud & aliud, sed etiam exigentiâ, & hunc radicalem & connaturalem entis in suas differentias illapsum, & velut transformabilitatem tunc maximè advertimus, cùm rationem entis applicamus differentijs, quibus continuò ens miscetur, in éasque transit: hæc ergo transcendentia causat analogiam; ens enim transcendens & est *unum* unitate proportionis, quia dicit esse in quo omnia conveniunt, potéstque unâ definitione comprehendi, quo modo ab æquivocis distinguitur: & est *diversum* sive *aliud*; hoc ipso enim, quòd est transcendens, dicit essentialem ordinem & exigentiam, ut aliter se habeat in homine v. g. aliter in bruto; aliter in accidente, aliter in substantia, &c. qui respectus & diversa entis applicabilitas distinguit analoga ab univocis; hæc enim eodem modo respiciunt inferiora, eodem modo illis applicantur: animal enim idem est in bruto, idem in

homine, nec plura bruto prædicata, aut perfectiones, quàm homini tribuit, aut econtrà: at verò ens non est idem in utroque, nec æquè applicatur; homini enim dat esse rationalis, non bruto; & illud esse est formalissimè ens; hæc ergo inæqualis applicabilitas entis cum certa proportione in omnibus differentijs rèddit ens analogum, hoc est, ut ostendi, illud ab *æquivocis* & *univòcis* distinguit.

XIII. *Dices 1.* In ente ut sic nulla diversitas, aut inæqualitas apparet, ergo nec analogia.

℞. 1. Analoga definiri, quæ partim sunt eadem, partim diversa, non quæ *apparent*; multa enim sunt quæ non apparent: stellæ moventur, nec apparent; magnæ sunt, nec apparent: influunt, nec apparent, nisi Mathematicæ peritis; esto igitur analogia tibi non appareat, malè inferes, Ergo non est; crede potiùs doctioribus eam non videntibus, & decantantibus, D. Thomæ & Aristoteli.

℞. 2. Eum qui videt ens transcendere differentias (quis autem non videt?) necessariò etiam analogiam videre: est enim idem transcendere, & dicere inæqualem applicabilitatem ut dictum est. Non ergo nobis quæstio est, quid tibi de analogia videatur, sed quid naturæ, & hanc habemus.

Dices 2. Diversa illa applicabilitas, & inæqualitas entis non provenit ab ente *ut sic*, sed à differentijs enti, ergo non causat analogiam entis *ut sic*: *consequentia* est clara, *Antecedens probatur*: Ens *ut sic* dicit tantùm esse, & hoc æqualiter habet brutum & homo, Deus & creatura: quòd verò Deus perfectior sit creaturâ, homo bruto, non est quia Dèus est ens, sed quia Deus est: nec homo perfectior bruto quia ens, sed quia homo; tota ergo inæqualitas & excessus à differentijs est, non ab ente.

℞. Ens *ut sic* est transcendens, ergo *ut sic* est aliter accidenti, aliter substantiæ communicabile (substantiæ enim communicatur secundùm gradum perseitatis, qui est ens, cùm non sit nihil) ergo *ut sic* jam dicit *aleitatem* & inæqualitatem.

Rursus ens *ut sic* dicit conditionem aliquam æquivocis & univocis repugnantem, ergo *ut sic* est analogum: *antecedens* de

æqui-

æquivocis patet, de vnivocis *probatur*, *tum* quia dicit diversam & inæqualem applicabilitatem, quam univoca non dicunt: *tum* quia contrahitur, &, ut ita dicam, differentiatur per ens (omnes enim differentiæ sunt ens, quia sunt aliquid) animal verò quod est univocum, non differentiatur aut contrahitur per aliud animal: *tum denique* quia univoca cum suis differentijs faciunt compositionem metaphysicam, ens non facit; compositum enim dicit duas partes, quarum una alia non est; sed omnis differentia est ens, ergo differentia & ens non sunt duæ partes, quarum una non sit alia: patet ergo in ente *ut sic* & transcendente semper inveniri aliquas conditiones, quæ impediunt univocationem & afferunt analogiam. Et hoc maximè patet, si ens comparetur ad Deum & creaturam; ens enim *ut sic* semper dicit aliquam differentiam, & inæqualitatem analogizantem, hoc est, plenitudinem essendi, quæ creaturæ repugnat.

Dices 3. Si transcendentia impedit univocationem, ergo jam nullum genus erit univocum, nam ratio generica imbibitur in omnibus differentijs: sicut enim ens quia transcendit, petit aliter, & aliter substantiæ, & accidenti communicari, hoc est, plures gradus entis in unum quàm alium derivare, & ideo est analogum; ita etiam substantia petit inæqualiter, in lapidem, & equum descendere, pluresque gradus substantiæ equo quàm lapidi communicat, videlicet gradus vegetativi, sensitivi, hinnibilis, &c. quæ omnes sunt differentiæ substantiales & in prædicamento substantiæ ponuntur, ergo hæc transcendentia, aut in ente non causat analogiam, aut etiam in alijs generibus.

℞. Differentias substantiales meritò poni in prædicamento substantiæ, quia verè & realiter sunt substantiæ; irrationale enim realiter animali, sensitivo, substantiæ, &c. identificatur; formaliter tamen inferior differentia superiorem non includit ex communi sententia, quia qui concipit equum, non concipit *perseitatem* substantiæ, sed *hinnibilitatem*: si enim possum concipere animal non concipiendo brutum aut hominem, quamvis nullum animal sit, quod nec homo, nec brutum sit, quare non possim equum concipere non con-

cepto gradu substantiæ, quamvis nullus sit equus, qui non sit substantia? præsertim quia concipio equum in ordine ad effectum hinniendi, qui distinctus est ab effectu perseitatis.

Aliud est in ente, quod non realiter tantùm, sed etiam formaliter transcendit differentias, adeò ut nulla sine ente concipi possit nec pronuntiari: cùm enim dicis, rationale est substantia; dicendo *est* dicis *ens*; malè ergo à transcendentia reali argumentaris ad formalem.

XIV. *Quæritur II.* Utrum etiam dependentia causet analogiam?

Resp. Dependentia per nomen analogum significata causat analogiam; secùs si non significetur. v. g. sanitas medicinæ, *ut sanitas*, dependet à sanitate corporis etiam ut tali, ergo sanitas est terminus analogus. Econtrà tam intellectus quàm voluntas sunt qualitates, & voluntas in operando ab intellectu pendet; non ideo tamen qualitas est analogum respectu intellectûs & voluntatis, quia voluntas ut qualitas non pendet ab intellectu, *ut qualitas* est, sed ut bonum voluntati proponit. Sic etiam ens absolutè prolatum dicit totum *esse*, sicut mare totum mare, & non tantùm guttam aut sinum maris, ergo etiam dicit *Aseitatem*, non verò dicit hujus carentiam; (carentia enim aseitatis est privatio entis, quam ens non dicit, sicut nec ignis dicit carentiam ignis, nec aqua carentiam aquæ, nec lux carentiam lucis) ergo ens *ut sic* magis est applicabile Deo quàm creaturæ, & ideo proprium nomen Dei dicitur; ergo dicit aliquam inæqualitatem & independentiam Deo non creaturæ convenientem, ergo non est univocum sed analogum.

Dices, imò erit æquivocum: si enim dicit aseitatem, hæc tam non potest creaturæ convenire, quàm non potest rationalitas bruto: ergo sicut ens increatum dici non potest univocè de Deo & homine, ita nec ens, si hoc dicit aseitatem.

℞. Ens dicere aseitatem non quidem explicitè (aliàs qui diceret ens diceret Deum) sed implicitè. Sicut cùm à longè rhedam video sex equis tractam, & rhedam & equos video, sed confusè ob debilitatem actûs & imperfectionem specierum. Et

in

In visione beatifica alij alijs magis Deum vident, non quòd plus, sed quòd clariùs videant. Dicitur ergo ens analogum, quia partim est *idem* unitate confusionis omnes differentias entis includente (Aseitatem tamen magis, quàm hujus carentiam ; hanc enim non dicit nisi per accidens, ut conjunctam & intrinsecam alicui perfectioni creatæ) omnésque dependentias : partim *diversum*, quia explicitè consideratum est radix & principium omnis diversitatis, quidquid enim aliud diversificat, est ens, & si non esset ens, esset nihil, ergo nec diversificaret ; cùm ergo tota ratio diversificandi sit ab ente explicitè concepto, patet quomodo ens partim sit idem partim diversum : & quomodo dependentia aut independentia ab ente descendens causet analogiam, non æquivocationem.

Cæterùm hæc dicta sint, datâ hypothesi, quòd ens sit transcendens & analogum ; nolumus enim hîc quidquam definire, sed hoc supposito ostendere, quomodo analogia ex transcendentia & dependentia oriatur. De entis verò analogia in Metaphysica dicetur, cujus modò limites non invadimus, Nunc ad reliquas termini divisiones.

XV. Celebris etiam est divisio termini in *Concretum* & *Abstractum*, *Absolutum* & *Connotativum*. *Concretus est*, qui significat per modum compositi, etiamsi res ipsa significata composita non sit, sed simplex, v. g. *album*, *Deus* : qui termini in istos resolvuntur: *res habens albedinem* : *res habens Deitatem*, &c.

Terminus Abstractus, qui significat per modum formæ absque materia, quamvis aliàs res ipsa composita sit, v. g. *albedo*, *humanitas*, *&c.*

Notandum 1. Circa hanc divisionem, Concreta accidentium principaliter ac fermè unicè solam formam significare, v. g. *album* significat non subjectum, sed formam albedinis, subjectum verò tantùm insinuat, & connotat, hoc ipso quòd ex modo significandi formam exprimat per modum adjacentis, non per se stantis. Ita Aristot. *cap. de Subst.* S. Thom. sæpè 7. *Metaph. lect.* 1. & in 1. *d.* 18. *q.* 1. *a.* 2. & in 1. *p. q.* 3. *a.* 3. & *ratio est, tum* quia significare est rem intellectui proponere, ergo id principaliter, & magis significatur, quod magis proponitur, sed

 hoc

hoc nomine *album* magis proponitur forma albedinis, quia hæc sola distinctè apprehenditur, subjecto ignoto & latente: *tum* quia aliàs concreta accidentium essent entia per accidens & indefinibilia, nec in prædicamentis ponerentur contra omnium sententiam: *tum* quia *album* simpliciter aliud significat quam *nigrum*, & qui utrumque terminum audit, omnino diversos conceptus format: sed subjectum sæpè est idem, ergo non subjectum sed forma significatur: *tum* quia cùm dico: *Omne dulce est sensibile, omne lucidum est visibile, omne album est qualitas*, hæ propositiones de sola forma verificantur, ergo solam formam significant, connotando tamen subjectum. Concreta accidentalia etiam connotativa vocantur. Abstracta verò significant formam quasi per se stantem, non quia est, sed quia intelligitur non intellecto subjecto; potest enim intellectus conjuncta separare cognoscendo unum sine alio. Vide S. Thom *Opusc. 4. c. 19.* Idem ferè dicendum videtur de concretis substantialibus & artefactis: *homo* enim formaliter significat humanam naturam, implicitè & connotativè suppositum, & ideo in rigore hæc propositio est falsa: *Deus assumpsit hominem* Statua formaliter & principaliter significat formam artificialem statuæ, connotando tamen materiam illi formæ idoneam.

Notandum 2. Abstracta esse talia per seipsa, Concreta verò talia sunt per Abstracta. Vide S. Thom. *Opusc. 69 Lect. 2.* albedo enim ut sit talis, non habet à subjecto, sed subjectum ut sit album, habet ab albedine.

Rursus: Abstractum dicit formam puram, alijsque qualitatibus impermixtam, albedo enim solam albedinem significat; Concretum verò non excludit alias formas accidentales, aut substantiales; album enim v. g. dicit albedinem connotando hujus unionem cum subjecto, ergo non excludit alias qualitates, aut formas subjecti, & maximè quæ illi unioni sunt necessariæ, & ita possum quidem dicere; *album est quantum*, *album est dulce*, sed non *albedo est quantitas*, *albedo est dulcedo*, *&c.* albedo enim significat tantùm, id quo aliquid est album; sed solâ albedine sum talis. *Tandem* Abstracta ex modo significandi sumuntur ut partes, concreta ut totum; album enim significat rem, quæ habet albo-

albedinem, hanc principaliter, & ex parte rei significatæ, illam connotativè, & implicitè ex modo significandi. Vide S. Th. *1. p. q. 3. a. 3.* & *3. p. q. 2. a. 2.* quo fit, ut abstracta de concretis prædicari non possint, quia pars non prædicatur de toto, cùm non sit totum.

Terminus Absolutus est, qui significat per modum per se stantis, etiamsi à parte rei adjaceat subjecto; nec enim modus existendi attenditur, sed significandi: tales termini sunt v. g. *albedo*, *homo*, *nihil*, *cæcitas*. *Terminus* verò *Connotativus* seu adjectivus significat per modum adjacentis, sive à parte rei adjaceat, sive non, v. g. *justus*, *humanus*, *&c.*

XVI. Dividitur etiam terminus in *Denominantem & Denominativum.* Denominativa sunt, *quæ ab aliquo nominis appellationem accipiunt, ita tamen ut differant casu.* Aristot. *L. 1. Categor.* v. g. *albus* ab albedine, *visus* à visione; &c. Sunt verò Denominativa alia *voce* tantùm, ut *Roma à Romulo*; alia *re non voce*, ut *studiosus à virtute*: alia *re & voce*, *sed non terminatione*, ut *Musica mulier à Musica arte*: alia denique *voce*, *re*, *& terminatione*, ut *albus ab albedine*, & hæc sunt proprie Denominativa.

Notandum 1. Licèt forma denominans sit accidens respectu subjecti denominati, est tamen pars essentialis totius concreti & termini denominativi: album enim est concretum & compositum, sed compositum dicit partes suas essentiales.


Notandum 2. Quando in rerum natura datur nova denominatio, signum evidens est, factam esse in rerum natura aliquam novam mutationem, à qua nova illa denominatio oriatur, alioquin idem manens idem semper facit idem: & hoc etiam in divinis verum est, mutatione aliquâ non quidem in Deo, sed in natura resultante: sicut enim mutato situ mutantur colores, qui à luce sunt (ut patet in plumis columbæ, & angulis vitri) nullâ factâ lucis, aut solis mutatione, & hoc ideo, quia lux virtualiter, & eminenter est color, & ideo mutato tantùm subjecto ipsa varios effectus & denominationes tribuit; ita in Deo, qui eminenter est omnia.

XVII. *Notandum 3.* Falsam esse opinionem aliquorum existimantium omnem denominationem extrinsecam esse ens ratio-

 nis,

nis, v. g. video parietem; ab hac mea visione paries dicitur & denominatur extrinsecè visus, dicunt hanc denominationem visi nasci non posse, nisi aliquis fingat, visionem esse formam parieti inhærentem. Ita Fonseca 5. *Metaph. c. 7.* sed malè, *tum* quia nemo id credit, cujus contrarium certò novit, & credit: sed nullus est, Philosophorum saltem, qui non certò noverit formam *visi* esse parieti extrinsecam, ergo nemo credit esse intrinsecam; si non credit, cui ergo fingit? sibi? atnemo seipsum decipit, alijs? ergo impostor est, qui dicit, & docet quod non credit. *Dices*, phantasiæ id apparete, intellectu etiam invito, ut cùm stellæ videnti sine motu apparent, cùm tamen intellectus moveri sciat.

℞. 1. Ens rationis in phantasia non esse. 2. Potiùs denominationem fieri debere ab intellectu & veritate, quàm phantasia & errote: Sicut ergo phantasia non denominat stellas immotas, quia decipitur, ita nec visum dicet esse formam intrinsecam parieti, & ens rationis, quia decipitur: *tum* quia etiam à leone, aut urso dicitur homo esse visus, esto ipse homo solus sit, & dormiat; quis tunc homine dormiente ens rationis confecit? nam in bestias non cadit. *Tum denique* quia eâdem visione, quâ homo videt, seclusâ omni fictione vel aliquid videtur, vel nihil videtur? Si nihil videtur, ergo homo videt, & nihil videt; idem enim est nihil videre, & nihil videri; sicut idem est nihil me comedere, & nihil à me comedi. Si eâdem visione quâ videt, aliquid videtur, ergo seclusâ omni fictione datur denominatio visi, & quidquid huic superadditur, planè vanum est & superfluum, cùm sine omni fictione totum habeamus, quod necessarium est, ut ego videam parietem, & paries à me videatur. Vide Suar. *disp. ult. Metaph. sect.* 2. & *d.* 6. *Sect.* 17.



§. II.




§. II.

De Proprietatibus Terminorum.

Summaria.

1. *Octo terminorum proprietates assignantur, quarum Princeps Suppositio. Declaratur ejus natura.*
2. *Et divisio.*
3. *Quanam sint regulæ Suppositionem distributivam ab alijs discernendi?*
4. *De Statu & reliquis terminorum passionibus.*
5. *Status & Ampliationis,*
6. *Alienationis & Appellationis regulæ exponuntur.*





Terminorum proprietates sunt octo: *Suppositio, Status, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, Distractio, & Appellatio.*

Suppositio varia significat: hîc accipitur pro acceptione seu usu terminorum vocalium, quibus utimur ad aliquid cognoscendum, vel differendum.

I. *Quæritur* 1. Quid sit Suppositio? *Resp.* Bene definitur Suppositio, *quòd sit usus termini in oratione pro se, vel pro suo significato.* Circa hanc definitionem

 Not-

Notandum 1. Cùm non poſſimus res ipſas in diſputationem adducere, illis ſupponimus, hoc eſt, ſubſtituimus voces, quæ proinde meliùs dicuntur ſupponi pro aliquo, quàm ſupponere.

Notandum 2. Eandem vocem poſſe multas habere ſuppoſitiones, & ex varietate ſuppoſitionum dubia & æquivocationes naſci, niſi diſtinguantur, multitudo enim cùm ſimilitudini jungitur, facilè decipit: v. g. cùm dico: *Petrus eſt animal*, prædicatum ſupponi poteſt pro omni animali, & pro aliqua ſpecie tantùm animalis, in hac ſuppoſitione illa propoſitio eſt vera, ſecùs in alia.

Notandum 3. Aliud eſſe ſignificationem, aliud ſuppoſitionem. S. Thom. *q. 9. de potent. a. 4.* & in *3. ſent. d. 6. q. 1. a. 3.* ſuppoſitio enim reſtringit, limitátque ſignificationem ad unum, v. g. *homo* abſolutè ſignificat naturam humanam omnéſque homines; ſed cùm dico, *homo eſt albus*, ſupponit pro determinato homine. Si dico: *Antichriſtus fuit malus*, vox Antichriſti ſignificat certum hominem, & tamen eſt propoſitio *de ſubjecto non ſupponente*, quia nullus eſt talis homo, cui intellectus eam qualitatem, & prædicatum mali poſſit applicare.

Notandum 4. Etiam in propoſitionibus falſis dari ſuppoſitionem; cùm enim dico: *homo eſt lapis*, ſi homo non ſupponit nec pro humana natura, nec homine aliquo in particulari, ergo non eſt falſa propoſitio, cùm non poſſis dicere reſpectu cujus ſit falſa.

Notandum 5. Propriè loquendo extra propoſitionem terminos ſignificare quidem, ſed non ſupponere, ſuppoſitio enim, ut dixi, eſt limitatio ſignificationis, ſed hæc vox *homo* v. g. extra propoſitionem non habet unde limitetur, nec potes dicere, humanam naturam potiùs an hominem in particulari deſignet; & in hac; *Plato Philoſophus*, poteſt eſſe ſuppoſitio materialis aut formalis, utra vera ſit non apparet, niſi propoſitio fiat & copula accedat.

II. *Quæritur 2.* Quotuplex ſit Suppoſitio? *Reſp.* 1. Suppoſitio alia eſt *propria*, alia *impropria*. Propria eſt acceptio termini pro re, quam propriè ſignificat, v. g. *leo rugit.* Impropria eſt

accep-

acceptio vocis pro re quam impropriè significat, v. g. *prata rident*, ubi ridere idem significat, quod florere, non absolutè tamen, sed cum proportione & annotatione ad risum: unde sicut in statuis, ædificijs, foris, &c. ita in vocibus magna ex Metaphoris ob proportionem delectatio; & ideo terminos metaphoricos frequentiùs Poëta & Rhetor, qui delectando movent, usurpare solent; rariùs verò Philosophus aliæque artes, quæ veritatem quærunt.

℞. 2. Suppositio propria alia est *formalis*, alia *materialis*. Materialis est, cùm vox aliqua seipsam, & non rem aliam significat, ut in his exemplis: *homo est vox; homo est nomen generis masculini: vox est sonus, &c.* quamvis in hoc ultimo exemplo, & alijs similibus Suppositio sit mixta, partimque materialis & formalis; significat enim non solùm seipsam, sed etiam omnes alias voces. Formalis Suppositio est, cùm vox supponit pro re significata. Voces ergo non significativæ supponunt tantùm materialiter.

℞. 3. Suppositio formalis, alia est *simplex*, alia *personalis*. Simplex est, quæ rem significat, prout subest secundis intentionibus, v. g. *Petrus est individuum subjicibile: Homo est species*: hîc Petrus & homo simpliciter supponunt. Intellige per secundas intentiones, non entia rationis Logica, & objectiva, sed denominationes extrinsecas ab intellectu desumptas, ut supra notatum §. *1. n. 5.* Personalis est usurpatio vocis pro re, ut à parte rei independenter à secundis intentionibus existit, v. g. *homo est animal, Petrus est homo, Petrus currit:* in his propositionibus subjectum personaliter supponit. In Suppositione simplici fieri etiam potest descensus, sed sub terminis secundæ intentionis, v. g. *& hoc genus est universale: vel hoc animal est species; vel hoc &c.* In Suppositione personali fit descensus sub terminis primæ intentionis, v. g. *& Petrus est animal, & Paulus est animal. &c.*

Resp. 4. Suppositio Personalis alia est *discreta seu singularis*, cùm terminus pro aliquo singulari supponit, v. g. *Petrus currit hic homo docet*: alia *communis*, quando nomen commune pro suis inferioribus supponit, & hæc est quadruplex, *Distributiva, Copula-*

pulata, *Determinata* & *Confusa*. Distributiva seu universalis est acceptio termini communis pro suis significatis copulativè seu distributivè sumptis: est verò acceptio distributiva & copulativa, quæ integras propositiones conjungit; v. g. *omnis homo est animal*; homo distributivè supponit, sic enim resolvitur. *Et Petrus est animal & Paulus est animal.* At cùm dico: *Omnia principia sunt tria*, signum illud *omnia* non distribuit, quia non potest repeti prædicatum ad singula inferiora, nec enim possum dicere, *ergo & materia sunt tria*, *& privatio sunt tria*, *&c.* Distributiva alia est *Absoluta*, alia *Accommoda*: alia *pro singulis generum*, alia *pro generibus singulorum.*

Suppositio Copulata seu *collectiva* est, cùm terminus accipitur pro suis inferioribus copulatim sumptis, ita ut prædicatum ad singula inferiora repeti non possit, v. g. *omnia elementa sunt quatuor.*

Suppositio Determinata seu *disjunctiva* est *usus termini communis vel nullo vel particulari signo affecti pro suis inferioribus disiunctivè enumerandis.* Tunc fit disjunctiva enumeratio, cùm particula disjungens singulis propositionibus, & non tantùm singulis, & simplicibus terminis applicari potest, v. g. in hac propositione, *Leo rugit*, sic fit descensus; *vel hic leo rugit*, *vel ille leo rugit*, ita ut aliquem in particulari designare possis, qui rugiat; si enim nullum possis designare in particulari, descensus fiet disjunctim, & particula *vel* simplices tantùm terminos non integras propositiones efficiet, eritque *Suppositio confusa*, ut in hac: *Aliquis oculus necessarius est ad videndum*, resolutio hoc modo fit: *vel hic*, *vel hic oculus est necessarius*, sic tamen ut nullum in particulari designare possis, de quo verum sit dicere: *Hic est necessarius*, *sed vel hic vel ille.*

III. *Quæritur* 3. Quæ sint Regulæ Suppositionum?

Resp. Regulæ Suppositionis distributivæ sunt istæ.

Regula prima: *Signum universale affirmativum distribuit terminum proximum, cui immediatè præfigitur: signum verò universale negativum distribuit omnia, quibus tam proximè quàm remotè, mediatè vel immediatè præponitur.* *Nota*, signa universalitatis affirmativa esse ista: *Omnis*,

nis, *Quilibet*, *Totus*, *&c.* Negativa: *Nullus*, *Nemo*, *Non*, *Nec*, *&c.* Mixta sunt: *Contingens*, *Probabile*, *Tantum*; hæc enim sic resolvuntur: *Contingit hominem esse album*: hoc est, *potest esse albus*, *potest non esse albus*: *Probabile est*, *Turcam victum iri*, hoc est, *potest esse*, *ut vincatur*, *potest esse*, *ut non vincatur*: *Tantùm homo est risibilis*, hoc est, *solus homo ridet*, *& nullum animal præterea.*

Ratio Regulæ est, quia si signum universale affirmativum non distribuit totum subjectum cui præponitur, sequeretur duas contradictorias esse veras, videlicet has: *Omnis homo est animal*, *aliquis homo non est animal.*

Rursus, si tam subjectum, quàm prædicatum propositionis negativæ, adeóque tota propositio non sumatur distributivè, iterum verificarentur contradictoriæ, hæ videlicet:

Nullus homo est lapis, *aliquis homo est lapis*: *Petrus non est doctus*, *Petrus est doctus*; ut enim sit doctus, sufficit in aliqua arte, vel doctrina doctum esse. Accedit, si negatio *Non* distributivè non supponit, ergo vel *collectivè*, vel *disjunctivè*, vel *disjunctim*; nihil autem horum. Non collectivè, quia alioquin hæc esset vera, *Petrus non est homo*; verum enim est, non esse & hunc & hunc hominem. Non disjunctivè, quia iterum illa propositio, *Petrus non est homo*, esset vera; verum enim est non esse aliquem hominem determinatum, v. g. Aristotelem. Non disjunctim, quia aliàs hæc propositio, *Petrus non est lapis*, in nullo determinatè lapide verificaretur, cùm tamen de omni etiam determinato lapide verissimum sit, Petrum non esse vel hunc vel illum lapidem.

Ratio autem à priori inter affirmationem, & negationem est, quia forma positiva excludit quidem omnem oppositam formam, sed non includit omnes formas, & ideo si omnis homo est animal, falsum est quòd aliquis homo non sit animal; non ideo tamen homo est omne animal. Privatio verò dicit carentiam omnis omnino formæ; cæcitas enim est privatio omnis visionis, tenebræ privatio omnis lucis; qui enim uno tantùm oculo non videt, non est cæcus, & qui unam tantùm scientiã non callet, alias verò callet, non est indoctus. Est tamen ad circumstantias advertendum, quæ affirmationem, aut negatio-

 nem

nem sæpè limitant, ut in istis apparet: *Cælum tegit omnia*: *Omne animal fuit in arca Noë*: *Nullus homo sine peccato*, *&c.*

Notandum præterea, omnem casum obliquum, ad quem terminatur dictio superlativa, vel comparativa aut diversitatem importans, habere Suppositionem distributivam, v. g. *Leo fortissimus bestiarum*, hoc est, *omnium bestiarum*, *adamas gemmarum durissimus*, *id est*, *omnium gemmarum*, nec igni, nec ferro cedit. *Vulpes astutior lupo*, id est, *omni lupo*. *Tantùm crocodilus superiorem maxillam movet*, *cùm mandit*, hoc est, *omnis crocodilus*: vel potiùs *omne quod superiorem maxillam movet est crocodilus*. *Milvus differt ab accipitre*, hoc est, *ab omni accipitre*. *Omne metallum*, *præter aurum*, *igni consumitur*, hoc est, *nullum aurum*, *&c.*

Regula 2. Prædicatum propositionis affirmativæ tam universalis quàm particularis supponit *disjunctivè & determinatè*, non verò *disjunctim seu confusè*, est contra Summulistas, Fonsecam *l. 8. c. 31*, Trieu. *tr. 2. p. 3*.

Ratio est, *tum* quia in Suppositione confusa nunquam deveniri potest ad unum determinatum inferius: sed potest in hac propositione, *Omnis homo est animal*: possum enim aliquod certum animal assignare quod conveniat homini, videlicet rationale, reliquis omnibus exclusis. *Tum* quia propositio convertens ut sit vera, non debet plus continere quàm conversa: sed illa propositio, *Omnis homo est animal*, convertitur per hanc: *aliquod animal est homo*, quæ utique est determinata, & plus continet quàm confusa, signum videlicet determinationis: & regula conversionum habet, ne varietur Suppositio: si ergo convertens est disjunctiva & determinata, ergo & conversa. *Tum* denique quia Suppositio, & propositio disjuncta & confusa non est contradictoria negativæ distributivæ (utraque enim est vera: aliquis oculus est necessarius ad videndum: nullus oculus est necessarius ad videndum, si hæc distributivè illa confusè supponat) sed tantùm Suppositio determinata. Sed hæ duæ propositiones: *Omnis homo est animal*, *Aliquis homo non est animal*, sunt contradictoriæ, ergo non potest animal in prima confusè, in secunda distributivè supponi, hæ siquidem Suppositiones, ut dixi, non causant contradictionem.

Regula

Regula 3. Omnis terminus nullo signo affectus, aut signo particulari, supponit determinatè, v. g. *homo disputat, aliquis homo est doctus*, idque in propositione de utroque extremo verum est.

Limita 1. tamen, nisi propositio aliqua ex hisce vocibus constet: *desidero, appeto, debeo, polliceor, promitto, necessarium est, &c.* Hæ siquidem voces inducunt confusionem, v. g. *polliceor tibi equum*, hoc est, *vel istum vel illum, &c.* nullum tamen determinatè.

Limita 2. In materia naturali, in qua terminus nullo signo affectus supponit distributivè, v. g. *homo est animal*, æquivalet isti: *Omnis homo est animal.*

Regula 4. Varia poni solent Suppositionis confusæ indicia & notæ.

Alij dicunt, Prædicatum universalis affirmativæ confusè supponi, sed hanc regulam refutavimus suprà.

Alij dicunt, Signis universalibus æquivalere adverbia numeralia *bis, ter, &c.* & ideo si ponantur in enuntiatione, prædicatum confuse supponi, perinde, ac si signo universali affirmativo constaret, v. g. *bis dedi pauperibus obulum*, obulum confusè supponi. *Sed* hæc regula nititur falso fundamento de prædicato universalis affirmativæ: *deinde* cùm possit determinari aliquis obulus, qui datus est, non erit Suppositio confusa, sed Determinata. *Alij*, in propositionibus de extremo conjuncto ex parte subjecti prædicatum confundi, v. g. *Aristoteles & Plato sunt Philosophi: In Austria & Hungaria venditur vinum.* *Sed* etiam hîc certum vinum determinari potest quod venditur, hoc verò repugnat Suppositioni confusæ, ut mox dicetur.

Alij, Subjectum, cui præfigitur exclusiva *Solùm, tantùm, &c.* supponi confusè, v. g. *tantùm homo est doctus.* Sed iterum urget, posse in hac propositione deveniri ad aliquem hominem in particulari, qui sit doctus: & si nullus designari posset, ea propositio esset falsa.

Rursus: Ea propositio sic convertitur: *Omnis doctus est homo:* Sed prædicatum universalis affirmativæ, ut sæpe dictum, supponit determinatè. Optima ergo regula est, si dicas, eum termi-

minum supponi confusè, qui nullum habet determinatum inferius, imò ne quidem à Deo determinabile, de quo prædicatum verificari determinatè possit, v. g. *alterutis oculus est necessarius ad videndum*, ne Deus quidem determinate potest, dexter ille an sinister sit: & de utroque tam dextro quam sinistro negari potest esse determinatè necessarium: secùs est in propositione determinata; si enim vera est hæc: *aliquis homo est doctus: aliquis homo currit:* poterit ad aliquem deveniri, de quo verum sit dicere: *hic homo est doctus, hic homo currit:* aut si nullus designari possit, evadet falsa, tunc enim hæc erit vera: *nullus homo currit:* ergo ejus contradictoria est falsa: *aliquis homo currit.* Notæ verò & signa hujus confusionis sunt ea verba: *Oportet, necessarium, polliceor, opto, debeo, &c.*

Dices 1. In hac propositione: *Sol est Mundo necessarius, Anima est necessaria vitæ*, Suppositio est determinata.

℞. Esse per accidens determinatam, quia in uno Mundo non sunt plures soles, in uno corpore non plures animæ: & ideo, si Petro dextrum oculum excutias, verum erit dicere: Sinister oculus est Petro necessarius ad videndum: & *ratio est*, quia omnis confusio ex pluralitate oritur, non ex unitate.

Dices 2. In hac propositione, *Tantùm homo est doctus*, etsi à parte rei ille homo sit determinatus, non tamen ex parte cognoscentis, qui illum determinatè ignorat, ergo hoc sufficit ad Suppositionem confusam, voces enim supponunt pro rebus, non ut sunt, sed ut cognoscuntur.

℞. 1. Si valeat consequentia, tolli ferè omnem Suppositionem determinatam, v. g. *aliquis homo est albus, aliquis homo est Papa, aliquis homo est in pugna mortuus*, sunt omnes determinatæ, etiamsi pronuntians nesciat, nec possit determinare, quis sit ille albus, ille Papa, ille mortuus?

℞. 2. Sufficit ergo ad suppositionem determinatam, ut scias, aliquem esse determinatum hominem, cui prædicatum *docti* conveniat, quamvis illum determinare non possis; tunc enim adhuc verum est, voces supponere de rebus prout cognoscuntur: quodsi casu illam propositionem effutias, dicasque:

ali-

aliquis homo est mortuus, nesciásque, an verè sit mortuus, non possum ex tua cognitione suppositionem metiri quam nullam habes, sed ex communi loquentium sensu.

Regula 5. Quando prædicatum numerum significat, subjectum supponit copulatim, v. g. *omnia elementa sunt 4. omnes Apostoli sunt 12. &c.*

Regula 6. In propositionibus tam affirmativis quàm negativis non est bona consequentia à sensu distributivo ad collectivum; non enim valent istæ consequentiæ: *possum ferre istum lapidem, & istum, & istum, &c. ergo omnes: iste cibus non est ad vitam necessarius, nec iste: nec iste, &c. ergo nullus: iste bolus, & iste, & iste jejunium non frangit, ergo nec omnes collectivè sumpti.*

Ratio est, quia omnis consequentia in præmissis continetur, & ex præmissis deducitur: sed sensus collectivus non continetur in distributivo, hoc est, in singulis particularibus: plus enim sunt omnia, quàm singula sigillatim: sicut nec unitas continet decadem, sed bene decas unitatem.

IV. *Quæritur* 4. Quid de reliquis terminorum proprietatibus sentiendum sit?

Resp. Status termini est, quando sumitur pro uno aut pluribus suppositis solùm existentibus secundùm differentiam temporis adsignificatam per copulam propositionis principalem, v. g. *homo currit*, supponit tantùm pro hominibus præsentibus, non futuris, aut præteritis.

Ampliatio est extensio termini ad plures temporis differentias quàm copula significet, v. g. *homo est animal*, τὸ *homo* supponit pro præsentibus, præteritis, & futuris, *possibilibus, & imaginabilibus.*

Restrictio est, per quam amplior termini significatio ad minorem, & strictiorem limitatur, v. g. *homo justus*: τὸ *justus* limitat hominem, ne pro omni homine intelligi possit.

Alienatio est, cùm terminus adjectione de proprio ad improprium significatum traducitur, v. g. *homo marmoreus venit*: & non valet consequentia de termino alienante ad absolutum, v. g. est *homo marmoreus, ergo est homo.*

Diminutio eſt, cùm termini totalis, & abſoluta ſignificatio additione ad partem reſtringitur, v. g. eſt *homo albus ſecundum dentes.*

Appellatio eſt applicatio ſignificationis formalis unius termini ad ſignificatum formale vel materiale alterius termini, v. g. *Ariſtoteles eſt Philoſophus magnus*, τὸ *Magnus* appellat Philoſophum formaliter ut talem, ſive Ariſtotelem non ſecundùm corpus, aut quantitatem, ſed ſecundùm ſcientiam Philoſophicam. Si verò dicas: *Ariſtoteles Philoſophus eſt magnus*, τὸ *Magnus* appellat ſuper materiale, ut ſenſus ſit, Ariſtotelem fuiſſe corpore non Philoſophiâ *magnum.*

V. *Quæritur* 5. Quæ ſint Regulæ Statûs, & Ampliationis?

Reſp. 1. Regula Statûs eſt iſta. Omne ſubjectum propoſitionis affirmativæ, ac præſentis temporis, cujus prædicatum non poteſt convenire ſubjecto, niſi ſuppoſitâ exiſtentiâ ſubjecti, habet ſtatum præſentis temporis, v. g. *omnis homo eſt albus*, ſupponit tantùm pro exiſtentibus, quia accidens non eſt, niſi alteri inſit. Hæc verò: *homo eſt animal*, ſupponit pro præteritis præſentibus & futuris, quia rerum eſſentiæ ſunt æternæ, nec requirunt exiſtentiam.

℞. 2. Regulæ Ampliationis ſunt iſtæ.

Regula 1. In propoſitionibus conſtantibus copulâ de præterito, ſubjectum ampliatur ad id, quod eſt, vel fuit: prædicatum verò ad id tantùm quod fuit. v. g. *Petrus fuit albus*, Petrus ſupponit pro eo qui eſt, aut qui fuit: aut qui eſt & fuit; ſemper enim de illo verificari poteſt, *fuit albus*; album tamen verificatur tantùm de præterita albedine, nam de præſenti dicendum erit: *eſt albus.* Et in hac: *Adamus mortuus eſt*, hoc eſt, *Adamus qui olim fuit, & adhuc eſt.* Et in hac: *Omnis ſenex fuit puer*, hoc eſt, *omnis qui eſt, & qui fuit ſenex.* Eodem modo ſi copula ſit de futuro, ſubjectum ampliatur ad futurum, & præſens tempus: prædicatum verò eſt de futuro tantùm, v. g. *Petrus erit doctus, templum ædificabitur, muri corruent, omnes homines morientur*, hoc eſt, *Petrus qui eſt, & qui erit, aliquando doctus erit: templum quod eſt & quod erit, ædificabitur, &c.* Eodem modo iſtæ exponendæ ſunt: *puer ſenuit, vir adoleſcet, &c.* hoc

hoc est, *qui est vel fuit puer senuit; qui est vel erit vir adolescet &c.*

Regula 2. Terminus inceptionem rei significans ampliat omnes alios terminos ante se & post se ad id quod est & quod erit: significans verò desitionem, ad id quod est vel fuit. v. g. *æstas incipit: motus lapidis incipit; dies oritur; Sol occidit:* id est, *æstas quæ modò est & erit, incipit esse & erit seu durabit, &c. Sol qui lucet & qui luxit, occidit.* Idem est si terminus significet actionem incipiendi vel corrumpendi, prioritatem vel posterioritatem, v. g. *Petrus ædificat basilicam, destruit domum, &c.*

Regula 3. Verbum *potest & possibile*, quando cadunt supra existere vel proprietates essentiæ, ampliant subjectum & prædicatum ad omnes terminos possibiles. Idem dicas de aptitudine, quæ & ipsa est quædam possibilitas, v. g. *homo potest esse albus. Petrus est generabilis, & corruptibilis, Petrus est risibilis & intellectivus*, hoc est, *homo qui est, & qui esse potest, omnem albedinem quæ est, aut quæ produci potest, recipere valet, &c.* Terminus tamen significans actionem non ampliat subjectum, sed intelligitur tantùm de præsenti, v. g. *Petrus currit.* Sic etiam subjecta propositionum negantium ampliantur etiam ad possibilia, v. g. *quidam homo non sedet;* hæc enim propositio de Nerone qui fuit, de Antichristo qui erit de Joanne qui esse potest, verificatur: & in hoc casu hæ duæ propositiones, *omnis homo sedet* (factâ hypothesi, quòd sedeant omnes) *aliquis homo non sedet*, non sunt contradictoriæ, quia diversam habent ampliationem; prima enim de existentibus tantùm loquitur, secunda de præteritis & futuris.

Regula 4. In affirmativis procedendo ab amplo ad non amplum, sive à non restricto ad restrictum, valet consequentia, positâ tamen distributione ampli & constantiâ (hoc est, affirmatione existentiæ) non ampli, v. g. *omnis homo est albus, ergo Petrus est albus, & Petrus est.* In negativis non est opus constantiâ restricti, v. g. *nullus homo est albus, ergo nec Petrus est albus:* nec opus est ut addas, *& Petrus est*, negatio enim formæ non supponit existentiam subjecti sicut affirmatio; quod enim omnino non est, multò magis non est tale.

Rur-

Rursus. A non amplo ad amplum in affirmativis valet consequentia, modò amplum sine distributione & sine constantia non ampli accipiatur: in negativis verò valet consequentia à non amplo ad amplum sine distributione ampli, & cum constantia non ampli, v. g. *Petrus disputat, ergo homo disputat: Petrus non disputat, & Petrus est, ergo aliquis homo non disputat*; si enim non addas *Petrus est*, posset consequens esse falsum: si enim solus Paulus esset in mundo, & is disputaret (cum quibus verò? secum aut calamo contra mortuorum errores?) verum esset Petrum non disputare, est enim mortuus; falsum verò; *aliquis homo non disputat*; disputaret enim Paulus, qui solus esset in hac hypothesi homo. Cæterùm hæc parvi sunt momenti, habéntque suas instantias. Illud verum est, nullam esse consequentiam tam in negativis quàm affirmativis à sensu non amplo ad amplum distributum, v. g. *homo disputat, ergo omnis homo disputat: aliquis homo non disputat, ergo nullus homo disputat.*

VI. *Resp. 3.* Regula Alienationis est ista. Terminus alienans ponitur ex parte prædicati; nam si ponatur ex parte subjecti per modum adjectivi, non alienat, sed tantùm restringit, nec reddit propositionem impropriam, sed propriam, v. g. *homo pictus est imago.*

Resp. 4. Regulæ Appellationis sunt istæ.

Regula 1. Quando subjectum ponitur substantivè, & adjectivum ex parte prædicati, prædicatum stat formaliter, & subjectiu materialiter, cadítque appellatio in suppositum substantivi, v. g. *Medicus est magnus, album est dulce, hic homo est æternus* (designando Christum) sensus est: Medicus est magnus homo, vel magnum corpus: lac quod est album est dulce: Persona Christi est persona æterna. Vide S. Th. *3. p. q. 16. a. 7. & 9.* & ideo hæc est falsa: *Christus est factus*, quia, ut dixi, prædicatum adjectivum aut per modum adjectivi appellat supra suppositum.

Dices 1. In hac propositione, *homo est species prædicabilis de multis*, appellatio non potest cadere supra certum & incommunicabile suppositum, sed supra naturam in communi.

℟. Nos

℟. Nos de prædicatis primæ, non secundæ intentionis locutos esse.

Dices 2. Si prædicatum adjectivum, aut quasi, cadit suprà suppositum, hæc propositio non erit falsa, *Essentia divina generat*, quia τὸ *generat* cadet supra personam, quod verum est.

℟. Illud complexum, *Essentia divina*, non exprimere suppositum, sed tantùm naturam, & ideo propositionem esse falsam.


Regula 2. Quando substantivum & adjectivum, vel quasi, ponuntur ex parte ejusdem extremi, appellatio est formalis, caditque supra formale subjecti, v. g. *Petrus est magnus Logicus: magnus Logicus disputat*; sensus est, Petrus ut Logicus est magnus, &c.


Limita 1. Non procedere in terminis disparatis, v. g. *Petrus est niger Logicus*; patet enim non esse nigrum ut Logicus est; quippe Logica non est nigra nec alba.

Limita 2. Non procedere si prædicatum supposito nōn conveniat; sufficit autem ut supposito ratione aut sui aut formæ adjunctæ conveniat; non valet ergo ista: *Christus est peccator magnus*, quia hæc magnitudo tam respectu Humanitatis quàm Divinitatis repugnant: valet verò ista, *Christus est mortuus*, quia supposito divino mors convenit respectu assumptæ humanitatis.

Regula 3. Voces significantes actum animæ tum cognoscendi tum appetendi, appellant formale significatum earum rerum, in quas feruntur, v. g. *cognosco venientem*, *appeto dulce*; hoc est, cognosco venientem, ut veniens est, quamvis eum aliàs non agnoscam: appeto dulcedinem, &c. Si tamen dicas; *venientem agnosco*, hîc cognitio videtur super materiale appellare.

Regula 4. Variatâ appellatione non valet consequentia, v. g. *homo est species, ergo & Petrus est species: Christus est mortalis, ergo Deus est mortalis, &c.*





CAPUT II.

DE V. PRÆDICABILIBUS.

§ I.

DE PORPHYRIO ET UNIVERSALI SECUNDUM SE.

Summaria.

1. *Porphyrij ortus, apostasia, & scribendi de 5. Prædicabilibus methodus.*
2. *Acceptio, & definitio Universalis.*
3. *Non solæ voces, sed res ipsæ sunt, & denominantur universales.*
4. *Formale Universalis est unitas;*
5. *& 6. Ejus Definitio, & Divisio.*
7. *Universale non constituitur per unitatem numericam,*
8. *Nec per unitatem formalem, reddentem naturam secundum se indifferentem, ut voluit Fonseca.*
9. *Diluuntur objectiones.*
10. *Ideæ Platonicæ explicantur, & refutantur.*
11. *Dari à parte rei realem unitatem similitudinis, ostenditur.*

12. So-

12. *Solus Intellectus naturam secundum se sine conditionibus individuantibus potest concipere;*

13. *Hoc tamen omnibus potentiis cognoscitivis non convenit.*

14. *Licèt à parte rei natura sit apta inesse multis, multiplicatâ unitate numericâ:*

15. *Non tamē datur à parte rei unitas formalis naturæ positiva,*

16. *Aut privativa.*

17. *Neque Intellectus facit unitatem, aut aptitudinem ad Universale Philosophicum necessariam, sed supponit à parte rei;*

18. *Unitatem quidem similitudinis, & convenientiæ, aptitudinem verò realem, quâ non repugnat plures naturas valdè similes existere.*

19. *Natura Universalis potest conservari in omni Suppositione copulativa, & copulata, disjunctiva, & disjuncta.*

20. *Etiam tunc, cùm ab unico individuo abstrahitur.*

21. *Imò etiamsi plura individua repugnent.*





Gimus de terminis, quibus primos nostros conceptus exprimere solemus. Quia verò res ipsas aut secundùm eas rationes concipimus, quæ pluribus communes sunt, aut secundùm rationes magis, magísque particulares, quibus à se invicem differunt, ideo de utrisque jam agendum, præsertim, cùm nihil ferè de rebus Dialecticis, imò Philosophicis sciri ab illis possit, qui Universalia, Genera, Species, &c. ignorant, hoc est, mundi intelligibilis elementa.

I. Egit verò de 5. Prædicabilibus accuratè Porphyrius in Tractatu ad Chrysaorium Patricium Romanum, quem in Sicilia scripsit. Floruit Porphyrius sub finem seculi tertij à Christo nato, natione Judæus, aut, ut alij malunt, Tyrius. Nomen illi Malchus, quod Longinus Magister in Porphyrij mutavit, quòd crederet Regi (hoc enim Malchus significat) purpuram deberi. Christianam fidem amplexus est, sed cùm eam vitijs fœdaret, venere præsertim, & impetu in iras præcipiti, nec Episcoporum objurgationes ferret, quibus ad meliora revocabatur, Gentilium errores amplexus est fide desertâ: hinc pertinax illi in Christianos odium, quos & 15. libris insectatus est, rabie & calumnijs potiùs, quàm argumentis ferox: combusti illi sunt Theodosio jubente. Si huic homini impietatem, & calumniandi impetum demas, negari haud potest, inter sui temporis Philosophos Platonicos principem fuisse, & ideo nec Ecclesia nec sancti Doctores dedignati sunt, quæ benè, utiliterque scripsit, in suos usus transferre, exarmato videlicet hoste, & spolijs in victricem veritatem collatis. *Philosophi qui vocantur*, inquit S. August. *l. 2. de doctr. Christ. c. 40. Si qua fortè vera, & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda.* Vide quæ in Decreto Gratiani eleganter habentur post *c. legimus.* & in *c. qui de mensa. c. relatum est. d. 17.* Observavit Porphyrius in hoc suo Tractatu seu Isagoge methodum elegantem, Naturæ videlicet & doctrinæ.

Natura quidem, quia hæc primò materiam præparat, disponitque, tum inducit formam, ex hac, & materia totum compositum resultat: ex composito primò proprietates, tum accidentia communia. Sic genus materiæ respondet, differentia formæ, species toti, & ex specie proprietates & accidentia; hoc enim modo Porphyrius in præfatione quinque prædicabilia enumerat, quamvis in ipso opere priùs de specie agat quàm differentia, secutus videlicet methodum arbitrariam, quia species est correlativum generis.

Ordo doctrinæ in eo est, quòd Porphyrius syntheticè, & viâ compositionis procedat à simplicioribus videlicet, ad magis com-

composita, & ab essentialibus ad magis accidentalia. Ejus vestigijs insistendum nobis est, si priùs tamen de Universali secundùm se aliquid dixerimus; aliquid, inquam, nec enim, quæ ad Metaphysicam pertinent, Logicæ dabimus.

II. *Quæritur 1.* Quid, & quotuplex sit Universale?

Resp. Universale omne id dicitur, quod cùm sit unum, ad multos tamen pertinet, & dici de multis potest. Sic dicimus, bellum esse calamitatem universalem, panaceam esse medicinam universalem, solem causam universalem, &c. quæ omnia, ut patet consideranti, dicunt aliquod unum, quod est in multis; sicut econtra particulare, seu singulare ita est unum, ut non sit in multis, v. g particulare bonum, quod ad multos non spectat: causa singularis, quæ ad multos effectus non extenditur, &c. Eodem modo Philosophi naturam universalem dicunt, quæ cùm sit una, de multis tamen dicitur, sive jam ea unitas, & multiplicabilitas sit realis, sive intentionalis, sive mixta, de quo infrà. Sic *homo* est vox universalis, quia naturam humanam significat, quæ & est una & est multiplex; una, quia homo *ut sic* nullam dicit diversitatem, & unâ definitione comprehenditur: multiplex, quia in multis est, imò cum multis identificatur, in Petro enim est Petrus, in Paulo est Paulu, &c. nec enim in Paulo aliud est esse Paulum, aliud esse hominem, sicut in unitate non aliud est esse unitatem, aliud esse numerum, aut principium numeri. Est verò Universale multiplex, videlicet *in essendo, in significando, in causando, & in prædicando.* Nos de Universali tantùm in essendo, & prædicando agimus; quamvis enim esse ad Metaphysicum pertineat, ut tamen est radix prædicationis, eiúsque cognitio ad hujus cognitionem necessaria, etiam ad Logicum pertinet. Definitur ergo Universale ab Aristotele. *5. Metaph. text. 45. Unum aptum inesse multis.* & *1. l. Perihermen. Unum aptum prædicari de multis.* Quæ definitio tam *materiale* quàm *formale* Universalis significat. Materiale est res ipsa, seu natura, quæ denominatur Universalis: Formale est ipsa forma, quâ redditur Universalis. Procedemus ergo in hac materia Universalium methodo resolutivâ & definitivâ, singulas partes definitionis explicando & examinando.

III. *Quæritur* 2. An voces ſint materiale ſignificatum Univerſalis?

Reſp. Non ſolæ voces aut nomina ſunt ſignificatum materiale Univerſalis, hoc eſt, nonſolæ voces denominantur univerſales, ſed etiam res ipſæ & naturæ.

Ita communis contra Ochamum Principem Nominalium, (quem propterea Venerabilem Inceptorem & Doctorem appellârunt) & facem belli civilis, quo Eccleſia diu cum imperio luctata eſt, tribus ſummis PP. Joanne XXII Clemente VI. & Benedicto XII. contra unum Ludovicum Imperatorem, diris & ferro armatis. Ferunt Ochamum, cùm ad Ludovicum confugiſſet, dixiſſe: *Tu Imperator me gladio defende, ego te calamo contra Pontifices tuebor.* Fecitque plus, quàm vel Philoſophus debuit, vel Monachum decuit. Ante mortem reſipuit, petitâque, ac obtentâ à Summo Pontifice abſolutione paulò pòſt pœnitens exceſſit. Hujus ergo opinio fuit, nihil eſſe in rebus univerſale, ſed ſolas voces, & vocem *homo* v. g. non ſignificare naturam aliquam univerſalem, ſed omnes homines ſingulares collectivè. Contraria eſt communis cum S. Anſelmo *l. de Incarnat. c.* 2.

Ratio eſt 1. Quia cùm dicimus dari naturam aliquam univerſalem, nihil aliud dicimus, quàm dari aliquam naturam, quæ licèt ſit una ſimilitudine, & convenientiâ prædicatorum, ea tamen non in uno tantùm, ſed in multis reperitur: at hujusmodi naturam dari certum eſt, ut patet in *homine* & *bruto*, *&c.* Si ergo hoc Univerſale admittunt Nominales, nobiſcum ſentiunt: ſi aliud quàm hoc impugnant: iterum nobiſcum pugnant, qui aliud Univerſale à parte rei non agnoſcimus. Si verò hanc ipſam naturam, quam & nos & ipſi admittimus, negant univerſalem dici debere, litem de nomine ferunt, & imprudenter faciunt, qui vocis cauſâ bellum omnibus indicunt; quid enim criminis eſſet, ſi ut cum pluribus ſentiunt, cum pluribus etiam loquerentur?

2. Cùm dico, Petrus eſt animal, Jacobus eſt animal. &c. quid de multis prædico? rem an vocem animalis? ſi rem; ergo datur res aliqua pluribus communis, & conſequenter univerſa-

versalis : Si nomen , falsum est Petrum esse vocem animalis.

3. Scientiæ & definitiones sunt de rebus, non de vocibus (nec enim Astrologia considerat vocem Stellæ , solis, cœli , &c. earúmque vocum definitiones , quæ ad Grammaticum spectant) vel ergo de rebus particularibus , vel universalibus? non de particularibus, hæc enim sunt corruptibilia , fluxa, existentia , cùm tamen scientiæ sint perpetuæ , de rebus , ut abstrahunt ab existentia, à materia sensibili , particulari , & intelligibili : & quamvis proprietates etiam de singularibus demonstrentur v. g. risibilitas de Petro, non tamen quà talibus, sed ut participant naturam specificam ; differentiæ enim individuales aut non habent proprietates, aut si habent, non sunt cognoscibiles : de singularibus ergo ut sic non est scientia ; ergo de rebus universalibus ; ergo dantur res aliquæ universales.

4. Cùm dico : *Petrus est animal*, tacendo rationalitatem, ea propositio vel est vera, vel falsa ? non utique falsa (aliàs ejus contradictoria *Petrus non est animal* erit vera) ergo est vera, ergo conformis est objecto, ut est à parte rei, hoc enim est esse verum ; ergo datur à parte rei animal conceptibile sine rationali, & rationale à parte rei conceptibile sine Petro & Paulo : Sicut enim visibilitas coloris in pomo est à parte rei , etiamsi saporem pomi non percipias , ita conceptibilitas animalis , etiamsi rationale non concipias : rem autem esse conceptibilem sine singularitatibus, est esse materialiter & fundamentaliter universalem , quod solùm contendimus ; nec enim cum Platone aut Scoto de formali certamus.

Ubi adverte ex D. Th. *1. Metaph. lect. 10.* ideo intellectum cognoscere unum sine alio , *quia omne quod est in alio , est per modum ejus in quo est , & ideo ex natura intellectûs , quæ est alia à natura re intellectæ , necessarium est quòd alius sit modus intelligendi , quo intellectus intelligit ; & quo res existit ; & ideo species intelligibilis per quam intellectus objecto assimilatur , non oportet ut eodem modo sit in intellectu , quo objectum existit.*

5. Cùm

5. Cùm dico, *homo currit*, *Petrus est animal*, si termini universales, *homo*, *animal*, ex sententia Ochami dicunt omnes homines, omnia animalia collectivè sumpta, sensus propositionis erit: omnes homines currunt; Petrus est omne animal; quod falsissimum est; nomina enim collectiva v. g. exercitus, domus, omnes suas partes, non unam dicunt.

Dices 1. Si res aliqua est universalis, vel ante operationem intellectûs est talis, vel post? non ante, quia singularis est: non post, quia conceptus rem non mutat, nec sufficit ut aliquid dicatur esse. Concipe Petrum esse Papam, non ideo verum est dicere, Petrus est Papa; ergo si concipias animalitatem esse unam, & pluribus speciebus aptam inesse, non ideo verum erit dicere; animalitas est natura pluribus inesse apta; sed tantùm, animalitas est natura apta de pluribus concipi.

℞. Ex dictis Animal v. g. à parte rei multiplex esse, ut constat: & unum, non quidem identitate, sed uniformitate prædicatorum, & conceptibilitate, & hoc sufficere, ut dicatur saltem fundamentaliter Universale. Et ita expressè docet S. Th. *opusc. 42. c. 7. & opusc. 55.* & hæc etiam est ratio, quòd homo vel animal unâ definitione definiri possit.

Dices 2. Res *vel* sunt essentialiter singulares & pluribus inidentificabiles, *vel* non sunt essentialiter tales? *si hoc*, ergo per absolutam saltem Dei potentiam dari aliqua natura poterit, quæ non sit nec hæc, nec illa, sed realiter una, & pluribus identificata, quod est admittere in creaturis mysterium Trinitatis, quale nec in Deo, si absit fides, concipi potest. *Si primum*, ergo nulla res concipi potest sine eo, quod est de illius essentia, v. g. homo sine anima, triangulus sine angulis, album sine albedine; multò minùs homo cum irrationalitate, &c.

℞. 1. Singularitatem non pugnare cum multiplicabilitate in convenientia & uniformitate prædicatorum, quam solam in rebus agnoscimus.

℞. 2. Rem quamlibet, licèt formaliter à parte rei sit una, virtualiter tamen esse multiplicem, *tum* quia pluribus æquivalet, ut homo brutis, & Angelis; *tum* quia est radix plurium

rium operationum specie distinctarum; *tum*, quia duplicem statum habet, unum *in quo est*, alterum *in quo intelligibilis est*, qui status rem sequitur non semper ut *est*, sed ut *cadit sub intellectum*, qui ex sua natura est præcisivus, & accommodatur speciei impressæ, quæ non semper adæquat objectum, ut etiam in potentia visiva cernere est; sæpe enim videmus stellam sine motu, colorem sine differentia, vel potiùs distinctione coloris. Jam ergo res, ut realiter sunt, existúntque, essentialiter sunt singulares, nec potes ut existentes concipere, nisi conceptâ, saltem implicitè, singularitate, est enim existentia, & productio singularium. Eædem tamen res, ut virtualiter multiplices non sunt essentialiter singulares, quia ut sic distinguuntur à gradu individuali, & induunt similitudinem, & convenientiam in prædicatis essentialibus, adeóque abstrahunt objectivè à differentijs singularibus, quæ impediunt assimilationem, & inducunt diversitatem: Petrus enim ut Petrus non convenit cum Paulo, quà talis ést, sed potiùs differt. Idem dicas de rebus, ut intelligibiles sunt, sic enim, quia sunt repræsentabiles per species inadæquatas, quæque unum gradum sine alio, unam perfectionem sine alia repræsentant, non sunt essentialiter singulares, sed indifferentes, ut cum, vel sine singularitate concipiantur: quo modo intelligendus est S. Th. qui sæpè docet res nec esse essentialiter singulares, nec essentialiter universales, sed indifferentes. Sicut tabula rasa nec est essentialiter Cæsar, nec essentialiter non Cæsar, sed indifferens. Vide S. Th. *c. 4. de Ente & Essent.* Ad Objectionem ergo in forma dico, res ut existunt, sive, ut loquuntur, *in statu realis existentiæ*, ut sic esse essentialiter singulares, nec aliter concipi posse. Res verò secundùm se consideratæ, & *in statu puræ essentiæ*, ut dicunt virtualem distinctionem & æquivalentiam, sicut etiam in statu conceptibilitatis objectivæ esse indifferentes, ut sint Universales, vel singulares, & ideo utróque modo concipi posse.

Dices 3. Cùm dico, *Petrus est animal* vel prædico animal quod est in Petro, vel quod non est in Petro? *si hoc*, falsa est propositio; quomodo enim dicere possum, Petrum esse id quod

non est? *Si primum*, illud animal non est Universale, quia cum Petro identificatur.

℞. Prædicari de Petro animal, quod diverso respectu est universale, & singulare: singulare, quia Petro identificatur: Universale, quia Paulo & alijs hominibus identificari etiam potest, servatâ semper unitate similitudinis, convenientiæ, æquivalentiæ & uniformitatis: & hoc dicimus esse Universale saltem fundamentaliter sumptum.

Dices 4. Si nihil aliud est Universale, quàm natura ita singularibus identificata, & multiplex, ut tamen retineat unitatem similitudinis & convenientiæ cum multis, sequitur, ut sicut de Petro verè dicitur, *Petrus est animal*; etiam dici possit, *Petrus est genus.*

Probatur consequentia, quia genus nihil aliud est, quàm natura uni conveniens per identitatem, pluribus verò speciebus per similitudinem, & uniformitatem: atqui Petrus verè pluribus speciebus in gradu animalis assimilatur, cur ergo non possit dici genus?

℞. Cùm dico, *Petrus est animal*, animal repræsentari *secundùm statum realis existentiæ*, *& ut differentiatum Petreitate*, & ita non ut genus; hoc enim dicit naturam conceptibilem sine omni mixtura differentiarum; h. e. secundum statum meræ conceptibilitatis: & ideo sicut tabula picta, aut materia informata non potest dici indifferens ad omnes imagines, aut omnes formas, ita nec animal Petreizatum; ut sic enim non est pluribus communicabile, ergo nec propriè & formaliter genus.

IV. *Quæritur* 3. Utrum Universale benè definiatur: *Unum.*

Resp. Affirmativè. Ut enim suprà notatum, omnis universalitas involuit aliquam unitatem, & hæc unitas pertinet ad formale Universalis, sicut & aptitudo inexistendi multis. Certum autem est (priùs enim expediemus certa, quàm ad incerta procedamus) entia per accidens, æquivoca, analoga attributionis, voces complexas, artefacta, &c. non esse Universalia, hæc enim omnia ut talia sunt simpliciter multa, ergo non Universalia. Quærimus ergo unitatem propriam & essentialem Universali.

V. *Quæ-*

V. *Quæritur 4.* Quid, & quotuplex sit Unitas? *Resp.* Unum ab Aristotele 5. *Metaph. c. 6.* definitur: *quod quatenus tale dividi non potest in plura, quæ sint ejusdem rationis cum diviso.* Sic Petrus est unus homo, quia licèt possit in animam, & corpus dividi, non tamen in plures Petros. Cùm ergo Unitas sit quædam indivisibilitas, quantò hæc major, tantò & Unitas major. Summa ergo indivisibilitas, & unitas in eo est, quòd neque est pars, nec ex partibus compositum; quod enim constat ex partibus, habet esse divisum in plures partes: quod est pars, habet complementum essendi ab alia comparte. Deus ergo ut summè indivisus, sic summè & simpliciter est unus, & causa omnis Unitatis, imò & distinctionis & numeri, *tum* ad intra *tum* ad extra, est enim proprium Unitati esse principium numeri, imò omnis numerus, & omne compositum tandem ex unitatibus simplicibus componitur, ne procedatur in infinitum. Unitas verò composita partibus constat, quæ quantò magis sibi uniuntur, quantóque magis sibi communicantur, tantò perfectior Unitas, magis est enim homo unum, quàm domus, aut exercitus: & quò major est Unitas, eò major & perfectior entitas, ut inductione universalissimâ in Deo, Angelis, hominibus, animalibus perfectis, insectis, vegetativis, elementis, usquè ad materiam primam ostendi potest, in quibus quantò major est separabilitas & divisibilitas stante formâ, tantò major est imperfectio, econtrà quæ simpliciora, etiam perfectiora. Quod intellige de simplicitate Unitatis, non privationis; alioquin elementa sunt simpliciora mixtis, quia non habent tot qualitates; non ideo tamen perfectiora, & Unitatis retinentiora, cùm dividi possint in partes infinitas.

VI. Tres verò Unitates in natura aliqua v. g. humana considerari possunt; *Numerica*, *Formalis*, & *Præcisionis*. Numerica est, quæ individuis convenit, Petrus enim dividi in plures Petros non potest. Formalis est, quæ naturæ *ut sic*, nec individuatæ convenit; in quocunque enim statu naturam aliquam *ut ens* consideras, non potes unitatem excludere, quæ entis est proprietas. Unitas ergo formalis est, quæ naturam aliquam in plures species aut naturas indivisam facit, homo enim est

 una

una species, nec potest natura humana in plures species dividi. Unitas denique præcisionis est, quæ naturæ non *quà tali* convenit, sed quà conceptæ; cùm enim intellectus hominem concipit sine singularitate, natura sic concepta evadit una, & si poneretur, aut poni posset in rerum natura, qualiter concepta est, omnino esset una, nec differentijs individualibus, quæ multitudinem & divisionem faciunt, distincta: & sic posuit Plato ideas.

VII. *Quæritur* 5. An Universale constituatur per Unitatem numericam?

Resp. Unitas numerica non sufficit ad Universale, imò repugnat.

Ratio est 1. Quia Unitas numerica resultat ex differentia numerica; hæc verò repugnat Universali, Petrus enim *ut talis* non potest de Paulo & Joanne dici.

2. Sic se habet differentia & unitas numerica ad naturam humanam, sicut forma ad materiam primam, figura, aut imago Cæsaris ad tabulam pictoriam; sicut ergo materia jam informata & tabula jam picta non sunt capaces alterius formæ, aut imaginis, ita nec natura humana jam individuata est capax alterius individuationis, ergo non est universalis; Universale enim dicit indifferentiam & aptitudinem ad plura.

3. Singulare ut singulare tam non potest esse Universale, quàm album ut album non potest esse nigrum; ergo sola Unitas singularis nihil facit ad Universale, sed potiùs illud destruit; quærenda est ergo alia.

Dices: Petrus ut Petrus est homo (quid enim aliud est? certè non rapa) ergo Petrus *ut Petrus* dicit convenientiam, & similitudinem in gradu specifico cum omnibus individuis, ergo Petrus ut Petrus dicit naturam pluribus communicabilem, hoc est, Unitatem Universalem.

℞. Petrum ut Petrum esse hominem non qualemcunque, sed singularizatum, & ita, quà talem non dicere radicem conveniendi, sed dissidendi ab alijs hominibus, & ideo quà talem excludi à conceptu Universali, sicut materia prima informata quà

quà talis non est capax plurium formarum, sed potiùs hæc conjunctio cum forma capacitatem & latitudinem materiæ restringit.

VIII. *Quæritur 6.* An detur â parte rei Unitas aliqua formalis?

Resp. Unitas non datur à parte rei aliqua formalis, quæ à numerica sit distincta, & per quam natura constituatur secundùm se indifferens, ut sit particularis, aut universalis, in Petro, aut in Paulo, &c.

Est communis contra Fonsecam: hic docuit naturam v. g. humanam Petri esse quidem à Petro indistinctam, retinere tamen aliquem ordinem realem horum graduum essentialium, ita videlicet ut priùs sit prioritate ordinis, & naturæ esse animalis, esse hominis, quàm esse Petri, & in illo priori hominem ut hominem non dicere gradum Petri, sed nec illum excludere. & ideo esse indifferentem, ut positivè sit universalis, aut singularis. Quemadmodum in Deo idem est amare, & intelligere, ordine tamen aliquo, ita ut si possent separari illi actus, prius esset intelligere, quàm amare, & intelligere est causa, & regula amoris; non ergo identitas excludit prioritatem ordinis, aliàs in Deo non esset ordo, qui tamen est magna perfectio.

Contra hanc sententiam sic explicatam vana sunt argumenta quæ passim objiciuntur, videlicet eam Unitatem formalem, cùm naturam sequatur, illique realiter insit, æquè singularibus communicatum iri, ac alia prædicata naturæ essentialia; ergo singularia jam fieri Universalia, & beneficio illius Unitatis communicabilia, quod impossibile est.

Rursus. Eam Unitatem formalem æquè multiplicari in inferioribus ac reliqua naturæ prædicata; ergo si natura habeat Unitatem formalem genericam, sicut verum est dicere, *Petrus est animal*, ita verum erit dicere, *Petrus est genus*: & si habet Unitatem formalem specificam, sicut verum est dicere, *Petrus est homo*, erit etiam verum, *Petrus est species*, hoc est, habet Unitatem specificam, & genericam, quæ ante omnem mentis operationem natura-

turaliter gradum animalis, & hominis consequuntur; omne siquidem ens suam unitatem connaturalem secum fert tanquam proprietatem inseparabilem. Verùm hæc argumenta scopum non tangunt, nec Fonsecam feriunt; dicet enim quòd sicut materia prima est indifferens ad formam *A.* & formam *B.* & tamen hanc actualem & proximam indifferentiam amittit, quamprimum informatur, forma videlicet eam indifferentiam & communicabilitatem tollente; adeò ut de materia habente formam *A.* non possim absolutè dicere: *Materia est* indifferens ad formam *B.* sed *Materia secundùm se est indifferens, proximam verò hanc indifferentiam, & communicabilitatem recipiendo formam A. planè amisit*; ita, & multò magis de unitate formali; natura enim hominis secùndum se est indifferens ad plura, sed hanc indifferentiam proximam amittit factâ identificatione cum singularibus, sic tamen ut verum sit dicere etiam de natura singularizata: natura hominis in Petro quantùm ex se est, habet, retinétque remotam indifferentiam, & communicabilitatem ad plura. Alijs ergo rationibus Fonseca impugnandus.

1. Nos quærimus unitatem Universalis, per quam natura ita sit una, ut tamen sit apta multis inesse; talis verò non est unitas illa formalis; hæc enim cum identificetur singularitati, ita naturam facit unam, ut tamen reddat immultiplicabilem: *nec interest* quòd natura hoc habeat, non quà talis, sed ut singularizata; undecúnque enim id habeat, est immultiplicabilis, & ideo repugnat universalitati. Sicut enim ignis non est calidus ut substantia, absolutè tamen est calidus, & ita malè diceret, qui negaret ignem esse calidum, multóque peiùs qui igne uti vellet ad refrigerandum; ita natura hominis Petro identificata absolutè est singularis, multóque magis, quàm ignis sit calidus, cùm singularitati identificetur, non verò ignis calori, ergo malè dicit, qui negat eam esse singularem, multóque peiùs qui asserit esse universalem, saltem *negativè*, hoc est, non singularem; eodem enim jure, imò potiori dixeris, hominem cæcum videre, claudum ambulare, mortuum vivere posse, quia nihil istorum homini quà tali convenit.

2. Ad

2. Ad hoc ut aliquis dicatur & sit beatus, aut *justus*, non sufficit, quòd esset beatus, aut innocens, nisi à miseria, & peccato impediretur, sed requiritur, ut absolutè habeat beatitudinem, aut justitiam, alioqui nemo damnatorum, aut peccatorum non beatus dici posset; ergo etiam ut natura humana sit una & universalis, non sufficit, quòd haberet unitatem, nisi impediretur à singularitatibus quibus identificata est, sed requiritur ut de facto non impediatur: impeditur autem semper, cùm ne divinâ quidem potentiâ aliter quàm singularis esse possit.

3. Natura humana in illo priori naturæ *vel* erat indifferens *disjunctivè*, ut videlicet esset in Petro aut in Paulo: *vel* erat indifferens *collectivè*, ut esset in Petro & in Paulo? *non hoc*, quia nulla est indifferentia & aptitudo ad impossibilia; sicut bos non est indifferens naturaliter ad volandum vel non volandum; sed eandem naturam pluribus realiter distinctis identificari multò impossibilius est, quàm bovi volare, daretur enim in natura miraculum supra naturam, imò supra Deitatem, in hac enim tantùm tres uni naturæ identificantur, in nostra verò hypothesi infiniti ferè homines moribus, loco, tempore distinctissimi. Si verò natura humana tantùm indifferens erat, ut vel in Paulo esset vel in Petro, jam hæc unitas non sufficiens esset Universali, propositio enim disjunctiva non est universalis, sed particularis, ut cùm dico, *aliquis currit*, resolvitur in hanc: *vel Petrus currit, vel Paulus currit, &c.* non verò in hanc; *Omnis homo currit*; disjunctio ergo ad Universale non sufficit.

IX. *Dices* 1. Deus est indifferens, ut producat humanitatem in Petro, aut in Paulo, ergo etiam humanitas est indifferens, ut producatur in Petro vel in Paulo, ergo est Universalis.

℞. Negando omnes consequentias; cùm enim sit impossibilis homo, qui non sit Petrus, aut Paulus, aut aliud individuum; sicut est impossibile quòd Petrus sit indifferens ut sit Paulus, ita est impossibile, quòd sit possibilis aliquis homo, qui nec sit Petrus, nec Paulus, &c. Quando enim dicis; Datur aliquis homo indifferens, ut sit Petrus vel Paulus, &c. *quæro*

de

de quo homine id dicas? de universali, aut particulari? *si de Universali*, nego esse possibilem; & ita propositio est de subjecto non supponente: *De particulari*? nego esse aliquem hominem possibilem in particulari, qui tamen nec sit Petrus nec Paulus, &c. *Sed demus* dari hominem indifferentem, ut sit Petrus vel Paulus, adhuc non erit Universalis, quia, ut dixi, pluralitas disjunctiva non facit naturam Universalem.

Dices 2. Natura humana possibilis in statu possibilitatis est aliquid (nec enim est merum ens rationis) nec tamen est singularis, cùm necdum existat, ergo est Universalis.

℞. Naturam humanam in statu meræ possibilitatis fuisse aliquid possibile, & eo modo singularem, quo erat, hoc est, in potentia, sicut enim erat possibiliter, ita erat singularis possibiliter; nec enim aliter est, aut esse potest, quàm singularis.

Deinde, etiam in statu possibilitatis non erat apta esse in multis collectivè.

Dices 3. Si natura Petri & Pauli non est una, ergo differunt in natura, hoc verò absurdum est.

℞. Petrum & Paulum naturâ *distingui*, sed non *differre*, sunt enim similes; sicut ovum ab ovo non differt, sed tamen distinguitur.

Dices 4. Si natura Petri, & Pauli sine differentijs singularibus poneretur, omnino esset una & indistincta natura, ergo natura ex se dicit hanc Unitatem, licèt jam de facto impediatur; quemadmodum aquam naturaliter esse frigidam, lapidem naturaliter esse gravem ex eo colligimus, quòd sublatâ causâ impediente aqua frigus recipit, lapis deorsum movetur.

℞. 1. Quidquid de hoc sit, de facto eam Universalitatem impediri naturâ necessariò, imò essentialiter individuatâ.

2. Si natura Petri & Pauli sine omnibus differentijs singularibus poneretur, fieret aliquid quod fieri nullâ potentiâ etiam divina potest: quid autem mirum, dato uno impossibili aliud impossibile sequi? sicut autem ex falso, ita ex impossibili

bili falsum sequitur, cùm nihil sit falsius quàm quod nec est, nec esse potest: mala ergo est causa, cui à falsis & impossibilibus patrocinium.

3. Sed demus hanc chymericam hypothesin: illa natura sic exuta singularitatibus adhuc non esset Petro & Paulo, sed Petro vel Paulo communicabilis, & ideo nec Universalis.

Dices 5. Materiæ primæ capacitas unius formæ adventu non tollitur, sed impeditur, ergo nec capacitas remota unius naturæ ad plura singularia

℞. 1. Supponi, quod probandum erat: supponitur dari in natura capacitatem ad plura singularia sed hoc negamus; de capacitate materiæ ad plures formas omnium consensu & experientiâ constat.

2. Negatur paritas inter materiam respectu formarum & naturam respectu singularitatum; materia enim non identificatur formæ, & ideo suam essentiam, suámque communicabilitatem retinet, qualem habuit priusquam formam reciperet, nec in hujus naturam & incommunicabilitatem transit. Natura verò humana v. g. Petro identificatur, & ideo in hujus naturam, essentiam, & immultiplicabilitatem transit.

Dic. 6. In Petro duplex est Unitas; formalis, per quam Petrus cum omnibus hominibus convenit: numeralis, quâ distinguitur; quid operatur ergo illa Unitas formalis, aut quomodo à numerali differt, si non reddit naturam pluribus communicabilem?

℞. Unitatem illam formalem hoc operari, ut natura omnium hominum sit una similitudine & conceptibilitate, non verò identitate, aut prædicabilitate, imò similitudo excludit identitatem. Et si non aliam Unitatem, quàm similitudinis intelligunt, petúntque, libenter illis damus, nec litem porrò contestamur.

Dices 7. Magis humanæ naturæ convenit, quod *ut tali* quàm *ratione alterius* illi convenit: sed esse incommunicabilem illi non convenit, *ut natura*, aut *ut humana* est, sed *ut singularis*, ergo esse incommunicabilem minus illi convenit, quàm esse principium discurrendi, ratiocinandi, &c. Sicut enim homini quà est ani-

nimal non convenit esse discursivum, sed esse sensitivum, ita quà homini non convenit esse incommunicabilem. Quæ dicitur esse sententia Scoti & Cajetani à parte rei aliquam Unitatem negativam admittentium, quâ natura constituatur non quidem positivè pluribus communicabilis, sed negativè tantùm, hoc est, non singularis. Sicut tabula rasa non est positivè imago Cæsaris sed negativè, quia non habet repugnantiam, ut sit talis.

℞. Naturam v. g. humanam considerari dupliciter posse; *ut est*; & *ut conceptibilis est*: nam ut suprà ex S. Th. notatum, *n.* 3. modus concipiendi est omnino alius à modo essendi; modus enim intelligendi dependet à specie repræsentante, hæc verò ob sui imperfectionem, vel ob distantiam, aut etiam æquivalentiam objecti sæpe non rem totam, sed ejus partem repræsentat, & ita separat, quæ à parte rei sunt conjuncta. Sic qui videt stellam, non semper videt magnitudinem & motum realiter illi conjuncta: & facies, quæ realiter est una & recta in speculo polygono, multiplex & inversa apparebit, speciebus videlicet objectum aliter quàm est repræsentantibus. Sicut ergo sine errore aliter est, aliter videtur (verum est enim stellas moveri, sed sine motu apparere) ita sine mendacio res aliter est, & aliter intelligitur. Si ergo naturam humanam consideres *ut est*, quidquid illi convenit ut singularis est, convenit ut natura realis est, eo siquidem modo quo est, etiam singularis est; si enim est tantùm possibilis, est etiam possibiliter singularis: si est existens, est etiam in existendo singularis; & hoc tam essentialiter naturæ humanæ convenit, quàm esse humanam; sicut enim repugnat humanam esse, & non humanam, ita humanam esse, & non singularem: ideo enim natura humana essentialiter est humana, quia humanitas illi identificatur. Sic etiam singularitas humanæ naturæ identificatur, & ideo sublatâ singularitate etiam humana natura non esset. Nulla ergo major est repugnantia quàm esse hominem v. g. & non esse id quod est idem ac homo; ergo à parte rei, quàm homo est essentialiter homo, tam est essentialiter singularis. Si verò rem consideres non ut est, sed *ut conceptibilis est*, verum est humanitatem sine singularitate considerari,

ri, & intelligi posse, quia, ut dixi, intellectus non semper intelligit rem ut est. Sicut enim hæ duæ propositiones vocales veræ sunt, *Homo est animal, stella est corpus lucidum*, licèt non omnia exprimant, quæ realiter cum homine & stella conjunguntur, ita veræ sunt propositiones mentales eisdem correspondentes, cur enim mentales potiùs, quàm vocales sint falsæ? & hinc orta Platonis, Fonsecæ, & Scotistarum hallucinatio, eodem modo rem aliquam esse, & concipi, unde paralogismus *à re ut conceptibilis est, ad rem ut est.*

Dices: Si homo à parte rei est essentialiter singularis, & in Petro idem est humanitas, quod singularitas; ergo qui conciperet hominem non conceptâ singularitate, conciperet hominem & non conciperet: illud ex hypothesi, hoc quia non concipit aliquid cum homine identificatum: Sicut qui conciperet hominem sine rationalitate, hoc ipso non conciperet, quia rationalitas homini identificatur.

℞. Qui concipit hominem sine singularitate, non concipere hominem *adæquatè* & totaliter, sed partialiter tantùm & *inadæquatè*; licèt enim in Petro v. g. *ut est*, non sit aliud Petreitas, aliud Humanitas, neque hæc illius sit pars, ut tamen Petrus *est conceptibilis*, sic habet partes, quia unum sine alio concipi potest, & unum latiùs patet, quàm aliud, non quidem quòd in esse rei Petrus sit *aliud & aliud*, sed in esse conceptibili; Petrus enim & convenit cum brutis, & sic concipitur, ut animal, & differt à brutis, sed convenit cum omnibus alijs hominibus, & sic concipitur, ut homo, & *denique* differt etiam ab alijs hominibus, & sic concipitur, ut Petrus. *Confirmatur*. Non magis videntur contradictoria *separari & non separari* quàm *habere partes & non habere*, sed quæ à parte rei separari non possunt, possunt in esse visibili, ut patet in motu stellæ; ergo etiam quæ à parte rei non habent partes, habere possunt in esse conceptibili.

Dices: Si homo concipitur ut pars Petri, & Petrus ut pars hominis, ergo non possum hominem prædicare de Petro, pars enim de parte non prædicatur, v. g. pes de capite, anima de corpore.

℞. Partem in concreto poſſe de toto prædicari, quia concretum ex modo ſignificandi totum ſignificat, licèt enim non poſſim dicere, *Petrus eſt albedo*, poſſum tamen dicere, *Petrus eſt albus*. Non poſſum dicere *pes eſt caput*, quia pes eſt & ſignificatur per modum partis, nec enim hic terminus reſolvi hoc modo poteſt, *pes eſt quod habet pedem*, ſicut homo reſolvitur, quod habet humanitatem. *Cur ergo* non poſſum hominem concipere ſine rationalitate, ſicut poſſum ſine ſingularitate, quæ æquè ac illa homini identificatur? *quia homo* & in eſſe rei & in eſſe conceptibili dicit rationalitatem; qui enim hominem concipit ut hominem, utique tanquam diſtinctum à bruto, non autem, ut omnino convenientem concipit. Sicut ergo terminus vocalis *homo* non ſignificat indifferenter qualecunque animal, ſed tale, ita & terminus mentalis.

Dices 8. Iſtæ duæ prædicationes, *Petrus eſt homo*, *Petrus eſt hic homo*, differunt, & ſecunda plus dicit quàm prima, ergo homo ut homo non dicit ſingularitatem.

℞. A parte rei ſemper Petrum eſſe hunc hominem, non tamen ſemper concipitur cum hoc reſpectu, & ut differt ab alijs hominibus, & hunc reſpectum & differentiam dicit ſecunda propoſitio.

Dices 9. Natura creata v. g. humana aliter eſt una, & minùs quàm natura divina; ſed hæc eſt una unitate numerica, ita ut implicet dari duos Deos; ergo natura humana in Petro non ita eſt eſſentialiter una & ſingularis, ut implicet non eſſe ſingularem, ergo divinitùs ſaltem poteſt dari aliqua natura humana, quæ negativè ſit univerſalis, hoc eſt, non ſit neceſſariò, & determinatè ſingularis.

℞. Unitatem divinam non in eo majorem eſſe creatâ, quòd Deus ſit eſſentialiter hic; nam & Petrus eſt talis, ſed quòd omnes partes tam phyſicas quàm metaphyſicas, tam reales quàm accidentales excludat.

Dices 10. Petrus & Paulus à parte rei ſunt ſibi ſimiles (magis enim Petrus cum Paulo, quàm cum leone aut lupo convenit) ergo à parte rei in aliquo conveniunt, ſed non in Petreitate, hæc enim eſt radix differendi, ergo in humanitate, ergo

go à parte rei humanitati prædicatum aliquod convenit, quod non convenit Petreitati, videlicet esse radicem, & fundamentum similitudinis, & convenientiæ; ergo à parte rei humanitas non est Petreitas, nec alia singularitas (de omni enim singularitate idem argumentum procedet) ergo humanitas à parte rei habet Unitatem formalem distinctam à numerali, & positivè sufficientem ad universalitatem; eâ siquidem Unitate positâ natura est una à parte rei Unitate formali, & apta inesse multis per conjunctionem ad plures Unitates numerales.

℞. Hic est Scotistarum Achilles, sed qui plures terruit, quàm vicit. *Concedo* Petrum, & Paulum à parte rei sibi similes esse, & in aliquo convenire, sed *nego* hujus similitudinis radicem non esse Petreitatem, hæc enim cum humanitate identificatur (ut modò supponimus) ergo quà identificata cum humanitate est radix conveniendi cum alijs hominibus; si enim eadem realiter forma non possit, ut virtualiter distincta, & cum respectu & connotatione ad plura, esse radix similitudinis, & dissimilitudinis, erunt formæ in infinitum multiplicandæ; cygnus enim est similis cygno, & eâdem albedine quâ est similis, est dissimilis corvo: sicut corvus eâdem nigredine quâ est similis alteri corvo, est dissimilis cygno.

Rursus. Cygnus eâdem albedine, quâ est dissimilis corvo, est etiam similis, in ratione videlicet qualitatis & entis; oportebit ergo dicere in cygno aliam esse albedinem, quâ sit albus, aliam quâ sit qualitas, aliam quâ sit ens, &c. Si ergo eadem albedo est ratio conveniendi & differendi in cygno, ita eadem humanitas est ratio conveniendi & differendi in Petro. Hæc responsio supponit, gradus metaphysicos realiter non distingui, de quo in Metaphysica. *Sed demus* distingui distinctione Scotisticâ reali, sed non realissimâ, sequetur quidem humanitatem Petri habere aliquam Unitatem formalem à parte rei, sed non universalem; quia humanitas in Petro, licèt realiter à Petreitate distincta, ita tamen est huic affixa & realissimè ex sententia Scoti identificata, ut ne divinitus quidem separari à Petro possit, ergo est ad unum determinata, ergo non est ad plura realiter determinabilis, ergo non est realiter universalis. Hactenus

nus non ad Fonsecæ tantùm, sed omnium argumenta respondimus, qui Unitatem aliquam universalem à parte rei admittunt: nunc ad Platonem.

X. *Quæritur 7.* An dentur Ideæ Platonicæ constituentes Universale Philosophicum?

Resp. Non dantur Ideæ Platonicæ Universales à singularibus separatæ, in eo videlicet sensu, qui Platoni vulgò adscribitur. Negabat Heraclitus scientiam rerum mundanarum dari, has quippe mutabiles, corruptibiles, fluxásque esse, & quotidie in alios vultus componi. Sicut ergo impossibile est, aquam fluvij decurrentis bis tangere, quia dum credis eandem à te aquam tangi, illa jam defluxit, & nova successit; ita intellectus dum aliquid de re aliqua mutabili pronuntiat, putátque talem esse, jam alia est, & mutationem subijt. Vide Arist. *l. 4. Metaph. text. 22.* Nulla ergo certa cognitio de rebus incertis, sicut nullus certus ac destinatus in scopum ictus, metâ semper vagante, & nusquam fixâ. Plato ut hunc errorem refelleret, & scientias stabiliret, ac istis perpetuum ratúmque objectum daret, distinxit inter res Universales, & singulares, istas mori, illas perpetuas esse; v. g, aliud esse *rosam*, aliud *hanc rosam*; rosas singulares nasci, interire, deflorere, carpi, meti, succidíque: *rosam* verò nec nasci, nec mori, non hyeme nivibus, non æstate caloribus opprimi, & ideo quovis anni tempore, imò post 100. post mille annos veras esse has propositiones, *Rosa est flos, rosa habet vim refrigerandi, rosa locis omnibus siccis, quàm humidis odoratior, &c.* Quæ propositiones non semper, nec omni loco de hac rosa dici possunt; hæc enim in hyme est falsa, *Hæc rosa est flos.* Rosam ergo illam Universalem Ideam omnium rosarum appellavit Plato, eique hæc attribuit:

1. Quòd Idea sit ingenerabilis, & incorruptibilis, intellige respectu causæ secundæ, non respectu Dei, sicut cœlum & materia prima.

2. Quòd in concavo lunæ hæreat, hoc est, in loco à corruptionibus tuto, & tamen rebus sublunaribus vicino & generationibus opportuno.

3. Quòd

3. Quòd à rebus singularibus distinguantur realiter, utpote immateriales, & incorruptibiles.

4. Et nihilominus omnibus rebus materialibus assistant, & essentiam tribuant, hanc rosam v. g. suam essentiam à rosa ideali habere, hunc hominem ab homine ideali: Sicut Idea domûs cùm sit una, mille domibus faciendis servit, & istis planè destructis illa perpetuat. Sicut etiam sigillum, licèt unum sit, nec cerâ, glutine, aut aliâ fluxâ, mollíq; materiâ constet, omnibus tamen rebus fluxis figuram imprimit, sed non duritiem, aut chalybem sigillo proprium; nec mirum esse, Ideam illam nec mori, nec loco uni affixam esse, quia cùm sit universalis, omnem locum & tempus excedit; quæ enim sunt in loco determinato, sunt determinata: & quæ corrumpuntur, ab agente determinato corrumpuntur, & certo, ac determinato loco ac tempore, quæ in Ideas Universales non cadunt.

5. De his Ideis scientias esse, quia semper, certæque sunt. Sunt qui negent alias à Platone Ideas, quâm divinas admitti, easque Universales *in causando & repræsentando* esse, sicut aliæ artium Ideæ. Ita S. Aug. *l. 83 quæst. quæst. 46.* & *l. 22. de Civit. c. 26.* & *7. de Civit. c. 28.* Sed Aristoteles, qui Platonem 20. annis audivit, Ideas creatas ab eo assertas tradit, refutátque. Vid. 1. *Eth. c. 6.* Idémque habet S. Th. *1. p. q. 15. a. 1.* & *q. 84. a. 1.* Qui tamen *opusc. 20. l. 4. c. 4.* fatetur, graves Auctores Platonem de Ideis divinis interpretari solitos. Anno 1632. Ideas Universales, quales Platoni attribuuntur, dictavit ac publicè defendit Marcus Marci in Academia Pragensi Medicinæ Professor, easque, postquam Consistorij examen feliciter vicissent, anno 1635. publico typo dedit. Nec multùm ab eis abhorrent Fonseca, Cajetanus, Scotistæ; quamvis enim non admittant Ideas & naturas Universales separatas, admittunt tamen conjunctas: & quidquid isti pro se, hoc totum pro Platone dicunt; nec ferè aliud à Scotistis Platonis crimen est, quàm quòd Ideas lunæ affixerit. Nullus ferè est qui Platonem non oppugnet, sed nullus qui vel cutem perstringat; adscribunt enim Ideis, quæ nunquam Plato somniavit, & ita non tam quod iste sensit refellunt, quàm quod ipsi somniârunt, ut patet ex natura Idearum paulò antè descripta. Ali-

quas

quas ergo rationes dabimus, quæ non dari Ideas in sensu Platonico ostendant.

Prima est. Ideæ, quas tu asseris, vel sunt increatæ, vel à Deo creatæ? Si primum, utique verum dicis; verum est enim dari Ideas increatas, divinas, effectrices, & exemplaria omnium, quæ sint: sed istæ Ideæ cùm sint natura divina, non sunt Universales, sed maximè singulares & inmultiplicabiles. Si à Deo creatæ? ergo idem Deus, qui creavit Ideam hominis Universalis, potuit creare hominem singularem; tota enim ars est in Idea, & qui pinxit imaginem idealem & archetypam, multò magis poterit alias imagines ad primæ imitationem. Si ergo Deus Ideam hominis sine alia Idea fecit ad sui tantum imitationem, cur non æquè potuit ac voluit omnes æquè homines ad sui imitationem tantùm facere, & non alterius Ideæ? & si ad hoc, ut omni tempore etiam domo destructâ vera sit hæc propositio, *Domus habet tectum & fundamenta*, non requiritur alia domus Universalis & idealis (à quo enim hæc facta?) sed sufficit Idea in mente Artificis, nunquam domum sine tecto & fundamento concipientis, cur etiam ad hoc ut dicere omni tempore possis, *Homo est animal rationale*, non sufficiat Idea Creatoris, nunquam hominem aliter quàm cum animalitate & rationalitate intelligentis, & condentis? Sicut ergo ante domum factam sufficit Idea Artificis, ita ante hominem factum sufficit Idea Creatoris, maximè, quia cùm hic sit artis & virtutis infinitæ, non eget aliâ Ideâ aut exemplari, quod inspiciat, quàm seipso, nulla ergo est utilitas aut necessitas Ideæ.

Dices Deus non eget sole ad illuminandum, & tamen utitur illo, sic Idea

R. Fac ut videam Ideas sicut stellam & solem video, & mox admittam; jam verò nec oculo eas video, nec intellectu (ratio enim, quam allegas, nulla est, ut ostendimus) cur ergo credam esse?

2. Si Petrus est homo per participationem hominis, & Ideæ Universalis, quæro quomodo hanc participet? vel enim per identitatem, vel per unionem realem, vel per influxum causæ effi-

efficientis, aut exemplaris? *Non per identitatem*, quia Petrus est res corruptibilis, temporalis, distincta ab omnibus alijs individuis, non ergo potest identificari cum re perpetua, incorruptibili, Universali, indistincta ab omnibus individuis, in concavo lunæ existente, &c. alioquin idem realiter erit corruptibile, & incorruptibile, distinctum, & non distinctum, &c. quæ si vera sunt, quæ tandem contradictoria non sunt vera? & demus vera esse, quid opus ideis Universalibus, si conjuncta singularibus in hæc transeant, & cum his identificentur? & consequenter nihil singularibus addunt, nihil demunt? Quemadmodum si animam, cùm conjungitur corpori ad formandum hominem, aut figura, cùm conjungitur marmori ad formandam statuam, nihil corpori, nihil statuæ adderent demeréntve, sed cum corpore & marmore identificarentur, quid marmore opus esset, quid animâ? *Non per unionem realem*, *tum* quia quæ distant, & præsertim tam magnis intervallis, realiter non uniuntur; nec enim domum facies ex lapidibus, quorum aliqui sint in America, âliqui in Germania, Oceano divisi. *Et si dicas*, Ideam replicari sicut Corpus Christi in diversis distinctísque hostijs, aut facies in diversis speculis. *Contra est*, quia illa replicatio est miraculosa & supernaturalis, nec aliter quàm fide cognita; nos autem de homine, & statu naturali loquimur, nec quid Deus supra naturam facere possit, sed quid juxta naturam faciat. Unio verò intentionalis, qualis est objecti cum speculo, non facit aliquid realiter tale, sed tantùm repræsentativè, & similitudinaliter; non ergo Petrus erit verè & realiter homo, non verè & realiter videbit, tanget, dolebit, intelliget, sed tantùm repræsentativè (ut vultus in speculo) omnia enim hæc habent suas ideas & naturas Universales, quid verò absurdius? *tum* etiam quia si tota essentia hominis est Idea, Petrus verò Ideæ tantùm conjungitur realiter, non potero dicere, *Petrus est homo*, sed solùm *Petrus habet humanitatem* à se realiter distinctam, ergo humanitas Petro tantùm accidit; sicut forma equi accidit materiæ. Quid ergo est Petrus ut realiter ab Idea distinctus? est enim homo per Ideam hominis, est animal per Ideam animalis, est substantia per Ideam substantiæ, est ens per Ideam entis, quid ergo

go est ipse Petrus, ut ab ideis distinctus, nihil an aliquid? si nihil, ergo singularia sunt nihil; quid ergo videmus, quid tangimus, quid audimus? hæc enim sunt aliquid, & sunt singularia, non Ideæ.

Rursus. Quid nascitur, quid moritur? non Ideæ, ergo singularia, ergo hæc sunt aliquid, quod enim est nihil, nec nascitur nec moritur. Si ergo Petrus ut realiter ab Idea hominis distinctus est aliquid, quæso quid est? si enim sine Idea, à qua realiter distinguitur, est aliquid, v. g. ens, sicut hoc esse realiter ab Idea distinctum habet, ita poterit habere *esse substantiæ*, *esse animalis*, *esse hominis*, quò ergo Ideæ? Ut ergo materia habet esse distinctum à forma, & ideo aliquid est quod non est forma, & hoc esse possum nominare, ita & Petrus respectu Ideæ.

Dices: Esto materia prima habeat aliquod esse à forma distinctum, ut tamen hoc esse realiter existat, oportet materiam formæ uniri; & colores licèt habeant aliquod esse distinctum à luce, ut sint visibiles, oportet eos cum luce uniri; ita licèt Petrus & alia singularia habeant esse distinctum ab Idea, ut tamen realiter existant, oportet Ideæ realiter conjungi.

Contrà. Materia unita formæ est aliquid, quod non est forma: color unitus luci est aliquid, quod non est lux; Petrus ergo unitus Ideæ hominis, Ideæ animalis, Ideæ entis, erit aliquid, quod non est homo, non est substantia, &c. Quid ergo est? & si Petrus *quà talis* est ens, est animal, &c. neque hoc habeat ab Idea entis & animalis, quare non eâdem ratione quâ Petrus sit homo, neque hoc esse habeat ab Idea hominis? Ideæ enim ponuntur ad salvandas propositiones necessarias, essentiales, ac perpetuas; & quia videmus naturas Universales intelligi: atqui hæ rationes æquè in hisce duabus propositionibus, *Petrus est ens*, *Petrus est homo* locum habent, & ita aut ad utrasque, aut ad neutras ideis opus est. *Non etiam singularia*, v. g. *Petrus participat ideam hominis, tanquam causam efficientem, & exemplarem*, *tum* quia ad hoc sufficiunt Ideæ divinæ, quæ sunt infinitè operatrices & imitabiles; *tum* quia aliud est Ideam esse causam hominis, aliud esse hominem; & sicut Deus est causa effectiva hominis, Cæsar est causa exemplaris suæ imaginis, nec tamen prò-

propterea dici potest, homo est Deus, imago est verè Cæsar; sic nec Petrus, si solùm est homo per participationem effectivam, & exemplarem hominis idealis, dici potest homo: quodsi aliquam aliam essentiam hominis habet, quàm participationem Ideæ, eámque perpetuam & intelligibilem, cadit totum fundamentum Idearum. Pro Platone

Objicitur 1. Sicut oculus, qui est materialis, non potest videre immaterialia, ita nec intellectus, qui est spiritualis, potest intelligere non spiritualia, hoc est, materialia; ergo præter hominem materialem, sensibilem & singularem, datur alius immaterialis, insensibilis, Universalis, & hunc vocamus Ideam hominis.

℞. Intellectum esse potentiam altiorem, & ideo universaliorem sensu, potest ergo objecta sensûs attingere, non econtrà: sicut circulus quò altior, est etiam latior & inferiores complectitur, non econtrà. Nec ideo tamen intellectus est sensus, quia objecta sensibilia non sensibiliter sed intelligibiliter attingit, hoc est, modo spirituali & perfectiori: Sicut non ideo circulus major est minor, nec figura circularis est quadrangula, quia idem centrum habent; objectum enim materiale non specificat, sed formale.

Objicitur 2. Scientia est cognitio certa, perpetua, & quæ aliter esse non potest, aliàs erit opinio, ergo debet certum & perpetuum objectum habere; quod enim non est certum, sciri certò non potest: nulla singularia sunt certa, & immutabilia (Petrus enim nunc est homo, nunc homo non est, nunc sanus, nunc æger, &c.) ergo sola Universalia; si ergo datur scientia de homine v. g. dabitur homo aliquis, qui non sit singularis, sed Universalis.

℞. 1. Multa singularia esse perpetua & immutabilia, ut cœli, Angeli, animæ, materia prima, stellæ, &c. sufficit ergo scientias de his dari: & si alterutrum admitti debeat, an non faciliùs admittes de homine scientiam non esse, quàm hominem Ideam esse? Malè ergo ut incertius probaret, certius Plato exclusit, perinde ac si solem tollas, ut lucernam accendas.

Aliud est rem incertam esse, aliud non certò cognosci, etiam de incertis est certitudo, etiam de mutabilibus est veritas immutabilis, modò incertitudinis, & mutabilitatis certæ sint causæ, & ideo eclypses, tempestates, motus demonstrari possunt, quæ tamen sunt mutationes. Plerúmque etiam de rebus non tam operationes demonstramus, quæ sunt contingentes, quàm facultates, & inclinationes operandi, quæ sunt necessariæ, de igne v. g. certò scimus non quòd jam calefaciat, hoc enim falsum esse potest, sed quòd vim habeat calefaciendi. Cùm dico *Petrus est homo*, non ideo hæc propositio est vera, quia semper est Idea hominis; hæc enim Idea cùm sit Universalis, ingenerabilis, insensibilis, est tantùm æquivocè ille homo, qui de Petro cognoscitur, & prædicatur, nec scientiæ nostræ sunt de Ideis, earúmque prædicatis nunquam visis, ignotisque, sed de prædicatis, & affectionibus hominum, quos nasci morique videmus; alioqui si ad veritatem perpetuam hujus propositionis, *Petrus est homo*, oporteret dari hominem aliquem perpetuum & Universalem, oporteret æquè Petrum aliquem perpetuum dari, & ita non Universalia modò sed etiam singularia perpetuari, sensus ergo illius propositionis est: Petrus in quocunque statu consideretur, est essentialiter homo; Petrus enim possibilis est essentialiter possibilis homo: Petrus realiter existens est essentialiter realis, & existens homo.

Objicitur 3. Cùm de homine aliquid demonstramus, non de hoc, aut illo, sed de homine *ut sic* demonstramus; ergo hominem concipimus non conceptâ singularitate, ergo datur talis aliquis homo, alioqui cognitio, & demonstratio erit falsa, quia concipit aliquid quod non est, ergo non conformatur objecto quod est esse falsum.

℟. Hæc tota Platoni hallucinandi causa fuit; credebat rem concipi ut est, esse ut concipitur: sed hoc est falsum, ut patet ex dictis; alio enim modo sunt colores in flore, alio in speculo, in oculo, in imagine, in intellectu: in flore semel tantùm sunt, paulatim producuntur, odori & alijs qualitatibus miscentur, corrumpi possunt carpique, secùs in speculo, &c. Semper ergo verum est, objectum esse aliter in cognoscente, aliter

liter in reipsa; alias enim causas effectivas & materiales habet in esse cognito, species videlicet & potentiam cognoscitivam; alias in esse rei; variatis autem causis variatur esse. Non ideo tamen est falsa cognitio: sicut nec falsa Cæsaris imago, quæ caput solum & thoracem ostendit, non crura, pedésque. Falsitas enim est, cùm subjecto tribuis quod non est, non autem si de subjecto aliquid taceas aut non cognoscas: tunc enim non dicis de subjecto aliquid quod non est (quod esset falsum) sed tantùm aliquid non cognoscis, quod in subjecto est, & hoc est verum; tota ergo negatio & Universalitas seu abstractio tenet se ex parte actûs, nec in subjectum redundat, unde illud apud Logicos pronuntiatum: *Abstrahentium non est mendacium.*

Objicitur 4. Idea operis facti præcedit opus factum: sed omnes homines singulares sunt facti; ergo præcedet aliquis homo Universalis omnium singularium Idea.

℞. Sufficere Ideam divinam, alioqui dabitur Idea Ideæ: & licèt artifices præter Ideam mentalem etiam aliam materialem, & sensibilem adhibeant, tanquam normam & regulam, quia deficere in operando possunt, non ita tamen Deus naturæ Magister, & Architectus, qui effectus naturales per causas necessarias, & indefectibiles operatur, nec errori subjacet: alioqui si velis ab artifice creato ad increatum arguere, opus etiam erit præter Ideas Universales etiam instrumentis, & Ideâ particulari; nec enim Ideæ artificiales in essendo sunt Universales, sed tantùm in repræsentando.

XI. *Quæritur 8.* Qualis ergo à parte rei Unitas sit admittenda?

Resp. Certum est, ante omnem mentis operationem dari realem aliquam, & communem in rebus Unitatem, non quidem identitatis, sed similitudinis, & convenientiæ. *Ita communis* cum D. Th. *opusc. 42. c. 7.* & negari vix potest.

1. Quia similia dicuntur, quæ conveniunt in una qualitate; at duo homines non in una tantùm qualitate, sed quamplurimis conveniunt.

2. Dic mihi, cur ovum sit ovo simile, radius radio, & non homo homini?

 3. Quæ

3. Quæ non ſimilia, ſunt diſſimilia, & diſcerni poſſunt, ut corvus â cygno, viride à nigro, &c. Abſtrahe jam mihi & ſepara à Petro & Paulo omnia accidentia, ſine quibus realiter uterque eſſe poteſt, & tunc Petrum à Paulo diſcerne; tam difficilè hoc poteris, quàm ovum ab ovo, radium ſolis à radio, ſpicam à ſpica; ſi diſcerni non poſſunt, ergo ſunt ſimiles.

4. In diſſimilibus poteſt prædicatum aliquod aſſignari quod unus habet, alter non habet: ſed Petrus quà homo non habet aliquod prædicatum, quod Paulus non habeat; ergo Petrus quà homo eſt ſimilis Paulo, & licèt à parte rei non ſint omnino ſimiles (quia humanitas Petri dicit eſſe determinatam & identificatam Petro, non Paulo, & econtra) hæc tamen omnimoda ſimilitudo non requiritur, ut abſolutè unum dicatur alteri ſimile; aliàs nec ovum erit ovo ſimile, quia unum altero rotundius, candidius, obtuſius, mollius, lævius. &c. & albedo ovi A eſt determinata & affixa ad ovum A. ita ut naturaliter non poſſit eſſe in B. Imò omnis ſimilitudo eſſentialiter dicit aliquam diſſimilitudinem, hoc eſt, carentiam alicujus prædicati, quod alius habet, alioqui ſimilia eſſent eadem, ut infrà dicetur; tantùm ergo abeſt ut ſimilia debeant eſſe omnino talia, ut potiùs oporteat aliquo modo non eſſe talia, ſed differre.

Objicitur 1. Omnis ſimilitudo ex Ariſtotele fundatur in Unitate; ſi ergo Petrus & Paulus v. g. in ratione hominis ſunt ſimiles, dabitur aliqua Unitas ſimilitudinem antecedens.

℞. Aliud eſſe, ſimilitudinem fundari in Unitate, aliud ſimilia eſſe unum; hoc Ariſtoteles, non illud dixit. Imò Unitas repugnat potiùs ſimilitudini, hæc enim eſt relatio, & inter duos (nihil enim ſibi ſimile, aut æquale) quâ ergo ratione aliquid eſt unum, eâ non eſt ſimile. Aliud ergo eſt uniformitas, aliud eſt unum: relatio ergo ſimilitudinis fundatur in uniformitate *convenientiæ*, non in Unitate *ſimpliciter*: & ideo ſi duo parietes haberent unam albedinem, non eſſent ſimiles in ratione albedinis. Sicut in SS. Trinitate Filius non eſt Deitate ſimilis Patri, ſed Idem.

Objicitur 2. Non poteſt à parte rei idem eſſe alteri ſimile, & diſſimile (hæc enim aut ſunt contradictoria, aut involvunt con-

contradictionem, dissimile enim non est simile) sed à parte rei totus Petrus est dissimilis Paulo, ergo à parte rei non est similis. *Minor probatur*: Petreitas est omnino & adæquatè ratio differendi à Paulo (aliàs differentia individualis non esset ultima, imò esset tantùm specifica, quia in illa plura individua convenirent) sed quidquid est in Petro à parte rei, est Petreitas, ergo quidquid est in Petro à parte rei, est ratio disconveniendi, ergo Petrus nulla in re convenit cum Paulo, nec ullum fundamentum talis convenientiæ assignari à parte rei potest.

℞. Petrus à parte rei, sicut totus est Petrus, ita totus est homo, & humanitas tam illi radix est similitudinis quàm Petreitas dissimilitudinis. Eadem ergo res, ut à parte rei *virtualiter* & *eminenter* multiplex, repugnantes effectus habet. *Tota* ergo Petreitas est radix dissimilitudinis, sed *non totaliter* sumpta, quia totaliter sumpta identificatur homini, & sic cum Paulo convenit. Tam sibi opponuntur *sursum* & *deorsum*, quàm *simile* & *dissimile* Sicut ergo eadem anima respectu diversarum partium est sursum & deorsum, ita eadem & simplex entitas seu Petreitas est similis & dissimilis secundùm diversas connotationes, comparabilitates, & conceptibilitates, quæ omnia sunt à parte rei, & fundantur in distinctione virtuali; si enim distinctio virtualis sufficit ad effectus realiter oppositos simul & semel ponendos, v. g. in anima ad operationes vegetativas & non vegetativas, ad motus sursum & deorsum, cur non ad similitudinem & dissimilitudinem? numquid eadem albedo à parte rei dat esse simile & dissimile respectu diversorum? cur non Petreitas respectu diversarum operationum & conceptibilitatum? Si hoc non admittitur, nulla ampliùs similitudo datur: nam duæ albedines sunt sibi similes, & ut singularizatæ ac individuæ sunt dissimiles (individuatio enim tam est principium disconveniendi in albedine, quàm in humanitate) sed totæ sunt singularizatæ, ergo totæ dissimiles. Hæc responsio supponit dari distinctionem virtualem, non autem formalem Scotisticam inter gradus Metaphysicos, de quo infrà.

Objicitur 3. Hæc Unitas similitudinis vel sufficit ad Universale, vel non sufficit? *Si sufficit*, ergo datur Universale à parte rei,

rei, ergo duo similia prædicari de se invicem possunt dicendo v. g. albedo A. est albedo B. est enim prædicabilitas proprietas Universalis, quæ tamen sunt absurda. *Si non sufficit*, ergo alia Unitas quærenda est.

℞. Nondum à nobis quæri, quæ Unitas sufficiat ad Universale, quæ non (hoc enim paulò pòst decidetur) sed quænam à parte rei detur: sed esto sufficiat, utique dabitur Universale à parte rei, & idem homo prædicabitur de multis, quia multis realiter inest, & tamen est unus Unitate similitudinis; non enim dico, *Petrus est homo*, quasi Petrus sit tantùm similitudine homo, sed quia verè est homo: sicut & Paulus & Joannes, & omnes.

Ratio ergo, & natura hominis & est multa in multis *identitate*, & est una *similitudine*.

Circa hanc ipsam similitudinem notentur sequentia.

Notandum 1. Omnis similitudo, ut distinguitur ab identitate, aliquâ dissimilitudine miscetur: nam omnimoda & adæquata similitudo est identitas. Quod enim distinguitur, habet aliquod prædicatum, quod non habet aliud, v. g. Petrus dicit taleitatem, quam non habet Paulus, ergo non convenit cum Paulo, ergo *ut sic* non est similis, similitudo enim est participatio ejusdem qualitatis, vel prædicati. Quotiescunque ergo, & quomodocunque omnis dissimilitudo ab aliquibus abstrahitur, eo ipso fiunt unum: si abstrahitur realiter, erunt unum realiter; si ratione, erunt unum ratione. Hinc est quòd conceptus hominem sine differentijs repræsentans sit unus, & rem unam repræsentet, nec magis ad Petrum, quàm Paulum pertinentem; quia sublatis differentijs numericis nulla ampliùs dissimilitudo in humana natura relinquitur; sublatâ verò omni dissimilitudine inducitur identitas, & indistinctio.

Rursus. Præcisis differentijs numericis natura evadit per unum conceptum, unamque speciem repræsentabilis, nec ampliùs potest intellectus discernere, quænam natura sit Petri, quænam Pauli; licèt enim sint distinctissimæ realiter, ea tamen distinctio non apparet, sublatis, aut non attentis differentijs characteristicis.

Notan-

Notandum 2. Hæc Unitas similitudinis multò est minor Unitate numerali; numeralis enim excludit omnem multiplicitatem, similitudinis non tantùm non excludit, sed necessariò involuit. Numeralis non admittit separationem, nec enim Petrus ab homine separari potest: similitudinis admittit, mortuo enim Petro, non extinguitur Unitas similitudinis, quæ in alijs individuis naturam humanam comitatur. Et hæc de Unitate reali, nunc ad Unitatem rationis.

XII. *Quæritur* 9. An possit Intellectus concipere naturam non conceptâ singularitate?

Resp. Potest intellectus concipere aliquam naturam v. g. humanam, non conceptis singularitatibus. *Est omnium*, & patet ab experientia. Medicus enim, cùm agit de corpore humano, non agit de corpore Petri vel Pauli, sed de corpore, *ut sic*, similiter & aliæ scientiæ.

2. Differentiæ individuales non sunt nobis notæ, nec habent proprietates notas; dic enim mihi, per quid Petrus substantialiter à Paulo distinguatur, & quæ sint Petri proprietates? de illis ergo nec scientiæ nec cognitio, tanquam de incognoscibilibus non curant.

3. Licèt Anima Intellectiva ut forma corporis dependeat in essendo, & operando à corpore, & ideo nihil sit in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu, ut tamen spiritualis, immaterialis, multóque perfectior corpore (ut eleganter S.Th. *1. p. q. 14. a. 1.*) absolutè non dependet in esse à corpore, sed potiùs corpus ab anima; & ideo etiam in operando supra corpus & sensum elevatur, ac multa intensivè, & extensivè cognoscit, quæ sensus non potest; modus enim operandi sequitur modum essendi, ergo poterit naturas cognoscere independenter à singularitatibus, & accidentibus naturalibus loci, temporis, figuræ, &c. maximè cùm hæc sint accidentia realiter quidem conjuncta, sed tamen realiter distincta, quæ etiam à sensibus possunt non cognosci, ut cùm oculus stellam videt, non ejus motum; colorem pomi; non saporem. Differentiæ verò individuæ substantiales sunt incognoscibiles, potest ergo ab utrisque intellectus abstrahere.

Objicitur 1. Intellectus non potest cognoscendo naturas rerum immutare; si enim cognoscas mel ut amarum, non ideo erit amarum; si Petrum ut Papam, non ideo erit Papa; ergo etiam cognoscendo naturam ut abstractam à singularitatibus non ideo abstractam reddit, & universalem.

℞. Concedendo totum; nec enim intellectus facit naturam Universalem, sed cognoscit universaliter, & velut unam, non cognitis singularitatibus, quæ naturam multiplicant: & hic modus Universaliter cognoscendi est magna perfectio intellectûs, quia nascitur ex immaterialitate, & illimitatione ac simplicitate; quantò enim perfectior est natura, tantò magis est nata fieri omnia (ut eleganter videri potest apud S. Th. *l. 3. de Anima. text 37.* & *1. p. q. 14. a. 1.* & *1. p. q. 55. a. 3.*) & per hoc naturæ cognoscitivæ à non cognoscitivis distinguuntur, hæ siquidem ad unam formam limitantur.

Objicitur 2. Hæc abstractio non conducit ad perfectionem scientiæ, ergo saltem ad scientias comparandas est inutilis. *Antecedens probatur*, *tum* quia scire est rem cognoscere ut est, non verò ut non est: imò fictio sicut veritati, ita scientiæ repugnat; *tum* quia scientia de singularibus est clarior, de Universalibus verò est confusa, & cognitio quò universalior est imperfectior, & in homines etiam rudissimos cadit; quis enim nescit cœlum, & hominem esse aliquid? tantò verò perfectior cognitio, quantò magis etiam in ultimas, & singularissimas differentias rerum penetrat, & ideo Dei scientia non est de Universalibus, sed singularibus.

℞. Aliam esse abstractionem *totalem*, cùm differentiæ specificæ à genericis abstrahuntur, & hæc parit in objecto abstracto confusionem, potentialitatem, & minorem intelligibilitatem: & quamvis quod sic abstrahitur, quoad nos sit magis, & priùs notum, quoad se tamen est minùs intelligibile, v. g. quò plures differentias specificas ab homine abstrahis, eò minùs intelligis quid sit homo. Vide S. Th. *1. p. q. 3. a. 3.* Cajet. *de Ente & Essen. c. 1. q. 1.* & *ratio est*, quia hæc abstractio tollit specificas actualitates (differentia enim actuat genus sicut forma materiam, lux colores) actus autem secundùm se est notior potentiâ, ut experientiâ

entiâ patet, & videri potest S. Th. *9. Metaph. text. 20.* Alia verò est abstractio *formalis*, quâ tota essentia, & species abstrahitur à singularibus, & hæc est valde utilis scientijs, *tum* quia reddit objectum scibile, & necessarium, nam propositio, cujus extremum aliquod est singulare, semper involvit aliquod contingens, & mutabile, ut in hac, *Petrus est homo*, τὸ Petrus dicit aliquod existens, & prout à nobis cognoscitur, mera accidentia (nec enim assignare poteris, per quid substantialiter Petrus à Paulo differat) quæ omnia à scientijs earúmque objectis aliena sunt. *Tum* etiam quia singularia *ut sic* à nobis explicari non possunt, nisi per merè contingentia, figuram videlicet locum, tempus, &c. quæ causas necessarias non habent, & ideo sciri non possunt: non etiam habent aliquas proprietates individuas, & inseparabiles (nam quænam illæ?) ut sic ergo non sunt demonstrabilia. Cùm ergo separatio à singularitatibus removeat contingentiam, & differentias naturaliter incognoscibiles, reddit objectum magis scibile & illuminatum.

Dices: Intellectus utique cognoscit etiam singularia, Petrum & Paulum, aliàs deterior esset sensibus: & scientiæ aliquæ etiam de singularibus agunt, v.g. de hoc sole, de hac luna, &c. de hoc triangulo quòd habeat angulos æquales, &c.

℞. Singularia ut sic cognosci, sed non sciri. Mathematicus cùm de Sole, Luna, Cœlo, &c. accidentia aliqua demonstrat, quæ tamen sint immutabilia, hanc immutabilitatem deducit non ex gradu solis individuo (nam alijs etiam solibus, si essent, talis incorruptibilitas competeret) sed specifico, quia corpus cœleste, & incorruptibile. Deus verò, cum singularia cognoscit, illa tamen non scit, quamvis perfectissimè cognoscat, quia propter necessariam suam ac intrinsecam existendi contingentiam, & defectum proprietatum, quæ de illis *ut sic* demonstrari non possunt, cùm nullas habeant, sciri non possunt; nulla verò est imperfectio nescire nescibilia, sicut non posse impossibilia; maximè cùm Deo alia & perfectior cognitio singularium non desit, simplex videlicet intuitio. Non ideo tamen negamus cognitionem singularium esse utilem; à singularium enim experientia, & inductione ad notitiam Universalium perveni-

tur tanquam ab imperfecto ad perfectum. Et singularia sunt nobis propinquiora, & ideo notiora, notitiâ exprimente, quid *per accidens* sint, Universalia verò sunt magis nota, scientiâ exprimente, quid sint *per se* & essentialiter.

Objicitur 3. Objectum præcedit actum potentiæ; sed abstractio à singularibus pertinet ad objectum intellectûs, ergo præcedit omnem actum intellectûs, ergo non fit ab intellectu. *Major* est certa, cùm objectum sit causa efficiens & exemplaris actuum, eósque specificet; causa verò est prior causato. *Minor* est æquè certa, saltem quoad actus scientificos; singularia enim non sunt scibilia, ut modò dictum.

℞. Universalia esse objectum scientiæ, & ideo scientia non abstrahit objecta, sed supponit jam abstracta; non ita quidem, ut res cognita à parte rei non sit singularis, est enim, sed quia species ab objecto resultans singularitatem non repræsentat: *tum* quia species non semper repræsentat omnia, quæ in objecto sunt. *Tum* quia singularitas substantialis non est cognoscibilis, ut sæpè dictum; *tum* quia esse abstractum est esse separatum à differentijs numericis, & multiplicantibus, & ita esse unum; sed natura v. g. humana hanc Unitatem similitudinis habet ante omnem actum intellectûs; *tum* quia objectum creatum beneficio virtualis distinctionis potest inadæquatè cognosci: *tum denique*, quia species rerum, antequam perveniant ad intellectum possibilem, & cognoscentem, transeunt per intellectum agentem, & ibi secundùm D. Thomam elevantur ad gradum perfectiorem repræsentandi sine singularitatibus. Vide *1. p. q. 14. a. 11. ad 1.* & *q. 79. a. 3.* & *q. 85. a. 1. ad 3. & 4. & 2. contra Gentes c. 77.* Cajet. *in c. 4. de Ente & Ess. post. q. 6.* patet ergo objectum priùs liberari à statu singularitatis quàm evadat scibile.

Cæterùm circa hanc abstractionem *Notandum* est, non agi de *abstractione negativa*, hæc enim cùm contineat errorem, & falsitatem, omnino scientiæ repugnat; talis est si dicas: *Nix non est candida; Natura realis non est singularis.* *Abstractio* verò *præcisiva* alia est *absoluta*, alia *comparativa*, & hæc iterum, *simplex*, aut *composita*. Per has autem omnes cognitiones, & abstractiones natura concipitur sine singularitatibus, ac ut universalis, Univer-

sa-

salitate saltem scientificâ, hoc est, quæ sufficiat, ut de aliquo objecto scientia dari possit: an verò hæ omnes abstractiones, vel quænam illarum constituat Universale Metaphysicum, aut Logicum, proprium aut improprium, quæstio levissima est, merique nominis, nec mihi aut vacat, aut lubet araneorum more cum muscis luctari, & umbras in pilo quærere.

XIII. *Quæritur 10.* An hæc abstrahendi facultas se extendat ad omnes potentias cognoscitivas?

Resp. Non omnis potentia cognoscitiva abstrahit objectum à singularitatibus.

Non 1. Intellectus divinus, quia hæc abstractio semper est conjuncta limitationi, & confusioni; abstrahere enim est cognoscere unum sine alio; sed cognoscere unum & non aliud, est imperfectè & limitatè cognoscere. Intellectus tamen Angelicus potest, quia sicut habet limitatum esse, ita potest habere limitatum cognoscere.

2. Non potentia imaginativa, quia cùm hæc habeat esse materiale, ita & cognoscere, non ergo potest abstrahere ab omnibus accidentibus materialibus loci, temporis, figuræ, coloris, &c. per quæ natura evadit hæc, & distincta ab alijs singularibus. Quia tamen imaginatio v. g. lupi est de absentibus, & non existentibus, negari non potest eam incompletè abstrahere.

3. Non Potentiæ sensitivæ; hæ siquidem sunt immersæ materiæ, & de rebus existentibus, sed hæc sunt singularia.

Rursus. Omnes potentiæ materiales sunt in bonum naturæ, & ejus conservationi inserviunt: sed cognoscere aliquid sine hîc & nunc, nec conservationi nec praxi inservit; equus enim qui videret avenam, sed non hanc, neque hîc, pressus licèt fame, determinari haud posset, ut potiùs hàc, quàm illac, antrorsum, quàm sinistrorsum, hodie, quàm cras ad eam sibi comparandam moveretur.

Dices. Quando in magna distantia oculus rem aliquam videt, utique colorem videt, hoc enim est objectum visûs: & tamen

tamen nullum colorem diſtinctè, non viridem, non rubrum; &c. ergo etiam oculus abſtrahit, hoc eſt, videt rationem genericam coloris ſine ſpecifica.

℞. Si abſtractio nihil ſit aliud, quàm confuſio, hoc eſt, cognitio obſcura, non diſtinguens unum ab alio, negari non poteſt etiam ſenſum abſtrahere, nunquam tamen completè ab omnibus ſingularitatibus, ſicut abſtrahit intellectus; nam in dato caſu color videtur ut hîc & nunc, cum tali modo exiſtens, &c. intellectus verò poteſt colorem concipere ſine hic & nunc, ſive alio modo, alijs conditionibus eſſentiæ extrinſecis.

4. Voluntas æquè ac intellectus abſtrahit, ſed ſuo modo, hoc eſt, proportionaliter ad ſuam naturam; ſicut enim intellectus cognoſcit verum *ut ſic*, ita voluntas amat bonum *ut ſic*, priùs tamen intellectus quàm voluntas abſtrahit, amat enim rem ut ab intellectu propoſitam. Et hactenus de Unitate Univerſalis *tum* reali, *tum* rationis; nunc ad aptitudinem eſſendi in multis, quæ eſt altera conditio ad Univerſale neceſſaria.

Nihil autem eſt aliud hæc aptitudo, quàm naturam aliquam poſſe cum multis ſingularibus identificari (ita ut verum ſit dicere, *hoc eſt hoc*,) & in illis ſingularibus multiplicari. Sic natura humana eſt apta ineſſe & identificari multis, quia verum eſt dicere, *Petrus eſt homo*, *Paulus eſt homo*, & *multi homines eſſe poſſunt*. Natura verò divina non habet hanc aptitudinem Univerſalem, quia licèt poſſim dicere; *Pater eſt Deus*, *Filius eſt Deus*, *&c.* non tamen poſſum dicere, *& multi ſunt Dij*, cùm natura divina multiplicari non poſſit.

Dices: In hac prædicatione *Socrates eſt albus*, prædicatum cùm ſit accidens, non identificatur Socrati, ergo quintum ſaltem Univerſale non requirit aptitudinem identitatis.

℞. Senſum illius prædicationis eſſe hunc; *hoc album eſt album*, ubi iam apparet identitas; nec propterea tamen eſt prædicatio ſpeciei de individuo, quia hæc fit in abſtracto *hæc albedo eſt albedo*. S. Thomas & Ariſtoteles dicunt ad Univerſale ſatis eſſe, ut unum ſit aptum pluribus inexiſtere, quod etiam accidenti reſpectu ſubjectorum convenit. His ſuppoſitis

Quæ-

XIV. *Quæritur 11.* An, & qualis detur â parte rei aptitudo multis inessendi?

Resp. Datur à parte rei ante omnem operationem intellectûs aptitudo, ut natura pluribus identificetur, non tamen servatâ Unitate numericâ. *Est certa.* Optimè enim ab actu ad potentiam, & aptitudinem arguimus: sed defacto natura humana est multa in multis, ergo habet aptitudinem non quidem, ut sit una, sed multa in multis. *Nota*; hanc aptitudinem non esse propriè loquendo potentiam aliquam positivam, sed tantùm negativam, & non repugnantiam: naturam enim humanam esse aptam multiplicari nihil aliud est, quàm non repugnare multos homines esse, sicut repugnat esse multos Deos.

An verò aptitudo essendi, & aptitudo prædicandi sint distincta, vel una, parvi momenti quæstio est. *Volunt alij* esse duas & distinctas, quia tot sunt negationes, quot formæ negatæ, aptitudo autem hæc cùm sit *non repugnantia*, est negatio.

Alij esse unam, quia eadem forma positiva sufficit ad plures actus subordinatos; corruptio enim formæ est etiam corruptio proprietatum.

XV. *Quæritur 12.* An detur à parte rei Unitas aliqua *formalis positiva* necessaria ad Universale Philosophicum?

Resp. Non datur à parte rei natura apta esse in multis cum Unitate formali positiva. Patet ex dictis, ubi hanc Unitatem formalem positivam rejecimus, quæ à multis Scotistarum admittitur, à multis negatur; intelligunt verò per Unitatem formalem positivam, quâ humanitas v. g. Petri, & Pauli ita est una: ut si auferrentur hæcceitates (quæ à natura realiter formaliter distinguuntur) omnino eadem, & indistincta natura appareret; sicut v. g. facies humana in multis speculis multiplex apparet, & pro istorum varietate, magnitudine, coloratura & ipsa facies varia est, sublatis tamen speculis in unam colligitur, ergo in se est una, in speculis multiplex; ita, inquiunt, natura humana & hæc Unitas formalis, cùm pertineat ad prædicata essentialia, aut ex his oriatur, etiam in statu contractionis retinetur, sicut indifferentia materiæ in statu informationis; duæ ergo reales Unitates in si-

ſingulis rebus dantur, *formalis*, & *numerica*, hæc tamen major formali, quia reddit naturam penitus unam, & omnino indiviſibilem; non tamen denominat naturam *poſitivè* Univerſalem, ſed tantùm *negativè*, hoc eſt, ſecundùm ſe non ſingularem; quia ſecundùm ſe natura nec dicit conjunctam eſſe ſingularibus, nec ab illis ſeparatam; ſicut nec materia ſecundùm ſe dicit informari formâ equi, aut non informari, nec annulus cum gemma adamantis conjungi, vel non conjungi, ſed indifferentiam ad utrúmque; licèt enim ſeparari, & non ſeparari ſint contradictoria, non tamen ſeparari ſecundùm ſe, & ſecundùm ſe non ſeparari; hæc enim non ſunt immediatè oppoſita, cùm habeant medium, videlicet *ſecundùm ſe eſſe indifferentem.* Sicut paries ſecundùm ſe nec eſt albus (aliàs ſemper eſſet albus) nec ſecundùm ſe eſt non albus (aliàs ſemper eſſet non albus) ſed ſecundùm ſe eſt ad utrumque indifferens. Hæc eſt quorundam Scotiſtarum, ut dixi, ſententia, quam alij aliter impugnant: *Aliqui ſic*: Eâ admiſſâ daretur in creatis myſterium longè difficilius myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, una videlicet realiter natura non tantùm cum tribus ſuppoſitis, & perſonis, ſed cum ter millibus, imò infinitis naturis ſingularibus identificata.

Reſpondent Scotiſtæ, Quò magis aliquid eſt unum, eò difficilius pluribus identificari: Unitas verò Deitatis eſt numerica, humanitatis eſt formalis, non excludens aliam diviſionem, videlicet numericam, & ideo longè difficilius & mirabilius eſſe Deitatem unam numero identificari pluribus Perſonis, quàm humanitatem unam formaliter pluribus individuis.

Sed contra. Sicut natura divina eſt una *numero*, & ideo non dividitur in plures naturas divinas, ſed tantùm in plures Perſonas; ita natura humana ſecundùm ſe eſt una *formaliter*, & ideo non dividitur in plures naturas humanas, ſed tantùm in plures hæcceitates; ergo non major eſt Unitas numerica in Deo, quàm tua formalis in homine, in utroque videlicet indiviſio naturæ; ex altera verò parte tua longè prodigioſior, quæ non tribus tantùm, ſed mille identificatur, moribus, loco, tempore disjunctiſſimis; longè autem difficilius eſt disjunctiſſima & re-

pu-

pugnantia conjungi, quàm intima, & similia. *Rursus*, cùm dicis Unitatem formalem hominis minorem esse numericâ Dei, & ideo minùs mirabilem, quia admittit adhuc aliam divisionem individualem, *Quæro*, illa Unitas formalis *vel* dividitur per hæcceitates, *vel* non dividitur? *Si dividitur*, falsum est ergo, eam in singularibus durare, sicut falsum est, ramum divisum unum esse ramum. Falsum est etiam, eam Unitatem esse realem & ante omnem operationem mentis; quod enim realiter est divisum, realiter non est Unum: sed illa unitas realiter & semper est divisa per hæcceitates, ut admittis, ergo desinit esse Unitas. Si verò Unitas formalis in statu contractionis non dividitur, sed manet perinde formaliter una, ac ante contractionem, quid ergo minus habet Unitas *formalis* in homine, quàm Unitas *numerica* in Deo? utraque enim dicit indivisionem naturæ; imò plus erit miraculi in hac tua natura formali, hæc enim identificatur pluribus naturis numero distinctis, hoc est, Petreitati, Pauleitati, &c. quæ non sunt meræ relationes: divina verò non identificatur pluribus naturis, sed tantùm pluribus relationibus, & Personis, quod minus est: pluralitas enim relationum non repugnat summæ simplicitati, & Unitati, sicut pluralitas numerica: sed quò magis aliqua sunt plura & recedunt ab Unitate, eò majus miraculum est ea uni identificari, ergo in tua natura, & Unitate formali plus est miraculi, quàm in SS. Trinitate.

Aliud contra eandem Unitatem est argumentum. Petreitas ut Scotisticè distincta (sic voco distinctionem realiter formalem) ab humanitate, *vel* est aliquid, *vel* est nihil? *Si nihil*, ergo non multiplicat numericè naturam, quod enim nihil est, nec numerum facit, nec multitudinem. *Si aliquid*, vel est natura, vel non est natura? *si hoc*, cur magis facit multitudinem numericam, quàm relationes in Trinitate? *Si est natura* ergo Petreitas, & Pauleitas, ut distinctæ à natura humana inducunt divisionem non tantùm numericam, sed natura & formalem.

Rursus. Dabitur processus in infinitum; hæcceitas enim, ut tu dicis, est natura, & utique humana (alias Petrus, ut Petrus, non esset homo, quid ergo? pepo an papaver?) ergo *ut natura* convenit cum Paulo, dicítque novam Unitatem forma-

lem & pluribus communem, *ut hic* differt à Paulo, & de hac hæcceitate eadem quæstio in infinitum repetitur. Quodsi Petreitas ut Scotisticè distincta à natura est natura, quæso quid opus est aliâ naturâ, ut sit natura? Sicut si mel est summè dulce, non opus erit alio melle, ut evadat dulce. Et si triangulus, ut triangulus habet tres angulos, non opus alio angulo habebit, ut triangulus evadat.

Tertiò: Natura in Paulo tota perseuerat mortuo Petro, ergo separatur realiter à Petro, ergo realiter distinguitur à Petro (nullum enim majus est signum distinctionis realis quàm separatio) ergo natura Pauli non est una in Paulo & Petro, quæ enim in Petro est, illi identificatur, non verò ab eo distinguitur, ut tu ipse concedis. *Si dicas* naturam humanam, quæ realiter Petro identificatur, posse à Petro separari, quia cùm sit universalis, non est ad Petrum limitata, sed etiam Paulo unitur, ergo etiam cum hoc superstes est. *Contra*, etiam natura divina non est limitata ad Patrem, & tamen à Patre separari non potest, quia cum hoc identificatur, ergo illimitatio non præjudicat juribus identitatis. *Si dicas* naturam divinam, licèt non limitetur ad Patrem, separari adhuc à Patre non posse, quia Pater est immortalis, & indefectibilis. *Contra*. Ideo Pater quà talis est immortalis, quia identificatur realiter cum natura immortali, hoc est, divina; hæc enim est tota radix immortalitatis, Personæ enim *ut sic* non sunt æternæ, aut immortales, aliàs in Deo tres essent *æterni & immortales*, *&c.* ergo eodem modo, si Petrus & Paulus identificantur cum natura humana, sicut hæc à principio usque ad finem mundi est incorruptibilis & immortalis, erunt & ipsi incorruptibiles & immortales, dicis enim identificari cum una & indefectibili natura.

Quartò. Si eadem est natura Petri & Pauli & Judæ, ergo eadem res naturaliter potest esse in cœlo, & in terra, infelix & beata, mortua & vivens, quæ omnia sunt absurda.

Dices. Hæc repugnare naturæ singulari, non universali, quia Universalis est illimitata, & *virtualiter* multiplex, & ita non oportet ut quod uni convenit statim etiam alteri conveniat; sicut licèt Humanitas Christi sit realiter conjuncta divinitati, non

ideo

ideo tamen sequitur, ut ubicunque est Deus, illic etiam sit Christus. *Contra:* Nulla creata illimitatio potest major esse, quàm sit divina, & tamen quia hæc Personis identificatur, fieri non potest, ut alicubi sit natura, ubi non sit Persona, & quia ubique est natura, non etiam ubique sit Persona. Nec sufficit, ut natura humana, quà Scotisticè à Petreitate distincta, sit *virtualiter* multiplex, & ideo in pluribus locis esse possit; nam etiam homo est *virtualiter* multiplex, æquivaletque pluribus creatis entibus, non ideo tamen in pluribus locis esse potest. Nulla ergo aut illimitatio, aut virtualis multiplicitas contra clarissimam experientiam hanc Unitatem formalem eximere ab his absurdis potest.

Quintò. Non potest admitti distinctio realis formalis Scotistica, quæ hujus Unitatis fundamentum est.

Sextò. Nihil de novo creari posset, nihil annihilari; creatio enim est productio ex nihilo, sive totius substantiæ; annihilatio est corruptio totius substantiæ, nullo penitus remanente: sed si in anima Petri Petreitas tantùm creatur, planè hæc non est productio totius, sed minimæ solùm partis, totâ naturâ & essentiâ animæ præcedente. Idem proportionaliter de annihilatione dicendum.

Dices. Totam Petreitatem produci, & ideò creari. *Contrà.* Eâdem ratione sequeretur formam equi creari, quia tota forma producitur; annihilari, quia tota corrumpitur.

Septimò. Singularitas est essentialiter incommunicabilis, ergo hunc effectum formalem tribuit naturæ, sicut lux äeri esse lucidum incompatibiliter ad tenebras; ergo licèt natura diceret aliquam communicabilitatem in plura individua, eam amitteret factâ contractione: Sicut aër amittit obscuritatem receptâ luce, undecunque hæc veniat, etiamsi ab extrinseco.

Dices 1. A parte rei & remotâ omni fictione bona est hæc consequentia: *Petrus est, ergo homo est:* mala verò hæc: *Homo est, ergo Petrus est;* ergo à parte rei *homo ut sic* habet aliquam prioritatem *in subsistendi consequentia*, & aliquam independentiam à singularitate, & hæc aliquam dependentiam ab homine *ut sic*; ergo non identificantur, ergo sunt duæ res, ergo habent duas Unita-

 tes,

tes, homo videlicet, *ut sic* formalem, Petrus *ut sic* numericam.

℞. Illam consequentiam bonam esse remotâ omni fictione, sed non remotâ omni operatione intellectûs, mirum enim, & novum sit sine intellectu argumentari: quia ergo vox *homo* ex impositione est vox Petro & Paulo communis, ideo conceptum excitat utrique communem, & ideo non potest intellectus inferre: *homo est, ergo Petrus est*, quia illatio esset contra regulas Logicæ, imò & luminis naturalis, videlicet à suppositione indeterminata ad determinatam, perinde ac si diceres: *Petrus vel est Papa vel non est Papa? ergo est Papa.*

Econtrà vox Petrus significat hominem determinatum, & conceptum hominis determinati excitat, ergo bona est consequentia, *Petrus est aliquis homo, ergo est homo*; quia utrobique eadem suppositio determinata servatur; & de qua totum affirmatur, etiam partes: Sicut enim hæc valet: *Triangulus habet angulos duos & unum, ergo triangulus habet angulos duos*: ita hæc: *Petrus est homo, & est aliquis homo, ergo est homo.* Cæterùm si modum significandi, & concipiendi tollas, certum est priùs esse individua, quàm species; ex individuis enim infertur species tanquam *consequens ex antecedente:* & sicut Unitas prior est ac principium multitudinis, ita singularia sunt priora, ac principium universalitatis: & ratio Universalis à singularibus abstrahitur: ergo priùs sunt singularia ac status contractionis, quàm Universalia ac status abstractionis. Sicut prius est aliquid componi, quam dividi, nec enim dividi potest, quod non est conjunctum.

Dices 2. Petrus & Paulus habent unam essentialem definitionem, ergo etiam unam essentiam; si enim duas haberet essentias, cur non duas definitiones?

℞. Si loquamur de *objectiva* definitione, sicut habent duas distinctas essentias, ita duas distinctas definitiones objectivas: *formalem* verò definitionem habent unam, quia similitudo, & individuatio substantialis, quæ naturas discriminat, intellectum latet: sicut enim eadem imago ovi omnia ova; eadem imago leonis omnes leones repræsentat, quia aut nullam habent aut vix

no-

notabilem dissimilitudinem, & ideo non opus est aliâ imagine quæ repræsentet ovum A. alia ovûm B. Econtrà verò corpora, & facies humanæ diversissimis imaginibus pingi debent, nec eadem omnibus servit, quia dissimillimæ sunt, ut pulchrè notat Plinius *l. 7. c. 12. Plures*, inquit, *in homine, quàm in cæteris animalibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit, cùm cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque in suo cuique genere*: Eodem modo quia essentiæ hominum, præcisis accidentibus individualibus, simillimæ sunt, unâ definitione velut unâ imagine pinguntur: & si ponas Petrum & Paulum habere differentias individuales omnino similes, non ideo tamen unum dici poterunt, *tum* quia similitudo excludit omnimodam Unitatem, qualis est individua, *tum* quia implicat esse differentias numericas, & non esse plures, (omnis enim numerus dicit pluralitatem) esse duos homines, & esse unum. Alias objectiones jam suprà solvimus, ubi contra Fonsecam & Platonem.

XVI. *Quæritur 13.* An detur à parte rei aliqua Unitas *formalis privativa* ad Universale Philosophicum necessaria?

Resp. Non datur à parte rei natura apta inesse multis cum Unitate aliqua *privativa.* Hæc Unitas privativa in eo ponitur, quòd natura secundùm se non est singularis, nec universalis, nec una nec multiplex, sed ad utrúmque indifferens: sicut materia prima secundùm se nec dicit esse sub forma leonis, nec non esse sub forma leonis, sed indifferentiam ad utrumque. Sed Conclusio præter superiùs dicta probatur.

1. Quia hæc Unitas privativa naturæ secundùm se competit; sed natura secundùm se & in statu abstractionis à parte rei, & extra intellectum non datur, ergo nec illa Unitas privativa.

Dices: Etiam materia prima à parte rei vel determinatè est sub forma leonis, vel determinatè non est sub forma leonis, & tamen secundùm se à parte rei est indifferens, & ad neutrum determinata, ergo idem de natura dici potest.

℞. Summam esse disparitatem: materia enim sub quavis forma semper suum & distinctissimum à forma esse retinet, & i-

 deo

deo indifferentiam sibi essentialem nunquam amittit, & ita illa reduplicatio *materia secundùm se* bene habet locum, quia aliud est materia, aliud forma. Sed natura humana non distinguitur in Petro à Petreitate; & ita jure identitatis, quidquid Petro, etiam naturæ repugnat; sed Petro repugnat non esse rem singularem, ergo & naturæ, & ideo illa reduplicatio *secundùm se* naturæ extra intellectum non convenit, quia natura nullum *esse suum* habet distinctum ab esse singularitatis.

2. Esse indifferentem est esse aptum ad plura: sed nulla natura est apta, ut sit Universalis, & expers hæcceitatis, cùm hoc repugnet, & nullâ potentiâ, etiam divinâ, fieri possit (implicat enim idem separari à seipso, hoc est, idem non esse idem) ergo nulla natura est ad illud indifferens, aliàs daretur possibilitas ad impossibile.

3. Naturam esse unam negativè est non esse divisam in multa, sed à parte rei omnis natura est divisa in multa per singularitates. *Nec repetas* non esse singularizatam *secundùm se*; jam enim respondi, hanc reduplicationem à parte rei locum non habere: nihil enim magis alicui *secundùm se* convenit quàm sua essentia, & *idem esse idem*: sed omnis natura est idem cum hæcceitate, ergo *secundùm se est hæc.* Si verò τὸ *secundùm se* appellat super naturam *ut conceptam* sine singularitatibus; verum est eam non esse singularem; sed tunc hæc Unitas *negativa* & indifferentia non est realis, sed rationis. Objectiones jam suprà solvimus.

XVII. *Quæritur 14.* An Intellectus naturæ tribuat Unitatem requisitam ad Universale Philosophicum?

Resp. Natura nullam ab intellectu Unitatem, & aptitudinem essendi in multis recipit, quæ sit necessaria ad Universale Philosophicum, & scientificum, & ita remotâ omni operatione intellectûs, omníque præcisione haberi potest, quidquid ad objectum scientiarum, ad prædicationes essentiales, ad veras, & perpetuas definitiones, hoc est, ad Universale Philosophicum necessarium est.

Nota: Philosophi curam, & studium esse non chymeras venari, sed veritatem. Quidquid ergo de Universalibus dicitur, scribitur, disputatur, ad somnia pertinet, & deliria animi ægro-

ægrotantis, ſi non veritati ſerviat. Dici non poteſt quàm multæ, quàm variæ ſint de Univerſalibus Doctorum ſententiæ, omnibus novi aliquid ſomniare certantibus. *Aliqui* tunc fieri dicunt Univerſale, cùm natura ab intellectu præſcinditur, tunc enim & eſſe unam, & aptam in multis. *Alij* Univerſale ponunt in ſpecie ab intellectu agente facta, & hoc dicunt eſſe Univerſale Metaphyſicum. *Alij* Univerſale Metaphyſicum à cognitione præciſiva & abſoluta accipiunt, cùm videlicet res ipſa ſecundùm ſe comparatur, non comparando illam ad inferiora. *Alij* Univerſale Logicum actui comparativo tribuunt ſimplici, non compoſito. *Alij* actui comparativo compoſito & per modum judicij ſeu prædicationis. *Alij* in relatione rationis, quæ ex natura præciſa, & inferioribus comparata reſultat. Quis non crederet tam vario certamine pro Helena & Troja pugnari?

Sed probatur Concluſio 1. Univerſale definitur *unum aptum ineſſe multis*; quæ definitio tam eſt antiqua, quàm Philoſophia peripatetica, & in omnibus ſcholis recepta. *Vel* ergo intellectus præſcindens tribuit naturæ aliquam Unitatem & aptitudinem realem, quæ in rem tranſeat, vel tantùm intentionalem, quæ in natura non ſit, ſed in ſola cognitione? *Si primum*, ſcire velim, quis intellectui, & quando hanc facultatem tribuerit naturas transformandi; ut quæ priùs non erat una, ab intellectu, & realiter fiat una? an non eodem modo, ſi poſſum cognoſcendo naturam facere unam, quæ non eſt una, potero Petrum cognoſcendo facere Papam, qui non eſt Papa? *Si verò intellectus naturam non facit unam*, ſed tantùm cognoſcit ut unam, ergo Univerſale malè definitum eſt, *unum aptum ineſſe multis*, ſed definiri debebit, *unum aptum cognoſci ineſſe multis*; longè enim aliud eſt *cognoſci*, aliud *eſſe*, & ineptiſſimus eſſet hic modus definiendi; perinde enim ac ſi Papam definires: *Papa eſt, qui apprehenditur eſſe Vicarius Christi: Dives eſt qui apprehenditur multum auri argentique habere.* Et quis credat Ariſtotelem tórque poſt illum Philoſophos voluiſſe Univerſale definire, *per unum aptum in eſſe multis* & non potiùs per *aptum concipi de multis*, ſi hæc aptitudo & Unitas eſt merus conceptus, & non res?

2. Na-

2. Natura Universalis ponitur ut necessaria ad prædicationes essentiales, & perpetuas, & ideo prædicabilitas est proprietas Universalis; ideo enim aliquod unum prædicatur de multis, quia unum inest multis. *Jam sic argumentor: vel* præcisio ista & Unitas Universalis ab intellectu facta est necessaria, ut una natura de multis verè prædicetur, *vel* ut falsò & non verè? *si ut falsò*, nocet potiùs Universale, quàm prosit Philosophiæ, quæ est scientia veri; & quid potest absurdius dici, quàm propositiones falsas esse necessarias veritati intelligendæ? *Si verò Unitas* Universalis est necessaria, ut unum verè de multis prædicetur, ergo hæc Unitas & aptitudo non tantùm est in conceptu, sed etiam in re. *Probatur hæc consequentia*, quia ad hoc ut dicam verè, *Petrus est homo*, non sufficit Petrum sic concipi, sed oportet Petrum sic esse, & nisi sit, conceptus est falsus; ergo prædicabilitas Universalis non est in intellectu (hic enim non potest facere rem aliquam verè prædicari, si à parte rei non est prædicabilis) sed in re.

Confirmatur: Deus verissimè de Petro & Paulo prædicat animalitatem, & humanitatem, & cognoscit pluribus inexistere, & tamen non abstrahit, ergo Unitas abstractiva non est necessaria ad veras prædicationes, nisi majorem aliquam Unitatem quæras, quàm in Deo sit.

Dices. Deum non præscindere ob perfectionem intellectûs divini, hominem verò præscindere ob imperfectionem.

Contrà. Verum est intellectum præscindere, & unum sine alio cognoscere, & ideo facere Universale in repræsentando, illa enim cognitio, dum naturam repræsentat sine singularitatibus, planè repræsentat naturam Universalem, & ideo facit Universale in *repræsentare*, non *in esse*, de quo nobis quæstio: cùm enim cognoscis humanitatem, non cognitâ hæcceitate, non mutas *esse* ipsius humanitatis; ergo hoc esse *vel* ante tuum conceptum fuit Universale, *vel* si fuit singulare, etiam post tuum conceptum manet singulare, ergo Universale *in esse* & *in prædicari*, hoc est, tam Logicum, quàm Metaphysicum non est per aliquam Unitatem, & Universalitatem *rationis*, sed *rei*: Universale verò in repræsentare est per Unitatem rationis.

Dices. Ante præcisionem dari tantùm Universale remotum & fundamentale, non verò proximum & formale, tria enim dicit Universale: *Subjectum* quod denominatur Universale, & hoc dicitur Universale remotum: *Fundamentum proximum* relationis Universalis, quod est Unitas præcisa ab inferioribus cum aptitudine, seu non repugnantia ad essendum in illis: & *Forma denique relativa*, quâ respicit, & comparatur ad illa plura, ergo sublatâ præcisione manet solùm Universale *fundamentaliter non formaliter* sumptum.

Contrà De quo Universali dicunt naturam esse tantùm Universale remotum, de Universali *in repræsentando*, an *in essendo*? Si *de Universali in repræsentando*, verum est; objectum enim est fundamentum cognitionis, ideo enim sic cognoscitur, quia sic est. *Si de Universali in essendo*, falsum est, illud tantùm in cognitione formaliter reperiri, cognitio enim non dat *esse*, sed *concipi*; aliud verò est concipi, aliud esse.

3. Unitas præcisionis facit naturam esse vel potiùs concipi, ut unam, & identificabilem multis, sed hoc repugnat, ergo & illa Unitas. *Major* est confessione Adversariorum certa; volunt enim naturam Universalem multis inesse, non accidentaliter ut albedo parieti; nec partialiter, ut brachium corpori, nec localiter, ut aqua in vase, sed identicè, ut essentia essentiato, quæ Unio identica explicatur per copulam *est*, & prædicatum *substantivè* sumptum, non tantùm *adjectivè*, dicendo v. g. *Petrus est homo*; qui modus prædicandi est identicus, & ideo non possum dicere *Petrus est corpus*, sed tantùm *Petrus est corporeus*. *Minor probatur.* Sic se habet *Unum intentionaliter ad multa intentionaliter*, sicut *Unum realiter ad multa realiter*: sed repugnat idem realiter esse Unum, & realiter esse multa, ergo etiam repugnat idem intentionaliter esse unum, & intentionaliter multa, sive unum concipi identificatum multis: Sicut enim implicat, non solùm parietem esse album, & non esse album, ita implicat, non solùm eandem naturam esse unam, & non esse unam (hoc est multas) sed etiam concipi esse unam, & non esse unam, hoc est, multis identificatam: si verò implicat, ergo natura sic concepta sub statu præcisionis non habet

aptitudinem, ut sit una, & multis identificata, quia non est aptitudo ad impossibilia.

Dices implicare ut unum manens unum, sit multa, non tamen ut unum desinat unum esse, & fiat multa; nam quantitas bipalmaris v. g. est una, & tamen in multas partes dividi potest, videlicet in duos palmos & quatuor semipalmos.

Contrà. Cùm ergo Universale in sua singularia dividitur & de singularibus prædicatur, v. g. *Petrus est homo*, *aut* ly *homo* retinet suam Unitatem Universalem, *aut* non retinet? *Si retinet*, ergo sensus illius propositionis erit, *Petrus est homo Universalis*; dicis enim eam Universalitatem cum homine ad Petrum descendere.

Rursus. Semper erit verum, quòd unum manens unum identificetur cum multis, videlicet Petro, Paulo, Jacobo, &c. quod diximus implicare. *Si verò*, quando prædicatur homo de Petro & Paulo, *amittitur Unitas Universalis*, ergo falsum est Universale esse unum aptum inesse, hoc est identificari multis; quod enim non est, non potest cum alio identificari, sed in actuali prædicatione illud *Unum*, & illud *Universale* nunquam est, ergo non potest identificari cum singularibus: dic ergo, quando illa aptitudo essendi in multis cum Unitate præcisionis reducatur in actum? & si nunquam reducitur, aut reduci potest, qualis sit illa potentia, & quid commodi habeat, si nunquam in actum exit, nunquam exire potest? Aliud est de quantitate bipalmari, hæc enim cùm dividitur, non manet una, nec de partibus prædicatur, nec tantum est in partibus quantum est in toto: sed cùm dico, *Petrus est homo*, manet prædicatio Universalis, speciei videlicet de individuo: manet Unitas præcisionis: manet totum quod concipiebatur ante prædicationem, ut communiter fatentur Adversarij. Semper ergo verum est, eam Unitatem præcisionis implicare.

4. Ut albedo de Petro sit prædicabilis, multóque magis, ut actu prædicetur, non sufficit, ut albedo possit Petro inesse, sed requiritur, ut actu insit, aliàs falsum erit dicere, Petrus est albus: ergo eodem modo, ut natura aliqua universalis apta sit de multis prædicari, requiritur ut actu multis insit: ideò per hoc

quòd natura cognoscatur non cognitis hæcceitatibus, non ideo multis inest, ergo non ideo potest de multis prædicari, ergo falsum est prædicabilitatem esse proprietatem naturæ ut præcisæ.

Dices: Natura præcisa cognoscitur ut apta multis inesse: sed ex aptitudine inessendi sequitur aptitudo prædicandi, quod enim aptum est esse ignem, est etiam aptum calefacere, & sursum moveri.

Contrà. Cognitio non facit rem ita esse, si antè non erat, & ideo nec facit rem verè prædicari, si antè non erat prædicabilis: finge, concipe, quantùm lubet, hominem esse hinnibilem, aut quadrupedem, non ideo tamen est hinnibilis, nec ideo quadrupes, nec ideo hinnibilitas de homine prædicari potest.

Deinde. Si ex aptitudine essendi sola sequitur aptitudo prædicandi, & etiam actualis prædicabilitas, potero de ligno dicere: *Lignum est naturaliter calefactivum: ligni centrum est in concavo lunæ*: quia lignum potest esse ignis, & ignis est naturaliter calefactivus, ac centrum proximè lunam habet.

XVIII. *Quæritur 15*. Quam igitur Unitatem natura habeat à parte rei, quæ sufficiat ad Universale Philosophicum?

Resp. Natura nullam aliam à parte rei Unitatem habet, quàm *similitudinis*, *convenientiæ*, & *uniformitatis*. Nullam etiam aliam habet aptitudinem essendi in multis, quàm illam realem, per quam non repugnat plures naturas valde similes existere, unáque specie repræsentabiles. Et hæc Unitas & aptitudo realis sufficit ad Universale Philosophicum, & scientificum.

Ratio est 1. Universale est *unum aptum inesse multis*, ex quo sequitur *posse prædicari de multis*: sed nulla alia Unitas in *esse* datur quàm similitudinis, & conceptibilitatis: Unitas verò præcisionis non pertinet ad Universale in esse, sed tantùm in significari. ergo, &c.

2. Hæc Unitas sufficit ad omnes effectus Universalis; *ideo* enim potes de Petro, & Paulo hominem prædicare, quia uterque à parte rei est verus homo: *ideo* hæc prædicatio *Petrus est homo*, est

perpetuæ veritatis, quia in omni statu hæc hypothetica est necessaria; *Si est Petrus, est homo*: vel *Petrus realiter existens est realiter homo*; *Petrus possibiliter existens est possibilis homo*: *ideo* Petrus & Paulus sunt ejusdem speciei, quia habent similem naturam quoad prædicata illis per se convenientia. *Ideo* de singularibus *ut sic* non datur scientia, quia nobis non constat de rationibus substantialibus, quæ duo individua per se distinguant: constat verò de rationibus essentialibus, per quas duo individua conveniant. *Ideo* Universalia sunt æterna & incorruptibilia, singularia verò corruptibilia, quia licèt moriatur, & corrumpatur Petrus, non tamen omnes homines corrumpuntur, & moriuntur Petro similes. Nihil ergo Unitas præcisiva in Universali Philosophico operatur, quod non æquè operetur Unitas realis, & similitudinis; aut si aliquid plus operatur, quid illud est?

3. Unitas præcisiva non est in natura, sed in sola cognitione, ita ut cognitio licèt sit in *esse* singularis (existit enim, & est *hæc*, quod singularium est) in *repræsentando* tamen est universalis, quia non repræsentat naturam *hanc* & *illam*, sed naturam *ut sic*: tota ergo Unitas præcisiva est Unitas intentionalis, & cognoscitiva, ergo est Unitas similitudinis & imaginis (cognitio enim nihil aliud est, quàm similitudo, & imago objecti) si ergo Unitas naturæ intentionalis sufficit ad Universale, cur non Unitas similitudinis realis? hæc enim major est; plus enim est verè, & realiter similem esse, quàm similem apparere.

Confirmatur. Sint duo homines facie simillimi (quales gemini illi quos eximiâ formâ, & similitudine 200 sestertijs, hoc est, monetæ nostræ florenis 12500. ab Antonio Triumviro emptos Plinius scribit *lib. 7. c. 12.*) horum unus Petri alius Pauli nomen habeat; hi unâ picturâ, aut imagine exprimantur (cur enim exprimi non possint, cùm nullâ re differant, sicut propterea unâ imagine duo ora simillima coloribus adumbrari possunt) quis jam dicat propter Unitatem illius imaginis has propositiones veras esse, *Petrus est Paulus*, *Paulus est Petrus*: vel *Petrus & Paulus sunt unus homo*? aut si istæ propositiones veræ sunt, non ideo veras esse, quia Petrus & Paulus unâ imagine repræsentantur, sed quia verè, & ante omnem imaginem sibi similes sunt? *Sic*

omni-

omnino, ut Petrus & Paulus sint unus homo; non sufficit tua præcisio, hoc est, ut in tuo intellectu unam imaginem habeant; aut si hoc sufficit, multo magis erunt unus homo, quia sibi realiter similes sunt, quàm quia unam imaginem in tuo intellectu habent, hæc enim Unitas est tantùm apprehensionis, in quo error esse potest, illa realitatis, in qua error esse non potest.

Objicitur 1. S. Thomas quamplurimis locis docet, Universale in intellectu non rebus esse; & fieri cognoscendo unum non cognito altero, hoc est, præscindendo. Videatur præsertim in opusc. *de Ent. & Essent.*

℞. S. Thomas videtur expresse loqui de Universali non in *esse*, sed in *repræsentare*, & ita nobiscum sentire. Pondera illius verba: *Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuantibus & habet rationem uniformem ad omnia individua, prout essentialiter est imago omnium, & inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines.* Et intra: *Hæc natura intellecta habet rationem Universalis secundùm quod comparatur ad res, quæ sunt extra animam, quia est una similitudo omnium.* Et paulò pòst: *Non est Universalitas forma intellecta secundùm hoc esse quod habet intellectum, sed secundùm quod ad res refertur, ut similitudo rerum: sicut si esset una statua corporea repræsentans multos homines, constat, quòd illa imago habet esse singulare, & proprium, secundùm quod est in hac materia; sed haberet rationem communem, secundùm quod esset commune repræsentativum plurium.* Ex his verbis S. Doctoris multifariam pro nostra sententia argumentari licet.

1. Intellectum præscindendo facere Universale tantùm in *repræsentando*, non in *essendo*; esse enim imaginem, esse similitudinem, quid sunt aliud, quàm repræsentare? & sicut artifex statuam fingens, quæ plurium hominum sit imago; aut vocale verbum pronuntians, quod æqualiter plura significet, non facit Universale in *essendo* (aliàs dicendum erit, *imaginem* leonis, & vocem *animal* esse propriè dicta Universalia) ita nec intellectus; nam & ipse cognoscendo loquitur, pingítque objectum: cur ergo imago intellectualis constituat potiùs Universale *in esse* quàm corporea, cùm utraque sit imago, nec aliud faciat, quàm repræsentare?

2. Si cognitio præscindens ex doctrina S. Thomæ ideo constituit verum, & scientificum Universale *in esse*, quia est similitudo rerum inter se convenientium, hoc est, similitudo similitudinis naturalis, cur non potiùs hæc ipsa similitudo naturalis hoc præstet? semper enim major est prima similitudo, quàm similitudo similitudinis, quæ est magis remota, & à prima recedens; sicut in picturis plus semper est pretij & similitudinis in autographo, quàm in apographo, hoc est, in originali, quam in copia, & nulla est similitudo artificialis, quæ adæquet naturalem: si ergo ex S. Thoma similitudo Universale facit, potius id faciet naturalis, quàm artificialis & intentionalis, quæ est in intellectu.

3. Unitas similitudinis, ut relata ad plura, ex S. Thoma facit Universale: si ergo similitudo sit in repræsentando, faciet Universale in repræsentando: si verò sit similitudo in essendo, faciet Universale in essendo: sed similitudo, quam dicit cognitio præscindens, est tantùm in repræsentando (ut patet ex S. Thoma & ex natura cognitionis) & similitudo, quæ est in natura, est in essendo, ergo relatio similitudinis naturalis, quæ est in Petro respectu omnium hominum, facit, & est formaliter Universale in essendo. Et si, ut docet idem S. Thomas *opusc. 41. c. 7. & opusc. 55. ratio communiter ab intellectu præscindente concepta redditur una, in quantum habet uniformem respectum ad omnia individua, quæ sunt extra animam, & ratione hujus uniformitatis plures homines sunt unus homo*, quanto magis ratione uniformitatis naturalis plures homines erunt unus homo? si enim verè dicitur niger, qui videtur, aut concipitur niger: multò magis verè dicitur niger, qui est niger. Ita si verè dicitur Universalis natura, quæ apparet, & concipitur uniformis, multò magis quæ verè, & realiter est uniformis: hæc autem uniformitas est à parte rei, ergo & Unitas Universalis.

Objicitur 2. Ex reali uniformitate resultat tantùm Universale *fundamentaliter* sumptum, non *formaliter*, hoc enim est in solo intellectu. *Addit Corneus*, Universale Aristotelicum extra intellectum non esse, & citat *l. 1. de An. text. 8.* eos verò, qui aliud Universale ponunt, obstinatè loqui, & litem nominis facere.

℟. Uni-

v. Uniformitas realis non tantùm constituit Universale *fundamentaliter* sumptum, sed etiam *formaliter*; quid enim deest? qui dicit aliquod ædificium esse tantùm fundamentum domûs, non ipsam domum; aliquem fruticem esse radicem tantùm arboris, non ipsam arborem, debet ostendere quid ergo illi ædificio desit, ne sit domus, tectum, fenestræ, scalæ, parietes? quid illi frutici, ne sit arbor, caudex, truncus, flagella, cortex? ita qui dicit, uniformitatem realem Universali Philosophico, & scientifico formaliter sumpto non sufficere, debet dicere, quid ergo illi desit; habet enim Unitatem, habet aptitudinem essendi in multis, & utramque, positivam & realem, multóque majorem, quàm sit merè intentionalis, & in solo conceptu; dicant ergo, cur sufficiat, quod est minus, & non sufficiat, quod est plus? Ad Corneij instantiam respondeo, idem Aristotelem, quod S Thomam docere, eodémque modo intelligendum: & textus ibi citatus communiter ab omnibus sic exponitur: *Animal Universale, aut nihil est, aut posterius*. id est, *animal Universale, quale à Platone ponebatur, separatum videl. & ideale, aut nihil est, aut si aliquid est, est posterius*, individuis videl. prius enim est individua, & singularia esse, quàm esse similia, & uniformia, sicut prior est unitas multitudine, & prius parietem esse album, quàm pluribus parietibus similem.

Neque hoc est obstinatum esse, sed cum multa ratione, ut suprà ostensum est, aliquid dicere, & rationem ab alijs, cur aliter sentiant, expetere, quam cùm assignare non possint, meritò illos deserimus, quia Philosophi munus, & partes sunt aut tacere, aut probare. Nec litem nominis intendimus, sed abusum & rei & nominis impugnamus. Tu verum Cæsarem dicis, quod tantùm imago est Cæsaris, non verò ipsum Cæsarem: ego illum Cæsarem dico, qui Cæsar est, qui verò pictus est, imaginem tantùm Cæsaris; uter meliùs sentit, meliùs loquitur? Eâdem omnino ratione *Universale in esse* ego in natura pono, tu verò idem Universale ponis in cognitione, quæ non facit aliquid esse: ego nigrum esse dico, qui niger est, tu illum, qui apparet; uter nostrûm obstinatus est? sed Corneio sic placuit loqui, quia nec potuit veritatem vincere, nec voluit cedere.

Obij-

Objicitur 3. Universale proximum, & formaliter sumptum dicit naturam abstractam à singularibus, & indifferentem, ut de multis prædicetur: sed ante omnem operationem intellectûs, & per solam uniformitatem unius individui cum alio non redditur abstracta, & sic indifferens, ergo &c.

Minor probatur, tum quia illa uniformitas est à parte rei; quidquid autem consideratur, ut est à parte rei, non est abstractum à singularibus, sed intimè, hoc est, identicè illis conjunctum: *tum* quia similitudo est essentialiter inter duo, & inter res distinctas, ergo non tantùm differentias numericas, à quibus fit numerus, & distinctio, non excludit, sed potiùs essentialiter includit; cùm enim consideras Petrum & Paulum, ut similes, hoc ipso consideras, ut duos, & ut alium & alium; ergo jam consideras non solam formam humanitatis (. hæc enim non est alia & alia, nec dicit principium aliquod distinctionis &c.) sed etiam differentias illius, hoc est, singularitates; ergo per solam uniformitatem non constituitur natura Universalis.

℞. Nullum Universale, etiam quale ab Adversarijs admittitur, per Unitatem præcisionis excludere omnem respectum ad singularia; hoc ipso enim, quòd à singularibus abstrahitur, & de singularibus est prædicabile, duplicem respectum ad ista dicit, tanquam videlicet terminos *à quo* & *ad quem*; neque hoc impedit Universalitatem; nam etiam conceptus relationis dicit duos terminos numero distinctos, nec ideo tamen non est Universalis; sufficit ergo Universalitatem, ut est forma à suis terminis distincta, nullam differentiam involvere, unáque specie esse repræsentabilem, & talis est natura humana in Petro & Paulo; nullam enim dicit differentiam nobis notam, quâ unus ab alio differat, sed omnimodam convenientiam, unámque conceptibilitatem. Ad Argumentum in forma *respondetur:* Quidquid est à parte rei, non est abstractum à singularibus, ita ut realiter sit separatum à singularibus, *concedo*; ita ut à parte rei dicat aliquam differentiam individualem nobis notam, quâ unum singulare ab alio per se, & non merè accidentaliter distinguatur, *nego*. Alio etiam modo dici potest humanitas abstrahere à differentijs, quia Petrus & Paulus v. g. in quantum à parte rei dissimiles, non sunt similes, & ut similes non sunt dissimiles: sed

sed sunt similes in natura & essentia, dissimiles in hæcceitatibus; ergo natura non includit hæcceitates, ergo ab illis abstrahit. *Vel* tandem responderi optimè potest distinguendo: Universale ut est unum, abstrahit à singularibus, *concedo*; ut est aptum inesse multis & defacto multis inest ac prædicatur, abstrahit à singularibus, *nego*: nec enim potest aliter esse in multis & plurificari, quàm per singularia. Natura ergo humana, ut dicit Unitatem similitudinis, non dicit differentias singulares, & characteristicas, & sic illas excludit: ut verò est in multis, utique illas dicit, imò cum illis identificatur. Est ergo una *similitudine*, sed multiplex *identitate*. Ut autem eadem natura uno respectu sit similis, alio dissimilis, sufficit virtualis distinctio, de qua alibi.

XIX. *Quæritur 16.* An Universale conservetur in omni Suppositione?.

Resp. In omni Suppositione, *copulativa* videlicet & *copulata*; *disjuncta* & *disjunctiva* conservari potest Universale, saltem in repræsentando.

Ratio. Quia in omnibus hisce propositionibus, *omnis homo est animal*; *aliquis homo est animal*, tam *homo*, quàm *animal* concipiuntur sub ratione, in qua conveniunt, & quæ alijs est communicabilis; non verò sub ratione, in qua differunt, & quæ est incommunicabilis: & licèt signum *aliquis*, & tota propositio sit particularis, terminus tamen *homo* est Universalis, licèt particulari applicetur; non enim repugnat de particularibus naturam Universalem prædicari, sed potiùs hoc pertinet ad proprietatem Universalis.

XX. *Quæritur 17.* An Universale possit ab unico individuo abstrahi?

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia natura considerata *ut sic* (hoc enim est abstrahere) jam est una & apta esse in pluribus, ac omnino indifferens.

XXI. *Quæritur 18.* An natura sit Universalis, quamvis plura individua repugnent?

Resp. Potest dari natura Universalis, licèt à parte rei non possit esse in pluribus numero distinctis, v. g. in sententia S. Thomæ natura Angelica Michaëlis est una specie, & numero,

licèt ne per divinam potentiam quidem plures numero Michaëles esse possint sibi in natura similes; distinctio enim numerica ex sententia S. Thomæ sumitur per ordinem ad subjectum, vel materiam, quo sublato sola superest distinctio specifica; sicut v. g. distinctio figuræ, ut figuræ, numeri, ut numeri est specifica, qualis est figura rotunda, & quadrata; numerus ternarius, & binarius, &c. intra verò eandem figuram, & numerum non datur distinctio numerica, nisi per ordinem ad aliquod subjectum, v. g. lignum rotundum, aurum quadratum, &c. Hanc verò naturam Michaëlis, licèt multiplicari numero non possit, veram esse speciem, verùmque Universale docet S. Th. *1. p. q. 13. a. 9.* & *q. de spirit. creat.* & *c. 5. de Ent. & Essent.* & *1. p. q. 50. a. 4.* & *contr. Gent. q. 3.*

Ratio est 1. Quia in Michaële v. g. duo sunt; natura specifica, quâ differt ab alijs, & singularitas; & hæc duo *realiter formaliter* sunt unum, sed *virtualiter* duo, & distincta; ut singularis est, dicit relationem, & respectum ad existere, ad subsistentiam, & alia accidentia extrinseca, quæ singularitatem comitantur: ut natura verò Angelica est, dicit esse subsistentiam spiritualem completam, irreceptibilem in materia, cum sphæra intelligibili ut septem v. g. (ponamus enim hanc esse differentiam specificam Michaëlis) & abstrahit ab illis connotatis extrinsecis. Natura ergo Angelica & specifica Michaëlis, licèt quà singularis ex sententia D. Thomæ non possit esse in pluribus, nec admittat plures Angelos similes, potest tamen ut natura est: *tum* quia naturam esse communicabilem & fœcundam est perfectio, & proprietas boni, cur ergo negetur naturæ Angelicæ, quæ longè perfectior est humana? *tum* quia nulla est natura, aut ratio magis immaterialis, magísque excludens imperfectionem, quàm quæ in Deo est: sed ratio personæ in Deo non repugnat distinctioni numericæ, ergo nec ratio naturæ immaterialis in Angelo; *tum* quia non habere sibi similem in natura est perfectio, & prærogativa solius Dei, & ex eo nata, quòd Deus sit infinitus, ergo repugnat creaturam infinitè à Deo distantem illi similem esse; omnis enim similitudo est quædam vicinitas, nec potest dici absolutè similis, qui in aliquo genere

re est alteri infinitè dissimilis ; nec enim æthiops est similis nivi , quantumvis non infinitè sit dissimilis , dentibus enim cum nive certat.


2. Datâ repugnantiâ , & impossibilitate unius relativi non continuò sequitur impossibilitas alterius correllativi ; est enim in sole vis illuminandi infinitos homines ; sed implicat infinitos esse ; est in Deo infinita imitabilitas & participabilitas suatum perfectionum ; & tamen implicat ab aliqua creatura infinitè participari. Eodem modo natura Angelica ut natura est , potest in pluribus individuis esse , licèt hæc implicent ; si non implicarent , esse posset.

Dicis : Species Angelica habet repugnantiam , ut prædicetur de pluribus , & hoc ab intrinseco , quia secundùm Thomistas ejus immultiplicabilitas provenit ex gradu puræ immaterialitatis , qui excludit omnem ordinem ad materiam , & consequenter omnem divisibilitatem in plura individua, ergo.

℞. *Distinguendo Antecedens* : Angelus ut est natura, dicit repugnantiam ad plura individua , *nego antecedens* , nam etiam ratio Personæ in Deo est summè immaterialis , & tamen admittit distinctionem numericam , non ergo hæc immultiplicabilitas est à natura , nec à conceptu naturæ. Angelus , ut est *hic* , & *singularis* , dicit repugnantiam ad divisionem in plura individua , *concedo antecedens* ; ergo natura Angeli est essentialiter immultiplicabilis ut natura & species est , *nego consequentiam* , ut singularis est , *concedo consequentiam. Adverte* igitur immaterialitatem, & irreceptibilitatem in materia esse tantùm *radicem remotam* , non verò *rationem formalem* , ut Angeli nequeant esse plures : Sicut ergo natura humana , quamvis radix risibilitatis sine hac concipi potest , imò realiter à proxima aptitudine ridendi distinguitur ; & sicut ens est radix veri & boni , & tamen ab his virtualiter distinguitur & sine his concipi potest , ita carentia materiæ in Angelis est radix numericæ immultiplicabilitatis , sine hâc tamen concipi potest, quia virtualiter ab hâc distinguitur tanquam essentia à sua proprietate , prius enim est Michaëlem esse, quàm singularem esse , quia singularitas desumitur per respectum ad con-

connotata extrinſeca hypoſtaſis, exiſtentiæ, &c. Unde ergo Angelis formalis immultiplicabilitas?

Reſpondetur, ex ſingularitate. Expreſſè S. Th. *q. de ſpirit. creat. a. 8. ad 4.* Sicut enim forma cœlorum explet totam capacitatem materiæ, ut aliam non appetat: & amor beatificus totam capacitatem voluntatis, ut præter Deum nulli alteri bono adhæreat, ita ſingularitas & hypoſtaſis Angelica explet totam capacitatem naturæ, ut alteri ſuppoſito, aut individuo nequeat communicari. Hæc tamen à nobis ita dicuntur, non quidem ut negemus plures Angelos numero diſtinctos dari poſſe, ſed ſolùm ut hoc, ex principijs Thomiſtarum ſemel admiſſis, oſtendamus, non implicare naturam aliquam Univerſalem eſſe, nec tamen poſſe multiplicari.



§. II.

De Proprietatibus Univerſalis.

Summaria.

1. *Univerſalia ſicut æterna, ſic incorruptibilia ſunt.*
2. *Proxima Univerſalis Metaphyſici proprietas eſt prædicabilitas.*
3. *Ad quam tamen abſoluta apprehenſio non ſufficit, ſed requiritur comparatio.*
4. *Actualis prædicatio Univerſalitatem à natura non tollit.*
5. *Quid, & quotuplex ſit prædicatio?*

6. *Tra-*

6. *Traduntur Regulæ veritatem prædicationum cognoscendi.*
7. *Item circa prædicationes abstractorum, & concretorum.*





Ost explicatam naturam Universalis ad ejus proprietates procedimus, & primò quidem ad eas, quæ illius esse, tum quæ ejus prædicabilitatem consequuntur.

I. Prima ergo proprietas est, quòd Universalia sint æterna, & incorruptibilia. S. Th. *1. p. q. 10 a. 3. ad 3.*

Ratio est, quia licèt ab æterno nulla sit creatura, Universalia tamen tribus modis dici possunt æterna & incorruptibilia.

Primò hypotheticè; semper enim verum fuit; Si Petrus existit, est animal rationale, non autem, est *albus*, vel *doctus*, vel tale aliquid, quo nos unum hominem ab alio distinguimus, & ut singularem apprehendimus.

Secundò negativè. quia Universalia *ut sic* nullum habent principium corruptionis, & generationis; omnis enim corruptio est existentis: Universalia *ut sic* non existunt: generatio verò terminatur ad existentiam, quam Universalia non habent.

Rursus. Natura secundùm gradum Universalem nullam dicit diversitatem, sed perfectam Unitatem & concordiam, & tota diversitas oritur ex gradu individuante & naturas characterizante; ergo Universalia sunt æternæ veritatis *negativè*, & semper dicere potero, *Petrus est animal*, hoc est, nulla est diversitas inter Petrum, & animal (qualis est inter Petrum & Paulum) & hæc est identitas negativa fundans æternam veritatem inter prædicatum & subjectum.

Tertiò. Universalia sunt æterna, quia species non intereunt, sed tantùm individua; nec enim mortuis Petro & Paulo natura humana mortua esse dicitur. In his ergo propositionibus, *Petrus est homo*, *Petrus est animal*, copula *est* non significat existentiam, quæ est temporalis, sed essentiam, quæ est æterna; quocunque enim loco & tempore Petrum concipias, non potes aliter, quàm cum animalitate concipere. Idem dicas de hac propositione: *Homo est vivens*; quamdiu enim est homo, tamdiu vivit; & si ab æterno esset homo, ab æterno esset vivens, nec concipi potest homo, quin concipiatur vivens.

II. Ex eo quòd natura sit Universalis, hoc est, apta esse in multis, sequitur tamquam altera proprietas, quòd eadem natura prædicari possit de multis, & ita prædicabilitas proxima est proprietas Universalis Metaphysici.

Ratio est; prædicari est cognosci, ergo posse prædicari est posse cognosci; sed hoc est proprietas consequens esse; sicut veritas est proprietas entis, & visibilitas est proprietas coloris.

III. Quæritur circa hanc Universalis proprietatem I. An ad prædicationem sufficiant duæ apprehensiones, vel requiratur comparatio?

Resp. 1. Ad prædicationem requiritur aliqua comparatio inter prædicatum & subjectum, nec sufficiunt duæ apprehensiones absolutæ; qui enim v. g. cognoscit, & apprehendit, quid sint pulmones & quid sint pisces, non idèo cognoscit pisces pulmones habere, vel non habere, neque hæc duplex apprehensio magis intellectum determinat ad negandum vel affirmandum, non ergo sola apprehensio simplex, & non comparativa sufficit ad prædicationem.

2. Prædicatum *est forma intentionalis subjecti*, sicut anima v. g. est forma realis corporis; sed forma non unitur realiter materiæ nisi realiter dispositæ aptæque, ergo nec prædicatum, nisi subjecto intentionaliter disposito aptóque, est verò intentionaliter tale, cùm cognoscitur ejus proportio ad subjectum, & è contrà &c.

3. Plus est, & difficilius cognoscere aliquid esse idem cum alio, quàm esse simile & æquale; similitudo enim non dicit conveni-

venientiam omnium prædicatorum, sicut identitas; & ita multi Ariani, qui sciebant Filium esse similemPatri, ignorabant, esse unum cum Patre, & omnes fatentur colorem Iridis, esse vero colori similem, sed multi dubitant, an sint veri; plus ergo est esse, quàm similem esse, & difficilior cognitio identitatis, quæ plura complectitur, quàm similitudinis: sed ut quis cognoscat unum esse alteri simile, æquale, conveniens, proportionatum &c. requiritur cognitio comparativa unius cum alio; ergo multò magis, *ut* cognoscatur unum esse idem cum alio, quod fit in prædicatione.

4. Isti tres actus, *cognoscere aliquid, istud cum alio comparare*, & *tandem unum de alio prædicare*, sunt tres actus subordinati: sed in actibus subordinatis non fit transitus de uno ad alium prætermisso medio.

5. *Denique* intellectus nisi comparet unum cum alio, omnino est indifferens, ut unum prædicet, aut non prædicet, affirmet, aut non affirmet de alio; siquidem non cognitâ proportione subjecti ad prædicatum non cognoscitur totum subjectum, cuius pars est illa proportio, & ideo qui cognoscit phœnicem esse avem, & spatium *500.* annorum esse tempus diuturnum, non continuò sciet phœnicem vivere *500.* annos, nisi priùs unum cum alio conferat; ergo hæc comparatio est necessaria, ut intellectum determinet, ad unum potius, quàm ad aliud prædicandum.

IV. Quæritur 2. An Universale maneat in actuali prædicatione?

Resp. Affirmativè: Cùm ergo dicis, *Petrus est homo*, terminus *homo* est Universalis, & repræsentat naturam humanam pluribus individuis communem.

Ratio est 1. Universale definitur *unum aptum prædicari de multis*, hoc est, quod à parte rei est in multis individuis, & tamen est unum similitudine: sed cùm dico, *Petrus est homo*, ly *homo* ita est in Petro, ut tamen etiam sit in Paulo, in Jacobo, in Joanne, &c. servatâ tamen in omnibus unitate similitudinis, quid ergo deest, ut non sit Universalis?

2. Cùm dicis *Petrus est homo*, *vel* in ly *homo* repræsentatur Petreitas, *aut* alia singularitas, *vel* nulla? *si nulla*, ergo est terminus

minus verè Universalis: *si aliqua*, quæ illa? an Petreitas? ergo illa propositio erit planè identica & frivola, nec ulli scientiæ apta; perinde enim sonabit ac ista: *Petrus est Petrus*, *&c.*

3. Hæc propositio, *Petrus est homo*, est speciei de individuo, ergo Universalis; cùm enim dicitur, *Petrus est homo*, *Paulus est homo*, *&c. vel* in hoc prædicato illa duo individua conveniunt, *vel* disconveniunt? *si conveniunt*, ergo illud prædicatum est Universale, nam terminus singularis est radix & nota diversitatis: *si disconveniunt*, quæro quid ergo homo in Petro dicat, quod non sit in Paulo?

4. Universale est unum aptum inesse & prædicari de multis, ergo potest esse in multis, & prædicari de multis, nec enim actus tollit potentiam, nec proprietas essentiam.

Dices: Palmus est una quantitas apta dividi in plures partes, v. g. in duos semipalmos, ita tamen ut factâ divisione non ampliùs retineat Unitatem; sic Universale factâ prædicatione, & applicatione ad singularia amittit Unitatem, & consequenter Universalitatem.

Resp. 1. Falsum supponi; Unitas enim Universalis est Unitas similitudinis, & convenientiæ, quæ, ut probavimus, manet in actuali prædicatione.

2. Universale dicitur *unum aptum esse in multis* per identitatem, oportet ergo illud aliquando esse multa, hoc verò fit in sola applicatione ad singularia, nam extra hæc non potest esse in multis; non ergo applicatio ad singularia repugnat actuali Universalitati. *Secùs* est in palmo, qui non dicitur esse aptus divid in plures partes, ita ut totus sit in partibus, & cum his identificetur; implicat enim totum esse partes: at Universale prædicatur de singularibus ut totum potentiale, potentia verò etiam sub actu conservatur.

6. *Denique* terminus *homo* ante prædicationem est Universalis, ergo etiam post prædicationem; quid enim plus minúsve dicit aut repræsentat? dicit quidem contractionem cum Petro, sed *nego* hanc obstare Universalitati, quia illa est extrinseca & ex parte subjecti; prædicatum enim, ut prædicatum, dicit tantùm hominem *ut sic*, & in illo nullus character, aut nota con-

contractionis existit : Sicut materia formæ unita adhuc est pura potentia, quia in ratione materiæ nullum actum dicit.

Dices 1. In hac propositione : ***Petrus est homo*** : prædicatum dicit Suppositionem confusam, aut determinatam, non ergo manet Universale; illæ enim Suppositiones semper dicunt aliquam notam singularitatis.

℞. Suppositionem nihil facere ad Universale; nulla est enim suppositio tam Universalis, quæ non resolvatur in signa particularia, ut patet consideranti : ut ergo illud prædicatum sit Universale, sufficit nullam in eo notam disconvenientiæ, & difformitatis apparere, sed omnimodam similitudinem, quæ est forma Universalitatis.

Neque hoc signum ***aliquis***, aut ***singulare*** tollit Universalitatem, nisi exprimat distinctam aliquam diversitatem; ipsa enim singularitas in actu signato de pluribus dicitur, & fundat similitudinem : sicut v. g. color albus, & niger sunt absolutè qualitates dissimiles; in hoc ipso tamen sunt similes, quòd sicut albus nigro, ita niger albo sit dissimilis. Eodem igitur modo cùm dicis, ***Petrus est aliquis homo***, hoc signum non destruit communitatem, & convenientiam, quam aliàs dicit ly ***homo***, nam & Petrus est aliquis homo, & Paulus est aliquis homo, & Joannes, &c. & hæc est expressa S. Thomæ sententia *1. p. q. 30. a. 4.* ubi dicit, ***quòd Individuum Vagum, aliquis homo, significat naturam communem cum determinato modo essendi, non quidem ut genus, aut species, sed sicut Individuum Vagum***; non ergo suppositio confusa aut determinata semper destruit Universalitatem. Videatur S. Th. & præsertim in *1. d. 25. q. 1. a. 3.*

Dices 2. Natura Universalis nec est hæc nec illa, sed ab omnibus abstracta : sed cùm dico, ***Petrus est homo***, natura humana non concipitur ut abstracta, sed ut contracta ad Petrum, alioqui sensus esset, ***Petrus non est hic homo***; vel ***Petrus est omnis homo, &c.*** quæ propositiones sunt falsæ.

℞. 1. Falsum supponi, quòd videlicet Universale fiat per Unitatem abstractionis, cùm tamen fiat per Unitatem similitu-

 di-

dinis realis, & ideo illius propositionis hic est sensus: *Petrus est homo, & similis natura cum Paulo.*

℞. 2. In ea propositione naturam humanam concipi, ut contractam ex parte subjecti, non ex parte prædicati, & ita extrinsecè; in ipso enim prædicato hominis nulla nota contractionis.

Dices 3. Natura Universalis debet posse de multis prædicari: sed natura humana, quæ est in Petro, non potest de multis prædicari, cùm non multis identificetur, sed soli Petro.

℞. Naturam Petri esse similem naturæ Pauli, & hanc similitudinem exprimi per ly *homo*: sufficit verò eandem similitudine naturam de pluribus posse prædicari, ut suprà demonstratum. *Vel* dic hanc contractionem, & identitatem hominis cum Petro non esse ex parte hominis, qui de Petro prædicatur, & qui ut sic concipitur ut indifferens ad plura individua, sed ex parte subjecti.

V. *Quæritur* 3. Quid, & quotuplex sit prædicatio?

Resp. 1. Prædicatio nihil aliud est, quàm affirmatio aut negatio unius de alio. Fundamentum ergo prædicationis est tum identitas extremorum, tum modus rem concipiendi, eamque significandi: identitas significatur per copulam *est*: diversitas concipiendi eandem rem per prædicatum, & subjectum; in qualibet enim propositione affirmativa requiritur, ut subjectum & prædicatum significent id quod aliquo modo est idem secundùm rem, & diversum saltem ratione. Vide S. Th. *1. p. q. 13. a. 12.* & *1. p. q. 39. a. 4. & 5.* Modus verò eandem rem concipiendi, & significandi præcipuè in hoc relucet, quòd aliquid significetur per modum abstracti, aut concreti, per modum totius, vel partis; abstracta enim nihil significant extranei, sed solam essentiam, v. g. humanitas solam formam hominis: albedo solam formam albi: cujus ratio est, quia humanitas significat tantùm id, *quo* aliquid est homo: albedo, *quo* aliquid est album, non est autem aliquid homo formaliter loquendo, nisi per id, quod ad rationem hominis pertinet: nec aliquid album formaliter, nisi per id, quod pertinet ad rationem albi, & ideo abstracta diversarum specierum nequeunt de se invicem

præ-

prædicari, quamvis reperiantur in eodem subjecto, hæc enim est falsa, *albedo est dulcedo*, quamvis utraque in eodem lacte reperiatur. Vide S. Th. *opusc. 69. Lect. 2.* Concreta verò non significant formas impermixtas & simplices, sed potiùs conjunctas, permixtasque alijs qualitatibus, & accidentibus; *homo* enim significat, quod habet humanitatem, *album*, quod habet albedinem, subjectum verò quod habet albedinem, etiam habet alia accidentia, nec enim quia habet albedinem prohibetur alias qualitates habere albedini non oppositas, & ideo concreta prædicari de se mutuò possunt; hæc enim est vera: *album est dulce*, quia non repugnat subjectum, quod habet albedinem, etiam habere dulcedinem, ut patet in lacte.

Rursus. Licèt abstracta, & concreta eandem rem explicitè, & in recto significent (tam enim album, quàm albedo explicitè significant qualitatem sensibilem, nullum verò subjectum explicitè in concreto notatur, qui enim audit album, scit quidem sermonem esse de albedine, sed nullum explicitè subjectum intelligit (non nivem, non saccarum, non olorem) abstractum tamen significat ut partem, hoc est, ut formam, quâ aliquid est; concretum ut totum, hoc est, ut formam conjunctam subjecto, & ideo sicut pars de toto defectu identitatis, ita abstractum de concreto prædicari non potest: non tamen requiritur, ut res per abstractum significata sit verè pars, aut in concreto significata sit verè totum, sufficit per modum partis, aut totius concipi, & significari, quia prædicatio est de re non ut est, sed ut intelligitur: sicut imago rem exhibet non ut est, sed ut pingenti apparet. Vide S. Th. *1. p. q. 3. a. 3.* & *3. p. q. 2. a. 2.*

Tandem. Terminus abstractus dicit abstractionem formalem non totalem. *Abstractio formalis* est, cùm forma abstrahit à materia, actus à potentia, pars actualis à sua comparte. Sic albedo dicit abstractionem formalem, quia ex modo significandi excludit subjectum. *Abstractio totalis* sive *potentialis*, quâ superius abstrahit ab inferioribus, commune ab individuis, etiam in concreto reperitur; animal enim *ut sic* abstrahit à speciebus, & tamen prædicari potest de speciebus: quamvis enim *explicitè* dicat tantùm rationem sensitivi (quomodo est pars, & de toto præ-

dicari non poteſt) *implicitè* tamen dicit id, quod habet rationem ſenſitivi, hoc eſt, formam, à qua ille gradus ſenſitivi, ſive jam ab eadem forma ſolus gradus ſenſitivi, ſive plures proveniant.

Reſp. 2. Prædicatio dividitur in *Identicam*, *Diſparatam*, & *Mediam*. Prædicatio identica alia eſt *materialiter*, alia *formaliter*. *Identica materialiter*, quando prædicatum eſt realiter idem cum ſubjecto, ſignificationes tamen diverſæ, v. g. album eſt dulce, ex parte materiæ eſt identica (licèt ex parte formæ diſparata) homo eſt animal rationale : Miſericorida in Deo eſt juſtitia. *Identica formaliter*, in qua idem eſt prædicatum & ſubjectum, idémque modus utrumque ſignificandi, v. g. homo eſt homo; enſis eſt gladius, &c.

Prædicatio diſparata, quæ conſtat ex terminis diſparatis, nullámque inter ſe convenientiam habentibus, v. g. *homo non eſt lapis*, hæc quidem propoſitio eſt vera, prædicatio tamen eſt diſparata. Et hæc (*homo non eſt homo*) propoſitio eſt falſa, prædicatio tamen eſt identica. In propoſitionibus tamen affirmativis prædicatio diſparata ſemper eſt falſa, identica ſemper vera.

Prædicatio Media eſt, in qua ſubjectum & prædicatum habent ſufficientem connexionem, ſed non omnimodam identitatem, quia unum videlicet ſignificatur per modum formæ, aliud per modum materiæ, vel ſubjecti, v. g. *Petrus eſt homo* : *Ignis eſt calidus*, *&c.* Prædicatio media ſubdividitur in *directam* & *indirectam*. Directa eſt, in qua, quod ſe habet ut forma, prædicatur; quod ſe habet ut materia, hoc eſt, ut recipiens, ſubijcitur. Indirecta verò in qua prædicatur quod ſe habet ut materia, ſubijcitur quod ſe habet ut forma. Ut ergo prædicatio ſit directa, oportet, ut prædicatum ſit ſuperius, vel ſaltem æquale, & per modum partis, ſuperius enim cùm ſe habeat ut receptum & ut pars, retinet locum & vices formæ. Propoſitiones directæ ſunt hæ: *Petrus eſt homo* : *homo eſt riſibilis*, *homo eſt rationalis* : *ignis eſt calidus*, *&c.* & ſecundùm aliquos etiam iſtæ ſunt directæ : *album eſt dulce*, *&c.* quia ſubjectum, & prædicatum ex una parte habent ſufficientem connexionem, ex alia verò non dicunt omnimodam identitatem; concretum enim accidentale poſitum ex par-

te

te subjecti supponit *substantivè*, ex parte prædicati sumitur *adjectivè* & per modum partis, ac formæ adjacentis. Hæc verò propositio, *hoc animal est homo*, si ex parte subjecti designetur Petrus, erit directa; quia licèt ex parte rei significatæ significet animalitatem, ex modo tamen significandi denotat individuum hominis, & ideo prædicatum est superius.

VI. *Quæritur 4.* Unde veritas propositionum possit cognosci?

Resp. Ad veritatem prædicationum cognoscendam notentur hæ regulæ.

Regula 1. Ad veritatem propositionis affirmativæ non requiritur, ut ea quæ importantur in obliquo ex parte subjecti, sint realiter idem cum recto vel obliquo prædicati, hæc enim enim est vera, *album est dulce*: & tamen albedo & dulcedo non sunt idem: & ratio est, quia copula *est* cadit tantùm super rectum, nihil enim in obliquo aut prædicatur aut subjicitur.

Regula 2. Ad veritatem propositionis affirmativæ necessariæ sufficit subjectum & prædicatum conditionatè identificari, hoc est, posito quòd subjectum & prædicatum existant, v.g. in hac, *Leo est animal*, non affirmat, quòd defacto leo & animal existant, sed habet sensum conditionatum: *Si leo existeret, esset animal.* Et ideo hujusmodi propositiones dicuntur abstrahere ab omni temporis differentia, & esse veritatis æternæ.

Regula 3. Ad veritatem propositionis affirmativæ in materia contingente, quæ vocatur de tertio adjacente, requiritur ut subjectum & prædicatum habeant existentiam & identitatem, pro illo tempore, quod importatur à copulâ. Hæc ergo absolutè est falsa, *Antichristus est impius*, quia est de subjecto non supponente. Econtrà hæc est vera, *Antichristus non est impius*; cùm enim non sit, nec est pius, nec impius. Eædem regulæ proportionaliter valent pro propositionibus negativis.

VII. *Quæritur 5.* Quomodo abstracta de concretis, & concreta de abstractis prædicentur?

Resp. Circa prædicationes abstractorum & concretorum notentur sequentes regulæ.

Regula 1. Concreta ſubſtantialia de ſubſtantialibus, accidentalia de accidentalibus verè prædicantur, v. g. *homo eſt animal: homo eſt albus: album eſt coloratum &c.*

Ratio eſt, quia nihil eſt in ſubjecto, quòd non etiam ſit in prædicato; res enim habens v. g. humanitatem eſt etiam habens animalitatem & è contrà: hæc enim eſt natura concreti, ut ita explicitè dicat unam formam, ut non excludat aliam non oppoſitam primæ. Vide S. Th. *de Ent. & Eſſ. c. 3.* Hæc regula eſt certa.

Dices. Animal eſt pars hominis, eſt enim genus: coloratum pars albi; ergo non bene prædicantur de ſuis totis.

Reſp. Animal ſecundùm rationem explicitam eſſe tantùm partem actualem Metaphyſicam: ſecundùm implicitam eſſe totum potentiale omnes ſpecies includens. Qui dicit: *Hoc eſt materia*, excludit formam: qui verò dicit: *Hoc eſt animal*, non excludit hominem, brutum, equum &c. Alio igitur modo animal, alio materia eſt pars hominis.

Regula 2. Abſtracta non prædicantur de concretis, nec concreta de abſtractis. Vide S. Th. *3. de Ent. & Eſſ.* & *1. p. q. 3. a. 3.* Falſæ ſunt ergo hæ propoſitiones: *homo eſt humanitas*; *album eſt albedo*; eſt certa: *Ratio eſt*, quia ad veram prædicationem requiritur, ut ſubjectum ſit prædicatum & èontrà: ſed pars non eſt totum, nec totum eſt pars, ergo, &c.

Excipe prædicationes identicas in divinis, ubi nec eſt pars nec totum, imò implicat aliquid in Deo concipi per modum partis, & ideo iſtæ ſunt veræ: *Deus eſt Deitas*, *Pater eſt Paternitas.* S. Th. *2. p. q. 3. a. 3.*

Excipe 2. Tranſcendentia; iſtæ enim ſunt veræ: *Ens eſt entitas: Unum eſt Unitas: Bonitas eſt bona &c.* S. Th. *1. 2. q. 55. a. 4 ad 1.* & *q. 21. de verit. a. 4.*

Ratio eſt, quia in tranſcendentibus forma tranſcendens non tantùm eſt id, quod eſt, ſed eſt etiam id quo aliquid eſt, nec poteſt concipi per modum partis; totum enim includit aliquid præter unam partem: ſed bonum v. g. nihil includit quod non ſit bonitas, ergo bonitas non poteſt concipi ut pars boni.

Excipe 3. Quantitatem, veræ enim ſunt iſtæ propoſitiones, in quibus concretum de abſtractis prædicatur, v. g. *linea eſt quanta*,

ta, superficies est quanta &c. & *Ratio est*, *tum* quia ex communi loquendi usu illi termini *linea*, *superficies*, usurpantur tam pro concretis, quàm pro abstractis: *tum* quia linea v. g. non tantùm est in mensura substantiæ, sed & ipsa per aliam quantitatem mensurabilis est, quod est proprium quantitatis. Vide S. Th. 5. *Metaph. Lect.* 15.

Regula 3. In accidentibus prædicata superiora de inferioribus prædicantur in abstracto: est certa. Veræ sunt ergo hæ propositiones: *Albedo est color*: *color est qualitas*: *Logica est scientia &c.* & *ratio est*, quia accidentia significant in abstracto solam formam, & nihil aliud extraneum; ex altera parte gradus superior identificatur cum inferiori, & ideo nihil est in prædicato quod non sit in subjecto, &ècontrà, & ideo accidentia de suis inferioribus prædicantur ut totum de toto.

Regula 4. Abstractum substantiale non potest prædicari de alio abstracto substantiali, si ad hujus essentiam non pertinet, & de hac *in quid* prædicari nequit. Falsæ sunt ergo hæ propositiones: *humanitas est risibilitas*: *rationalitas est animalitas*; *animalitas est rationalitas.* Falsæ etiam, cùm abstractum differentiæ prædicatur de abstracto speciei, aut abstractum differentiæ superioris de abstracto differentiæ inferioris, quales sunt istæ: *Humanitas est rationalitas*; *rationalitas est sensibilitas &c.*

Ratio istorum est, quia in prætactis propositionibus ex modo significandi, aut pars de parte, aut pars de toto, aut disparata, seque non includentia prædicantur; nec enim differentia inferior superiorem includit, ut infrà dicetur.

Regula 5. Potest unum abstractum substantiale superius de suo inferiori verè prædicari: veræ sunt ergo hæ propositiones: *Humanitas est animalitas*; *animalitas est corporeitas*, *&c.*

Ratio est, *tum* quia illa propositio: *humanitas est animalitas*, æquivalet huic: *hæc animalitas est animalitas*: sed hæc est vera, ergo & illa. *Minor probatur.* Hæc propositio, *omnis animalitas est animalitas* resolvitur in has: *hæc animalitas* (puta hominis) *est animalitas*: *illa animalitas* (puta equi) *est animalitas &c.* *tum* quia humanitas in abstracto habet aliqua prædicata essentialia quæ illi competunt & quæ prædicari de illa in abstracto possunt: sed tale prædicatum

est

eſt animalitas, cur enim non? *tum denique*, *& à priori*, quia animalitas, ut reliqua abſtracta dicit tantùm abſtractionem formalem, non verò totalem & potentialem, & ideo prædicari de inferioribus poteſt (ſicut albedo, licèt ex modo ſignificandi abſtrahat à ſubjecto, prædicari tamen de ſuis inferioribus poteſt) ergo animalitas reſpectu ſuorum inferiorum ſe habet ut totum potentiale, ergo ſufficientem habet cum inferioribus identitatem, & de illis prædicari poteſt. Si verò animalitas conſideretur ſub abſtractione totali, & ut præſcindens à ſuis inferioribus, ſubibit rationem partis, nec poterit de illis prædicari: & hæc eſt ratio, cur hujuſmodi abſtracta ſubſtantialia in prædicamento directè non ponantur, quia non ſignificant ſubſtantias completas in ſuo genere, ſicut è contrà abſtracta accidentium directè in prædicamentis ponuntur excluſis concretis, & hoc modo eſt intelligendus S. Thomas *in 4. cont. Gent. c. 18.* & *de Ent. & Eſſ. c. 3. & 4.* ubi docet abſtracta ſubſtantialia de abſtractis ſubſtantialibus, v. g. animalitatem de humanitate non prædicari, quia licèt à parte rei non ſint duæ, ſed una res, ut tamen præciſioni, & conceptui ſubſtant, ratio unius non eſt ratio alterius, alioquin ubi eſſet animalitas, eſſet etiam humanitas; ſi ergo animalitas concipiatur ut pars humanitatis, prædicari de hac non poterit. In hoc ergo Syllogiſmo: *Humanitas eſt id quo homo eſt homo: humanitas eſt animalitas; ergo animalitas eſt id quo homo eſt homo*, conſequentia eſt falſa, quia variatur appellatio; in *Majori* enim humanitas ſignificatur præciſivè & ut diſtincta ab animalitate tanquam totum à parte: in *minori* verò humanitas ſignificatur, ut pars ſubjectiva animalitatis.



§. III.



§. III.

De Divisione Universalis in 5. prædicabilia, & de Genere.

Summaria.

1. Divisio Universalis in 5. prædicabilia, bona & adæquata est.

2. Ac generis in species, consequenter univoca dicenda.

3. Quid sit genus, ut est totum potentiale?

4. In ejus definitione principaliter definitur Universalitas, natura verò tantùm connotativè.

5. Respondetur ad objecta.

6. Obtinétque in eâ definitione natura locum generis.

7. Genus diverso respectu & totum & pars est.

8. Genus à materia, & differentiam à forma sumi declaratur.

9. Partes integrantes cum Physicæ, tum Metaphysicæ reductivè tantùm rationem generis participant.

10. Genus differentias non actu, sed potentiâ claudit.

11. Quod etsi Metaphysicè acceptum necessariò plures species requirat, Physicè tamen sumptum in una specie, imò individuo salvari potest.

12. Implicat tamen individuum genericum à parte rei.



I.



Uaritur 1. An, cùm Univerſale dividitur in quinque prædicabilia, videlicet, *Genus*, *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium*, *&* *Accidens*, hæc diviſio bona ſit, & adæquata?

Reſp. affirmativè. Ratio eſt 1. Quia tradita, & recepta ab omnibus retrò Philoſophis: at quæ hujuſmodi ſunt, aut temerariè mutantur, aut inutiliter: Poterant Geogtaphi aliter orbem terrarum, quàm in 4. partes, Africam, Aſiam, Europam, & Americam dividere, ſed hæc diviſio tanto jam tempore recepta, & in tot libros ſparſa mutari ſine magna confuſione non poſſet: ſemper ergo novitas periculoſa, eſto enim boni aliquid afferat, majus tamen ex confuſione eſt malum.

2. Univerſale eſt unum aptum ineſſe multis, tot ergo Univerſalia, quot modi eſſendi; hi verò ſunt quinque: *vel* enim eſt tota eſſentia, & hoc eſt Species: *vel* pars eſſentiæ materialis, & hoc eſt Genus: *vel* pars eſſentiæ formalis, & hoc eſt Differentia: *vel* neceſſariò ad eſſentiam conſequitur, & hoc eſt Proprium: *vel* merè contingenter, & hoc eſt Accidens.

3. Hic numerus optimè rebus, ut à parte rei ſunt, reſpondet; quidquid enim eſt, *aut* eſt forma, *aut* materia, *aut* totum, *aut* proprietas ab intrinſeco & neceſſario, *aut* accidens ab extrinſeco & contingenter.

4. Optimè deſervit fini Logicæ, qui eſt *ſcire & opinari*: ſcientia verò generatur per demonſtrationem, & hæc *aut* per totam definitionem, hoc eſt, genus & differentiam: *aut* per ſolam partem formalem definitionis, hoc eſt, differentiam: *aut* per neceſ-

cessarias proprietates. Accidentia verò deserviunt opinioni & Syllogismo probabili.

Dices 1. Analogum est Universale, quod de multis prædicatur, & tamen nec est genus, nec species &c.

Resp. Analoga deficere à ratione Unitatis, & ideo non *propriè* Universalia esse, sed tantùm *reductivè*.

Dices 2. Individuum Vagum, v. g. *aliquis homo*, est Universale, cùm de multis prædicetur, nec tamen genus, aut species, &c.

℞. Individuum vagum non esse simpliciter Universale, cùm præter naturam communem dicat aliquam, & incertam individuationem, & prædicetur *tum* essentialiter, *tum* accidentaliter, prædicatur enim ut nobis innotescit; sed ratio individualis non innotescit, nisi per qualitates, & accidentia merè extrinseca. Vide S. Th. *1. p. q. 30. a. 4.*

II. *Quæritur 2.* An hæc divisio sit Univoca?

Resp. Hæc divisio est generis in suas species, adeóque univoca.

Ratio est, quia omnibus 5. prædicabilibus æqualiter convenit esse Universale, hoc est, esse unum in multis: quamvis enim accidens non identificetur subjecto, & contingenter illud afficiat, verè tamen multis contingenter inest, & prædicari de multis potest. Ipsum verò Universale *ut sic* licèt sit genus, dividi tamen in genus potest, quia Universalitas gradus habet, potéstque aliquid esse alio Universalius. Dividitur ergo ut genus generalissimum in genus minùs generale; & cùm sit intentio transcendens, non est mirum, si imbibatur in membris dividentibus, suísque differentijs, non quidem secundùm totam latitudinem, & potentiam suæ universalitatis, sed secundùm partem; differentia enim v. g. est Universale, sed limitatè, non cum illa plenitudine, & indifferentia, quas habet Universale *ut sic*.

III. *Quæritur 3.* Quid sit Genus ut est totum potentiale?

Resp. Genus ut est totum aliquod potentiale, bene definitur, *id quod prædicatur de pluribus specie differentibus in Quæstione Quid*

 est.

est. Vel adhuc magis essentialiter : *quod est aptum inesse pluribus specie differentibus.* Per hanc definitionem genus distinguitur ab individuis, quæ de pluribus numero non prædicantur : à specie, quæ prædicatur de pluribus numero tantùm : à differentia, quæ prædicatur essentialiter quidem, sed per modum adiacentis, & ideo in quale quid : à proprio & accidente, quæ prædicantur in quale tantùm.

Obijcitur 1. Etiam differentiæ genericæ prædicantur de pluribus specie differentibus, non ergo solum genus.

℟. Differentias genericas prædicari in Quale, nec hoc habent præcisè ut sunt differentiæ.

Obijcies 2. Nihil potest definiri nisi per species, quæ sola est totum : sed genus non est species, ergo.

℟. Genus esse speciem Universalis, & ut sic definiri, éstque totum potentiale continens species: animal v. g. ut est natura substrata genereitati, est genus, quia de pluribus speciebus prædicatur, & est species subalterna, quia constat genere & differentiâ ; idémque dicendum de omnibus generibus subalternis, usque dum venias ad prima genera. Ipsa verò secunda intentio seu genereitas, quam vocamus *Genus formaliter sumptum* sive *ut Quo*, est absolutè species Universalis, & denominat naturam sibi substratam genus, quia facit, ut illa de pluribus specie differentibus prædicari possit.

Obijcies 3. Genus prædicatur non tantùm de differentibus specie, sed etiam genere & numero, veræ sunt enim istæ propositiones : *Substantia est genus* ; *Qualitas est genus, &c. Petrus est substantia, &c.*

℟. Cùm dico, *Substantia est genus*, substantia secundò intentionaliter accipitur ; & hoc prædicatum est substantiæ extrinsecum, & accidentale, accidit enim substantiæ, ut sub præcisione concipiatur & comparetur ad inferiora. Animali intrinsecum est esse substantiam sensitivam ; esse verò prædicabile de multis est extrinsecum, & hoc est esse genus. Generi ergo est essentiale prædicari de multis specie differentibus, substantiæ verò aut animali accidit. Hæc itaque propositio, *Substantia est genus*, habet hunc sensum : *Substantia ut genus est genus.* Genera summa prædicantur de

de pluribus genere differentibus, v. g. qualitas de ſono, & colore, non ut ſunt genera, ſed ſpecies ſubalternæ. De Individuis, v. g. *Petrus eſt animal; hoc animal eſt animal*, prædicatur genus non immediatè, ſed mediante ſpecie, quamvis hæc non exprimatur; Individua enim priùs ſpeciem quàm genus participant, & ideo de individuis *ut ſic* non eſt ſcientia, ſed de individuis, ut ſunt ſub ſpecie.

Nota: Per ſecundam intentionem hoc, & alijs locis intelligi denominationem extrinſecam deſumptam ab intellectu, quatenus res vel actu cognoſcitur, vel ſaltem conceptibilis eſt ſine differentijs numericis.

Objicies 4. Pars de toto non prædicatur: ſed genus eſt pars ſpeciei, ergo.

℞. *Diſtinguendo Majorem*; Pars de toto in concreto non prædicatur, nego Majorem, dicimus enim *homo eſt albus, eſt doctus, &c.*

Rurſus. Pars ut pars non prædicatur: pars ut totum prædicari poteſt: tale eſt genus, quod eſt totum potentiale continens in confuſo omnes ſpecies animalis, & conſequenter etiam hominem: & ideo Ariſtoteles *7. Metaph. c. 12.* dicit: *genus eſſe formam ſuarum ſpecierum*, quia videlicet eſt quoddam totum, hoc autem eſt forma partium, & ideo in prædicatione directa genus occupat locum prædicati, tanquam forma ſubjectum determinans & perficiens, quia tamen eſt forma totalis, & ſubſiſtens, nec ſignificatur per modum adjacentis, ideo prædicatur *in quid*, non *in quale*.

IV. *Quæritur 4.* Quid in hâc definitione obtineat locum definiti?

Reſp. Definitum in hac definitione generis eſt Univerſalitas generica, ſive ipſa genereitas, ut connotans naturam ſubſtratam genereitati, ita videlicet ut Univerſalitas ipſa definiatur principaliter, natura verò connotetur tanquam fundamentum ipſius Univerſalitatis.

Nota ex ſupra diſputatis, Univerſalitatem nihil aliud eſſe, quàm ipſam realem relationem ſimilitudinis, quâ homo v. g. in gradu animalitatis convenit cum equo, & leone, &c.

Ratio est 1. Quia concretum accidentale principaliter & unicè significat formam accidentalem, subjectum verò tantùm connotativè, adeò ut album v. g. idem significet, quod albedo, hoc est, ipsam formam, connotando tamen subjectum in quo est: sed genus est concretum accidentale ex natura, & Universalitate, ergo genus principaliter significat genereitatem non naturam, ergo genereitas est quæ definitur, non natura, nisi tantùm indirectè & connotando.

Minor probatur. Quia genus duo dicit, naturam videlicet animalis & ejus Universalitatem, hoc est, relationem convenientiæ cum homine & bruto: natura verò animalis, & relatio similitudinis pertinent ad diversa, & distincta prædicamenta; ergo ex illis resultat ens per accidens, quod videlicet & rebus & nominibus diversorum prædicamentorum significatur.

Major probatur, tum auctoritate S. Thomæ *5. Metaph. Lect. 9. & in 1. d. 18. q. 1. a. 2. ad 3. & 7. Metaph. Lect. 6* & præsertim *c. 7. de Ent. & Ess.* & Aristotelis *c. de subst.* ubi expressè, *Nomen albi*, inquit, *nisi qualitatem nihil significat: tum*, quia significare nihil aliud est, quàm rem alteri explicare seu exprimere; illud ergo principaliter significatur, quod principaliter & maximè explicatur, seu exprimitur: sed in concretis accidentalibus sola qualitas est, quæ explicatur, sola quæ exprimitur, sola quæ sui imaginem, & conceptum in mente pingit, subjecto latente; cùm enim audis hanc propositionem, *Album est coloratum, album currit, &c.* scis de qua qualitate mentio fiat, nescis de quo subjecto, hoc ergo non explicatur, ergo nec principaliter significatur. *Tum* quia tota definitio concreti accidentalis cadit supra formam accidentalem, non verò supra subjectum ejus; si enim definias album, dices: *Album est corpus coloratum disgregans visum*: ubi non ipsum corpus definitur (definiretur enim idem per idem) sed sola qualitas albedinis: si ergo sola qualitas definitur, ergo sola significatur, res enim definiuntur, prout nominibus significantur. *Tum denique* quia hæc Propositio, *Petrus est albus*, est merè accidentalis, ergo res significata per illud prædicatum est solùm accidens: quia tamen significatur in concreto, & consequenter per modum adjacentis, modus ipse significandi subjectum in recto importat,

acci-

accidens in obliquo; quod enim significatur, *ut adjacens*, non potest significari, *ut per se stans*, & ideo hæc propositio, *Petrus est albus*, in hanc resolvitur, *Petrus est res habens albedinem*: non ideo tamen hic modus significandi obstat, quò minùs res significata sit sola albedo, adiacere enim, vel non adiacere, sedere, vel stare non mutat rem ipsam, sed tantùm modum & situm rei; & quod verè adiacet, potest significari ut stans, & è contrà, re ipsâ immutatâ, ut patet in hisce duobus terminis: *albedo, humanus*.

2. In hac definitione principale definitum nec est natura v. g. animalis substrata genereitati, nec conflatum ex utroque, ergo sola Universalitas generica, ut connotans naturam. *Probatur Antecedens*: non sola natura, quia naturæ animalis accidit esse genus, & ideo hæc propositio est accidentalis, *animal est genus*: sive enim Universalitas sit relatio rationis, sive relatio realis convenientiæ, sive præcisio mentalis, semper accidit naturæ, non ergo hæc definitio cadit supra naturam, tanquam partem definiti principalem.

Dices. Sensum definitionis esse: Natura v. g. animalis in quantum secundæ intentioni subijcitur, est Universale, est genus, est species, &c. quæ definitiones sunt æquè essentiales ac istæ: *Paries in quantum subijcitur albedini, est albus vel disgregans visum* &c.

Resp. Hâc objectione probari, non solam principaliter naturam, sed & naturam, & secundam intentionem definiri, & hanc principaliter, sicut cùm dicis: *Corpus album in quantum habet albedinem, disgregat visum*: certum est non solum corpus definiri, sed etiam albedinem, & hanc præcipuè, huic enim soli competit disgregare, non corpori.

Deinde huiusmodi reduplicatio est inutilis & vana, facit enim hunc sensum; corpus album est album: genus est genus: quid enim est aliud corpus ut recipiens albedinem quàm album, natura ut subijcitur genereitati quàm genus?

Sed demus has propositiones, nihil tamen evincunt; cùm enim dicis, *Natura ut est genus, est prædicabilis de multis, &c. vel* illa reduplicatio cadit principaliter super secundam intentionem, & formam genereitatis, & hoc ipsum intendimus; *vel* æquè principaliter

liter super naturam & formam genereitatis; ergo non super solam naturam, quod probandum erat: *vel* denique super solam naturam, & tunc negari non potest hanc definitionem merè accidentalem fore, perindeac si hominem definires, *animal doctorabile, aptum sedere in cathedra Petri*: quantumcunque enim reduplices naturam animalis, semper illi accidit posse de multis specie prædicari; subjectum quippe semper est pars compositi accidentalis, ergo semper extra essentiam formæ tanquam suæ comparris, alioquin istæ propositiones, *homo est risibilis: equus est hinnibilis*, essent essentiales, quia æquivalent hisce: *homo ut homo est risibilis*; *equus ut equus est hinnibilis*: nihil ergo reduplicatio subjecti facit ad propositionem essentialem reddendam.

Non etiam definitum principale potest esse totum ex natura & secunda intentione conflatum, quia hoc est unum per accidens, nec potest unâ definitione definiri; sicut nec alia concreta accidentalia.

Deinde. Falsum est, totum hoc aggregatum prædicari de multis specie differentibus; nec enim de homine & bruto alijsque speciebus dici potest, quòd sint genus &c. Vide Cajet. *in c. de genere.* & *in c. 4. de Ent. & Ess.*

3. Definitio generis & aliorum prædicabilium est de rebus ut ad Logicam, non verò ut ad Physicam, vel Metaphysicam pertinent: sed ad Logicam naturæ pertinent, ut sunt prædicabiles, ergo ut tales definiuntur. Patet ergo ex dictis, naturam esse definitum ut *Quod* ex modo significandi; illi enim convenit ut *Quod* definitio generis, in quo exercetur effectus formalis secundæ intentionis: huic verò definitio convenit ut *Quo*.

V. *Objicies* 1. Secunda intentio non est id *quod* prædicatur de pluribus specie differentibus, sed *quo* natura prædicatur; ergo ipsa natura est id, *quod* prædicatur de pluribus specie differentibus, ergo potiùs ipsa natura quàm secunda intentio est definitum. Sicut in hac definitione, *animal rationale*, homo est definitum, quia ipse est animal rationale, non verò *humanitas*, quâ est animal rationale.

Rx. In

℟. In concretis accidentium ex modo significandi ipsum quidem subjectum esse, quod recipit formam accidentalem eamque sustentat, nunquam tamen esse id, quod propriè definitur; cùm enim dico: *album est coloratum disgregans visum*, definitio hæc ad albedinem pertinet, non ad parietem, aut nivem, aut alia subjecta coloris: ipsum tamen subjectum dicitur definitum *denominativè*, quia ipsum est quod accidens sustentat, ipsum in quo albedo, ejúsque definitio effectum suum formalem exercet. Ergo in definitionibus accidentium concretorum non reperitur propriè definitum *Quod* essentialiter, sed tantùm denominativè & definitum *Quo*, seu ratio formalis denominans. *Neque hoc mirum*, quia concreta accidentium perfectè definiri non possunt, sed tantùm imperfectè & cum additione extranei, cùm enim significent formam ut adjacentem, & subjectum ut per se stans, hoc in recto, illa in obliquo significatur; & ideo bene *nota*, quòd res significata per hoc concretum *album* est albedo, sed ex modo significandi adjectivè (qui maximè in prædicationibus attenditur) supponitur in recto pro subjecto, & ideo resolvitur hoc modo: *album est res habens albedinem.* Si velis propriè accidentia definire, termini concreti in abstractos vertendi sunt, sola enim abstracta propriè & rigorosè definiri possunt, hoc est, non miscendo naturam extraneam in recto, sed tantùm in obliquo & connotativè, teste S. Th. *de Ent. & Ess. c. 7.* & *opusc. 42. c. 19.* Si ergo velis propriè album definire, id facies ponendo loco generis gradum communem, & proximum albedinis cum respectu ad proprium albedinis subjectum, aut si hoc ignoratur, cum respectu ad proprium effectum, dicendo: *Albedo est color disgregativus oculi.* Vide S. Th. *c. ult. de Ent. & Ess.* Eodem modo simitas definietur per ordinem ad suum proprium subjectum: *Simitas est curvitas nasi: Catarrhus est defluxio humoris excrementitij ex capite in partes subjectas: Dolor est passio prater naturam sensûs, tactûs potissimùm, ab objecto improportionato producta: Genereitas est Universalitas naturæ essentialiter contrahibilis, &c.*

Objicies 2. Sola est natura v. g. animalis, quæ prædicatur de pluribus specie differentibus, de homine, de bruto, &c. non verò genereitas, ergo sola est natura, cui competit illa defini-

tio; ergo sola & principaliter definitur. Vide S. Th. *4. de Ent. & Ess.*

℞. Solam naturam prædicari de speciebus, quia universalitas & genereitas animalis limitatur & restringitur ab incapacitate subjecti: Sicut enim anima rationalis & intellectiva est in oculo, non ideo tamen dici potest, oculus est organum intelligibile & rationale, ita &c. Licèt ergo genus non prædicetur de speciebus, est tamen ratio formalis, ob quam natura animalis prædicari de illis possit, & ideo genereitas est definitum ut *quo*. Sic species est ratio videndi, ipsa tamen non videtur; sic color est ratio pingendi, ipse tamen non pingitur: & centrum est ratio & causa motûs, nec tamen movetur.

VI. *Quæritur 5.* Quodnam sit genus in definitione Generis?

℞. Naturam habere locum generis; ita ut sensus sit: *Genus est id*, hoc est, *Natura de multis speciebus prædicabilis*: & ratio est, quia in concretis accidentium id quod ponitur loco generis, est subjectum accidentis proprium; *simum* enim definitur *nasus curvus*: *album* definitur *corpus disgregans visum*: & ita perpetuò docent S. Th. & Arist. ille quidem *7. Metaph. Lect. 1. & Lect. 4.* & *de sensu & sensato Lect. 6. c. ult. de Ent. & Ess.* & eleganter *1. 2. q. 53. a. 2. ad 3.* & *opusc. 46. c. 1.* & *opusc. 42. c. 19.*

Et *Ratio est*, *tum* quia in concretis accidentalibus forma significatur adjectivè, ergo subjectum necessariò significatur ut per se stans (quod enim adjacet, stanti adjacet) sed tale est genus, ergo subjectum ponitur loco generis, & in recto: *tum* quia concreta habent modum significandi compositum, ita ut subjectum sit loco materiæ: sed genus sumitur à materia, ergo subjectum ponitur loco generis. Si verò concreta accidentium definiantur in abstracto, proprium subjectum ponitur loco differentiæ, v. g. *Simitas est curvitas nasi*: *genereitas est Universalitas naturæ essentialiter ad plures species contrahibilis*, &c.

Et *Ratio est*, quia sicut cùm dico, *Simum est nasus curvus*, nasus ponitur loco generis, quia est subjectum commune multis alijs figuris quæ eidem subjecto insunt, videlicet rectilineæ & aquilinæ; ita cùm dico: *Simitas est curvitas nasi*: *Genereitas est Uni-*

Universalitas naturæ ad multas species contrahibilis, curvitas & Universalitas subeunt vices generis: respectus verò ad subjectum proprium tenet locum differentiæ, quia per hunc respectum, & simitas distinguitur à curvitatibus aliarum partium, & Universalitas generis ab alijs Universalitatibus: quia tamen proprium subjectum cujuslibet accidentis ferè ignoratur, ideo plerumque accidens in abstracto loco differentiæ definiendum erit per respectum ad proprium aliquem effectum, vel objectum, ut fatetur S. Thomas *c. ult. de Ent. & Ess.* & patet in illa celebri definitione: *Simitas est curvitas nasi*: hæc enim non distinguit simitatem ab aquilinitate, nam etiam hæc est curvitas nasi. Sive tamen definias accidens in abstracto per respectum ad proprium subjectũ, aut effectum aut objectum, semper verum est definiri per respectum intrinsecum, & subjectum vel effectum tantùm connotari, sicque definitionem accidentis in abstracto perfectam esse, quia pertinet ad unicum prædicamentum. Ad Objectionem ergo factam dicendum est, Genus definiri in concreto, & ideo loco generis in ea definitione poni naturam non ut gradum superiorem ad primum prædicabile, sed ut subjectum secundæ illius intentionis.

Dices: Respectus ad proprium subjectum non potest esse differentia ullius accidentis, cùm multa & diversa accidentia eidem subjecto insint, ergo per respectum ad idem subjectum accidentia conveniunt, non differunt, ergo respectus ad subjectum malè ponitur loco differentiæ, calor v. g. levitas, siccitas eidem subjecto, hoc est, igni insunt, esse ergo in igne, vel respicere subjectum ignis non est accidentibus radix differendi.

℞. Multa accidentia eidem subjecto inesse, sed aliter & aliter; igni v. g. aliter levitas inest, aliter calor, &c. levitas enim est in igne ut in elemento & corpore sursum mobili, calor, ut in elemento maximè activo, & transformativo, quæ transformatio maximè fit congregando ea, quæ sunt ejusdem generis, & disgregando ac dissolvendo, quæ diversi generis, ac passum sibi assimilando, & ideo calor definitur, *qualitas activa congregans homogenea, & disgregans heterogenea.* Siccitas ut in cor-

pore ſummè calido, & propriam figuram retinente, alienam verò reſpuente &c. Si ergo velis propriè levitatem v. g. definire, dicendum erit: *Levitas eſt qualitas corporis ſurſum mobilis &c.*

Et *ratio eſt*, quia ignis v. g. quamvis realiter unum, virtualiter multiplicatur, & ideo ſubjectum proprium levitatis non eſt ſubſtantia ignis ſecundùm omnia ſua prædicata, ſed ut eſt corpus ſurſum agitabile, ſic enim reſpondet & proportionatur levitati.

Inſtabis: Meliùs exprimitur differentia accidentis per reſpectum ad proprium effectum quàm per reſpectum ad ſuum ſubjectum, ergo potiùs per effectum, quàm per ſubjectum definiri debet; meliùs enim & formaliùs eſſentia levitatis explicatur, ſi dicas, *eſt qualitas quâ corpus ſurſum movetur*, quàm ſi dicas, *eſt qualitas corporis ſurſum mobilis*; nam & calor eſt qualitas corporis ſurſum mobilis.

℞. Cùm omnis differentia accidentis ſit neceſſariò & eſſentialiter accidens, ſuúmque effectum formalem ſubjecto tribuat, & ut ſic cum ſubjecto proportionetur, longè meliùs & perfectiùs ſubjectum in definitione poni quàm excludi; quia tamen, ut ſæpè dictum eſt, proprium, & ſpecificum ſubjectum ignoratur, ſolus ad effectum reſpectus loco differentiæ ponitur.

VII. *Quæritur 6.* An Genus etiam habeat rationem totius, & partis?

Reſp. Genus alio & alio reſpectu eſt & totum, & pars: totum potentiale, & pars actualis. Quamvis propriè loquendo in toto & compoſito metaphyſico non tam partes reperiantur (hæ ſiquidem diſtinctionem dicunt, mutuamque excluſionem, & ſeparabilitatem) quam gradus magis, minúſve communes. Totum, quia tam ex parte rei ſignificatæ, quàm modi ipſius ſignificandi ſignificat implicite totam ſpeciem, & ideo in ſpecies dividitur, & de ſpecie identicè prædicatur, quod fieri non poſſet, ſi ut pars, & non totum ſignificaretur: animal v. g. dicit totam eſſentiam hominis, ſed gradum ſenſitivi explicitè, rationalis implicitè, quia hunc non excludit, imò includit ut

par-

partem subjectivam, & gradus sensitivi concipitur ut identificabilis cum differentijs, quod est implicitè includere; licèt enim qui concipit animal, non continuò hominem aut alias species concipiat explicitè, concipit tamen implicitè; quia si cognoscit totam animalis latitudinem, cognoscit illam ut identificabilem & contrahibilem ad omnes differentias specificas, & hoc est cognoscere genus ut totum potentiale, non verò ut totum actuale. Est verò pars actualis, quatenus consideratur secundùm id solùm quod explicitè dicit, hoc est partem contrahibilem & actuabilem à differentia. Si ergo genus accipiatur ut pars, non potest prædicari de sua specie; si verò ut totum, hoc est, secundùm ea, quæ dicit explicitè & implicitè, potest: & cùm dicis, *homo est animal*, sensus est, homo est natura sensitiva, quæ ut sic identificari cum bruto & homine potest.

Et *Ratio* est, quia sicut repugnat aliquid realiter esse partem, & realiter totum, ita repugnat concipi aliquid realiter ut partem, & eâdem ratione ut totum; ergo genus ut totum potentiale de specie prædicari potest, non verò ut pars. Eodem modo genus non potest prædicari de differentia prædicatione formali, sed tantùm identicâ, quia differentia licèt realiter à genere non distinguatur, semper tamen ut pars concipitur; hæc ergo propositio formaliter non est vera, *Rationale est animal*. Vide eleganter S. Th. *3. de Ent. & Ess.* & ibi Caiet. & *7. Metaph. Lect. 12.*

VIII. *Quæritur 7.* Utrum genus desumatur à materia, & differentia â forma?

Resp. affirmativè. Ita sæpissimè Aristoteles & S. Thomas, estque commune Philosophorum axioma contra Vasquez. *1. p. q. 19. c. 1.* Intelligi verò sic debet, non quòd genus dicat solam materiam, id enim falsum est; nam animal dicit gradum vitæ sensitivæ, qui est ab anima, & expresse fatetur S. Th. *q. de spirit. creat. a. 1. ad 24.* Sed quia genus dicit naturam ut perfectibilem, perficitur verò natura recipiendo, & patiendo formas, sicut tabula rasa perficitur recipiendo colores: sed recipere, & pati formas pertinet ad materiam: *Rursus* sicut materia est potentia de se indifferens, ut limitetur, & determinetur per formam, ita genus per differentiam. In substantijs simplicibus genus sumi-

 tur

tur non à materia quâ carent, ſed ab eo quod in illis eſt potentialius, & quod magis materiam imitatur, hoc eſt, ab intellectualitate finita & limitata, ac per majorem vel minorem acceſſum ad actum purum; hic verò major acceſſus conſiſtit in majori uniformitate intelligendi, ac ſimplicitate ſpecierum, quæ proinde ſubſtantias ſimplices & Angelicas differentiat. Vide Angelicum *1. p. q. 50. a. 2. ad 1.* In accidentibus genus ſumitur non à materia intrinſeca, quam non habent, ſed extrinſeca & ſubjectis quibus inhærent, qui reſpectus ad ſubjectum, quò latior eſt minúſque perfectus, eò magis fundat gradum genericum.

IX. *Quæritur 8.* An partes integrantes etiam participent rationem generis?

Reſp. Partes integrantes & Phyſicæ, ut anima, forma, pes, manus; aut etiam Metaphyſicæ, ut differentiæ, propriè loquendo non habent rationem generis, ſed tantùm reductivè.

Ratio eſt, quia licèt iſtæ prædicationes, *hæc manus eſt manus: hæc rationalitas eſt rationalitas: hæc ſenſibilitas eſt ſenſibilitas, &c.* ſint eſſentiales, & gradus aliquis communis de minùs communi prædicetur, nihilominus tamen tam ſubjectum quàm prædicatum important naturam incompletam, ergo non habent rationem veræ ſpeciei (quæ eſt totum Metaphyſicum) ergo nec rationem veri generis. Abſtracta tamen ſubſtantialia cùm dicant ſubſtantiam completam, habere poſſunt rationem veri generis & ſpeciei; humanitas enim componitur ex animalitate & rationalitate, ergo eſt vera ſpecies. Sunt tamen qui concedant, partes Phyſicas poſſe genera, & ſpecies eſſe; quamvis enim materia v. g. ſit pars totius, ſi tamen ſumatur in communi, & conferatur cum hac & illa materia, totum quoddam eſt, perinde ac animal. Sed eſt quæſtio parvi momenti, ſicut & illa, An privationes & negationes, an entia rationis eſſe poſſint genera & ſpecies? Poſſunt reductivè: quo enim modo imitantur ens, eo modo poſſunt induere rationem generis. Sic umbræ, ut corpus imitantur, motum, & figuram, & ſpecies habent.

V. *Quæ-*

X. *Quæritur 9.* Quomodo Genus in ſe contineat differentias?

Reſp. Genus continet differentias *non actu, ſed potentiâ.*

Ratio eſt, tum quia aliàs genus eſſet aut æquivocum, aut analogum, ſicut ens quod differentias entis continet: *tum* quia duo oppoſita & contradictoria in eodem ſubjecto eſſent: *tum* quia genus à differentijs abſtrahit, non ergo actu illas habet.

XI. *Quæritur 10.* Utrum Genus poſſit conſervari in unicâ ſpecie?

Reſp. Quamvis genus phyſicè acceptum in unica ſpecie ſalvari poſſit, imò in uno individuo, v. g. tota ratio animalis in ſolo Petro, genus tamen metaphyſicè acceptum, ut totum potentiale ad multas ſpecies referibile eſſe non poteſt, niſi multæ ſpecies aut ſint aut eſſe poſſint; ſi ergo una tantùm ſpecies animalis foret, v. g. homo, nec alia eſſe poſſet, animal non eſſet genus. S. Th. expreſsè in *1. poſter. lect. 12.* & *in 1. d. 19. q. 4. a. 2.*

Ratio eſt, quia genus Metaphyſicè acceptum eſt natura apta in ſpecies plures multiplicari; ſed ſublatis omnibus differentijs etiam poſſibilibus genus hanc aptitudinem non habet, nec enim habet à differentijs, quia iſtæ, ut ſupponis, impoſſibiles ſunt, nec habet ex ſe, quia genus eſt eſſentialiſſimè potentia; hæc verò ex ſe, niſi aliud accedat, non eſt radix multiplicabilitatis; multiplicari enim dicit diſtinctionem, diſtinctio dicit differentiam, & actum: *Rurſus* actualis diviſio reddit quantitatem palmarem v. g. actu multam, ergo potentialis diviſio reddit multiplicabilem; tota ergo ratio multitudinis & multiplicabilitatis eſt ab actu vel exercito vel poſſibili, ergo ſi diviſio in partes nec actu nec potentiâ eſt, nulla ampliùs eſt ratio, & radix multiplicabilitatis.

2. Communicabilitas eſt perfectio boni ut eſt in ſtatu perfecto (prius enim eſt rem ſibi, quàm alijs perfici, & ideo nec animalia, nec arbores generant, niſi jam perfecta; nec eſſentiæ proprietates habent, niſi jam completæ, & ut loquitur S. Bernardus, concha niſi aquæ plena non redundat) ſed genus ut ſic niſi accedat differentiæ, non eſt in ſtatu perfecto, ergo genus ut ſic non eſt radix communicabilitatis, ſed differentia; ergo ſublatis omnibus differentijs ſpecificis redditur omnino incommunicabi-

cabile, & ideo nec est genus: & quamvis etiam forma & differentiæ ut sic sint partes, nec entia perfecta, sunt tamen radix perfectionis; in tantum enim est aliquid perfectum, in quantum est in actu (nec enim perfecta est imago, quæ potest esse, sed quæ est; nec perfecta navigatio, quâ potes in portum appellere, sed quâ appellis) ergo actus est radix perfectionis, non potentia, ergo actus est radix communicabilitatis, non potentia; sed formæ & differentiæ habent essentialem rationem actûs, genus rationem potentiæ, ergo sublatis omnibus differentijs specificis etiam possibilibus genus non est pluribus communicabile.

Dices: Genus à se, non à differentijs habet, quòd sit actu genus; sicut materia à se habet, non à forma, quòd sit actu materia, & potentia, ergo genus sublatis omnibus differentijs jam est perfectè genus, habétque quidquid necessarium est, ut sit radix communicabilitatis.

Contrà. Genus est essentialiter prædicabile de multis per modum potentiæ & partis perfectibilis, non perfectivæ, ergo semper dicit essentialem imperfectionem, ergo ut sic non est radix communicabilitatis; si enim omne illud perfectum dicis, cui nihil in suo genere deest, nihil ampliùs erit imperfectum, quidquid enim est, in suo genere, essentialiter perfectum est; nam si essentialiter perfectum non est, omnino non est: imperfectum ergo dicimus, quod se habet ut perfectibile, & tale est genus ac materia prima, quam dicimus omnium entium imperfectissimam, quamvis in genere materiæ nihil ei desit; & ideo dicunt, materiam non esse bonam, nisi in potentia, nec esse substantiam appetibilem, sed appetentem: forma enim licèt appetat esse in materia, non ideo appetit materiam, quia ab hac non perficitur. Sicut nec pictura est in tabula rasa tamquam in perficiente, sed perfectibili: nec statuarius appetit truncum, ut ab eo perficiatur, sed illum perficiat

3. Nullum genus datur à parte rei, quod habeat unicam speciem, multæ autem species, quæ habent unicum individuum, ut sol, luna, phœnix, singuli planetarum, &c. ergo signum ab ipsa natura habemus, posse speciem in uno individuo salvari, non verò genus in una specie.

Obij-

Objicitur 1. Species ut sit Universale, non requirit plura individua, ne quidem possibilia, ut patet in Angelis ex sententia D. Thomæ; ergo nec plures species ne quidem possibiles.

℞. Multas & magnas esse disparitates inter genus & speciem, & ita malè à specie ad genus argumentum duci. In rerum natura nullum est genus sine multis speciebus, multæ verò species cum unico individuo. Natura per se intendit multitudinem specierum, non verò multitudinem individuorum, nisi propter conservationem speciei. Vide S. Th. *1. p. q. 47. a. 2. & q. 85. a. 3. ad 4.* Ultima naturæ intentio non est ad genera tanquam imperfecta, sed ad species. S. Th. *1. p. q. 85. a. 3.* Non sequitur ergo, ut si species non requirat plura individua, nec genus requirat plures species. Et ratio disparitatis est, quia genus est natura de multis prædicabilis per modum perfectibilis; sed sublatis differentijs specificis nulla ampliùs superest ratio hujus multiplicabilitatis.

Secùs est in specie & differentia specifica, quæ cùm sit actus & forma metaphysica, est ex se radix communicabilitatis & multiplicabilitatis, & si desint individua, cessat quidem multiplicabilitas extrinseca & exercita, non tamen intrinseca & radicalis, & ideo suppositâ sententiâ negantium in Angelis pluralitatem individualem (quam tamen non admittimus) adhuc natura Angelica est species prædicabilis, quia si inadæquatè sub conceptu naturæ & speciei consideretur, est radicaliter communicabilis, quamvis actu communicari non possit ex defectu materiæ recipientis, & materialiter dividentis, & ideo species Angelica assimilatur materiæ primæ rei incorruptibilis, quæ sub una forma intelligitur plenè perfecta, & actuata, nec habet appetitum ad aliam.

Objicitur 2. Demus, nullum præter hominem aliud animal esse, aut existere posse, adhuc posset illa ratio animalis considerari ut genus, & prædicabile ab alijs prædicabilibus distinctum, ergo genus formaliter ut tale non requirit pluralitatem specierum.

Antecedens probatur, quia ratio animalis conciperetur nec ut proprium, nec ut accidens, nec ut differentia in *quale*, nec

ut tota essentia, ergo ut genus, hoc est, ut pars de Petro in quid prædicabilis; & per differentiam perfectibilis seu actuabilis.

R. Animal in data hypothesi fore perfectum genus physicè, quia haberet omnes perfectiones veri animalis, non autem erit verum genus metaphysicè, & logicè, quia non erit pluribus speciebus communicabile; nec etiam erit perfectum, & completum genus in ratione totius potentialis, & ad omnes differentias specificas contrahibilis, quia ut sic pro forma & termino adæquato respicit non unam tantùm, sed omnes differentias, à quibus perficiatur: sicut ergo non est perfecta, & completa harmonia sub una tantùm differentia soni, ita nec genus ut totum potentiale sub una differentia specifica.

Secùs est de natura specifica, hæc enim cùm essentialiter sit completa, non respicit differentias individuales ut essentialiter perfectivas.

XII. *Quæritur II.* An admittendum sit aliquod Individuum genericum?

Resp. Non potest dari à parte rei aliquod individuum genericum, quod sub nulla specie infima sit; v. g. non potest dari aliquod animal quod nec sit homo, nec bos, nec equus, nec piscis, nec avis, &c. nec rationale, nec irrationale, &c.

Ratio est, quia tale animal *vel* haberet aliquam differentiam, per quam ab alijs animalibus distingueretur, *vel* nullam: si aliquam, ergo jam erit in aliqua specie: si nullam, quæro unde oriatur hæc negatio & repugnantia habendi aliquam differentiam? non ab animali ut sic, hoc enim non dicit repugnantiam ad aliquas differentias, & varias operationas præter merè sensitivas; ergo hæc repugnantia aliunde est, ergo jam supponit aliquod principium specificum præter gradum animalis.



§. IV.



§. IV.

DE SPECIE.

Summaria.

1. *Quid sit Species subijcibilis?*
2. *Quâ talis non est Universalis.*
3. *Quid sit Species prædicabilis?*
4. *Distinctio specifica non semper infert inæqualitatem perfectionis.*
5. *Occurritur Objectionibus.*
6. *Eliminatur ea regula, quâ dicitur illa specie differre, quæ prudentum arbitrio notabiliter differunt.*
7. *Regula ad discernendas Species ex differentijs inter Species, & Individua desumenda est.*



I.



Uæritur 1. Quid sit species subijcibilis?

Resp. Species subijcibilis bene definitur: *quæ sub assignato genere per se, & immediatè in quid prædicatur.* Cùm genus definitur per speciem, & species per genus, non committitur circulus vitiosus, quia

 rela-

relativa cùm habeant esse reciprocum, debent etiam habere definitiones reciprocas; nec est vitium, si definitio naturæ respondeat, sed potiùs prima definitionis virtus, maximè cùm aliunde constet, quid sit genus, & ita Species definitur per aliquid notius. Est quidem genus *materialiter* sumptum priùs naturâ, quàm species, quia dicit gradum essendi Universaliorem, & imperfectiorem, *formaliter* tamen ut ad speciem refertur, est cum hac more relativorum simul naturâ.

II. *Quæritur 2.* An species, quâ subijcibilis constituat secundum prædicabile?

Resp. negativè. Ratio est, tum, quia Universale est unum aptum inesse multis; sed species, ut subijcibilis non est apta inesse, aut prædicari de multis, sed illi potiùs inest genus, de eóque prædicatur, nec plura ut plura respicit, sed unum. *Tum* quia prædicari de multis est respicere inferiora (in prædicatione enim directa superius prædicatur de inferioribus) sed species subijcibilis *quà talis* respicit genus, cui subijcitur tamquam superius, ergo per respectum ad genus non constituitur Universalis, & prædicabilis: *Tum denique*, quia prius est esse speciem prædicabilem & Universalem, quàm subjici; hoc enim ex eo est, quòd species sit quoddam prædicatum limitatum, minúsque Universale, quàm genus: species ergo, ut correlativum generis, est subijcibilis, ut verò Universalis non est formaliter subijcibilis.

III. *Quæritur 3.* Quid sit species prædicabilis.

Resp. Species prædicabilis bene definitur, *quæ de pluribus numero differentibus prædicatur in eo quod quid est.* Hæc definitio propriè convenit speciei infimæ, non subalternæ, hæc enim sola constituit secundum prædicabile, & à reliquis prædicabilibus distinguitur, significat enim totam naturam, & essentiam inferiorum, de quibus etiam prædicatur in quid completè. Explicatio hujus definitionis patet ex ijs, quæ de genere dicta sunt.

IV. *Quæritur 4.* An ea, quæ specie distinguuntur, sint semper inæqualis perfectionis? ℞. *Probabiliorem esse negativam.*

Ratio est, quia nulla repugnantia apparet, ut duo sint specie distincta, & tamen æqualis perfectionis; esto enim species

A

A. non habeat omnem perfectionem, quam habet species B. poterit tamen habere perfectionem æquivalentem, quid enim hic implicantiæ? & patet in moralibus: pretium auri non est pretium argenti, & tamen potest argento aliqua perfectio vel ab arte, vel à nostro argento accedere, per quam æquivaleat auro. Sic gravitas, & levitas sunt distinctæ qualitates, & tamen possunt ita attemperari, ut æquentur, & quantùm una deprimit, tantùm altera attollat, corpore æquilibrato, nec in unam magis, quàm aliam partem pendente. Sic voluntati duo specie distincta motiva & rationes proponi possunt, quæ tamen sint æqualis perfectionis, quibus ad amandum, & non amandum invitetur, ad bellandum, & non bellandum, quo casu voluntas in æquilibrio stabit, nec magis in unam, quàm aliam partem inclinare poterit; ergo in his & similibus casibus una species non habet quidem omnem perfectionem alterius speciei, sed tamen habet æquivalentem, & ideo neutra in operando vincit, aut vincitur.

2. Tres personalitates divinæ specie distinguuntur, & tamen nulla illarum est perfectior; licèt enim Pater non sit Filius, habet tamen perfectionem, quæ Filiationi æquivalet: si hoc in relativis fieri potest, cur non in absolutis? si enim probatum semel est, non repugnare dissimilitudinem æqualitati, nulla ampliùs nec in relativis, nec in absolutis assignari ratio potest, cur species dissimiles æquales esse non possint.

3. Esse aliqua specie distincta, est essentialiter esse dissimilia: sed non repugnat, quæ sunt dissimilia esse æqualia, duo enim parietes albus & niger sunt dissimiles, & tamen possunt æquales esse, hoc est, æquè magni. pulchri, solidi, &c.

4. Esse perfectum est distare à non ente (quo enim plures gradus entis res aliqua habet, eo perfectior est) ergo esse æqualiter perfectum, est æquè distare à non ente ac aliud, sive tot gradus entis habere, quot alia res habet: sed non repugnat duas species maximè diversas æqualiter à non ente distare, & consequenter æquales esse, ut patet in polo arctico & antarctico, qui æqualiter à centro mundi & linea æquinoctiali distant: eo-

 dem

dem modo duæ species æqualiter à non ente distare possunt, quo casu æqualiter erunt perfectæ.

5. Plerumque concipimus res aliquas esse specie distinctas, v. g. dulcedinem & albedinem, nihil determinando aut cogitando, an sint æqualis, vel inæqualis perfectionis, ergo species ut species non dicit inæqualitatem, unde ergo hæc oritur? Sicut enim quia homo est essentialiter rationalis, implicat hominem concipi non conceptâ rationalitate; ita si albedo & dulcedo, hoc ipso quòd sunt species distinctæ, sunt essentialiter inæquales, implicabit concipi ut duas species, & non concipi ut inæquales.

6. Duæ species diversissimæ possunt æquare perfectionem tertiæ alicuius speciei, ergo & una species hoc poterit.

Consequentia probatur, potest enim una species duabus æquivalere, ut patet in anima rationali, respectu vegetativæ & sensitivæ: & cùm duæ species æquè à tertia distinguantur, quàm prima à secunda, non est ratio cur duæ species possint tertiam æquare, & non etiam una aliam.

Antecedens probatur, quia numerus ternarius & quinarius sunt numeri ab octonario distinctissimi, & tamen æquales perfectione sunt, duæ enim illæ numeri species conjunctim tot habent Unitates, quot habet octonarius.

7. Annus præteritus & annus præsens sunt species durationum distinctæ (duratio enim præsens à præterita distinguitur sicut esse à non esse) & tamen æqualis sunt perfectionis, cùm æqualem perfectionem ab æternitate divina participent, illíque æqualiter coëxtendantur; dic enim mihi quid plus perfectionis habeat duratio horæ hesternæ, quàm hodiernæ? possunt ergo duæ perfectiones creatæ æqualiter participare divinam naturam, & tamen dissimiles esse, quia alio & alio modo participant; alio rosa, alio lilium, alio color flavus, alio viridis, æqualiter tamen: sicut ex eodem fonte æqualiter aquam duo haurire possunt, & tamen dissimiliter, alius vid. manu, alius ore, alius conchâ: & duæ lineæ æquales ab eodem centro, sed tamen dissimiliter, alio Orientem, alio Occidentem versus; ita duæ perfectiones æquales, & tamen dissimiles ab eodem Creatore.

8. de-

5 *Denique*, esse æqualem alteri perfectione non est habere unam eandémque perfectionem, sed potiùs distinctas, nihil enim sibi æquale est: ergo æqualitas dicit, non excludit distinctionem, ergo nec excludit differentiam, ergo nec excludit dissimilitudinem, ergo æqualitas in essentia non excludit dissimilitudinem in essentia, ergo æqualitas in essentia non excludit distinctionem specificam, quæ nihil aliud est quàm dissimilitudo in essentia. Non ergo repugnat duas naturas æqualis esse, & tamen dissimilis perfectionis.

V. *Obijcitur* 1. Species sunt sicut numeri; sed hi sunt perfectione inæquales.

℞. Retorqueri Argumentum posse; ostendimus enim suprà, posse numeros specie distinctos æquales esse.

Deinde species numeris comparantur non in omnibus, sed in hoc, quòd nec numeris addi aliquid demíque, nec speciebus possit. Disparitas verò in eo est, quòd numeri essentia constat ex unitatibus, & distinctio numeri ex eo, quòd plures, aut pauciores unitates habeat, & ideo si duo numeri æquales unitates habeant, non distinguuntur Specie. Distinctio verò entium specifica non in hoc consistit, quòd una species plures gradus entis habeat, quàm alia, sed quòd notabiliter diversos: diversitas verò specifica potest consistere cum æqualitate graduum: sicut v. g. calor ut quinque, & frigus ut quinque sunt qualitates specie distinctæ, salvâ graduum æqualitate.

Obijcitur 2. Quæ sunt æqualia, commensurari possunt: sed quæ sunt diversæ rationis, non possunt commensurari, ergo nec sunt æqualia: cùm ergo species distinctæ sint diversæ rationis, non possunt æquales esse.

Major est certa, *minor* æquè: ideo enim ulna panni cum libra ferri, aut mensura vini commensurari, aut eidem mensuræ subesse non possunt, quia non sunt ejusdem rationis; nam in panno longitudo, in ferro pondus, in vino multitudo spectatur.

℞. Si hoc Argumentum aliquid probet, evincere species distinctas nec æquales dici, nec inæquales dici posse,

inæ-

inæqualitas enim ex commensuratione dicitur, & ideo ulna panni libræ ferri nec æqualis nec inæqualis est, quia non commensurantur, nec sunt ejusdem rationis: mensura verò vini est amphoræ vini, aut aquæ inæqualis, quia eiusdem sunt rationis, cùm in hisce liquoribus multitudo in mensuram cadat. Sicut ergo aqua & vinum sunt liquores distinctæ & diversæ rationis, & tamen commensurari & æquales esse possunt, quia in illis metimur quantitatem molis; ita duæ species distinctæ æquales esse possunt, quia in illis metimur quantitatem perfectionis: potest verò æqualis esse perfectio, licèt diversa & dissimilis entitas, quia ut suprà diximus, æqualitas non excludit dissimilitudinem. Et licèt aquila v. g. non habeat gradus entis, quos habet phœnix, potest tamen habere alium, aut alios gradus entis, qui conjuncti æquent perfectionem phœnicis: sicut in numeris & pretijs metallorum patet. Et dari etiam aliud exemplum potest in caloribus solis & ignis; calor enim solis non habet activitatem caloris ignei: possunt tamen uniri tot gradus caloris, & radiorum à sole, ut tandem æquent calorem igneum.

Obijcitur 3. Experientia; videmus enim omnia, quæ specie distinguuntur, inæqualis etiam perfectionis esse.

℞. Mirum esse, si possis inæqualitatem in omnibus speciebus ostendere: quænam inter colores? inter pisces, volucrésque omnes? musca volat, formica repit, sed formica in hyemem providet, muscâ negligente. Pulchrior pavoni pluma, turpior lusciniæ, sed cantu præcellit, nec tamen, ut pavo prævidet tempestates. Quis elephantem leoni præferat, aut hunc elephanti? ergo in omnibus cum elementis tum corporibus mixtis perfectiones miscentur imperfectionibus, ac invicem compensantur, ut temeritas sit dicere, hoc perfectius illud imperfectius esse: priùs ergo probanda, & ostendenda est omnium specierum inæqualitas, quàm asserenda, & axiomatis instar proponenda.

Obijcitur 4. Demus species leonis, & tauri esse æquales, v. g. *perfectas ut quatuor*, ergo differentiæ specificæ rugibilis & mugibi-

gibilis non ſunt primò oppoſitæ, ſed ut differentiæ conveniunt in gradu æqualitatis, & perfectionis.

℞. Differentias quâ ratione dividunt genus, ſemper oppoſitas eſſe; ſicut enim albedo ut octo, & nigredo ut octo ſunt primò diverſæ, imò quo utrimque magis intenduntur, & intenſione magis æquantur, eò ſibi magis opponuntur, magis enim albedini ut octo opponitur nigredo ut octo, quàm ut quatuor, quia quò intenſior, eò magis à ſuo contrario diſtat: ita rugibile & mugibile quâ ratione dividunt animal, primò ſibi opponuntur, non verò dividunt, ut habent rationem entis, aut materialis, aut æqualitatis, ſed ut dicunt taleitatem animalis, & ut ſic primò ſibi opponuntur.

Objicies 5. Lineæ in circulo æquales ſunt, quæ à centro æqualiter diſtant, ergo etiam ſpecies æquales ſunt, quæ æqualiter à non ente & primo ente diſtant; ſi ergo leo & taurus v.g. ſunt ſpecies æquales, ergo æquè à primo ente diſtant, ergo æqualiter primo enti aſſimilantur, ergo non erunt diverſæ, & diſſimiles ſpecies, ergo nec diſtinctæ; illa ſiquidem ſpecie diſtinguuntur, quæ habent naturam diſſimilem: ſicut ergo duæ imagines Cæſaris, ſi Cæſari æqualiter ſimiles ſunt, ſunt etiam ſibi æqualiter ſimiles, ita duæ naturæ, ſi æqualiter à primo ente diſtant, aut potiùs æqualiter ad primum ens accedunt, æqualiter primo enti ſunt ſimiles, ergo & ſibi: & ſi ſibi ſunt ſimiles, non ſunt ſpecies diſtinctæ.

℞. Poſſe duas imagines æqualiter diſtare, aut æqualiter accedere ad ſuum exemplar, & tamen ſibi diſſimiles eſſe, quia non totum exemplar referunt, ſed aliam & aliam ejus partem: ſicut ſi una imago Cæſarem ut militem in equo, alia ut Imperatorem in throno exhibeat, utraque imago æqualiter ad Cæſarem accedit, & tamen diſſimilis eſt; ita duæ ſpecies diſtinctæ poſſunt duas æquales in Deo perfectiones participare, & tamen virtualiter diverſas, & ideo diſſimiles ſibi eſſe; nam, ut ſæpe dixi, æqualitas non excludit diſſimilitudinem.

Objicitur 6. In accidentibus æqualitas & ſimilitudo diſtinguuntur, quia æqualitas eſt quantitatis, ſimilitudo qualitatis, at non in eſſentia, quia tam æqualitas, quàm ſimilitudo fun-

datur in natura, & ideo idem eſt, æqualis eſſe & ſimilis naturæ.

℞. Negando etiam in ſubſtantijs eandem rem eſſe æqualitatem, & ſimilitudinem: in divinis ſunt æquales, ſed diſſimiles relationes: in creatis ex diverſitate naturarum & operationum colligimus earum inæqualitatem, ergo aliud eſt diverſitas, aliud inæqualitas: differentiæ individuales ſunt diverſæ, & tamen æqualis perfectionis. Dicuntur ergo ſpecies & naturæ æqualis perfectionis, quæ æquè ad divinam perfectionem infinitè imitabilem accedunt: diſſimiles verò, quæ aliter & aliter, diversíſque operationibus; ſicut enim diverſis vijs æqualiter ad urbem aut portum accedi poteſt; & per infinitas lineas æqualiter ad idem centrum, & tamen ſibi oppoſitas; ita Deus æqualiter, & tamen diverſis, ac oppoſitis modis in creaturas derivatur. Dici etiam poteſt, exceſſum aut æqualitatem perfectionis, de quo agimus, eſſe majorem, aut æqualem conducentiam rei in ordine ad bonum Univerſi, ob quam unum eſt alio magis appetibile, unde etiam magis patet, poſſe duas ſpecies æqualiter perfectas eſſe, quia æqualiter conducunt ad bonum Univerſi, ſicut aqua & ignis, cor & cerebrum, polus arcticus & antarcticus, color viridis & flavus, &c.

VI. *Quæritur 5.* Quæ ſit Regula diſcernendi, aut inveniendi diſtinctionem ſpecificam?

Reſp. Non placet illa regula, quæ communiter afferri ſolet ad diſtinguendas ſpecies, ea videlicet ſpecie differre, quæ arbitrio prudentum notabiliter differunt, & ideo v. g. phœnicem, & aquilam eſſe ſpecie diſtinctas aves, quia notabiliter differunt.

Ratio eſt 1. Quia hoc ipſum quæritur, quid ſit notabiliter differre? quod enim tibi notabilis & magna differentia, alteri parva & contemnenda videbitur.

2. Si notabilis & ſpecifica differentia arbitrio prudentum taxanda, & æſtimanda eſt, ergo aſſignandum eſt aliquod fundamentum, & ratio prudentialis, quæ prudentes moveat ad judicium ferendum de ſpecifica diſtinctione (nec enim prudentis eſt ſine ratione, & momentis rerum judicare) de hoc ipſo au-

autem fundamento & ratione judicandi quærimus, quænam illa sit?

3. Si notabilis differentia ex accidentibus petenda est, quàm multa hominum individua specie different, v. g. vir, & mulier, Æthiops, & Europæus, Pygmæus, & Gigas? Si verò notabilis differentia non est ex accidentibus petenda, unde constat aquilam specie à columba differre? color enim, velocitas, magnitudo sunt mera accidentia: esto enim in aquila certæ accidentium series notentur, quæ aquilæ semper adsunt, nunquam columbæ, & hinc colligi, esse in aquila gradum aliquem specificum, cui illa series debeatur, non in columba, idem de individuis hominum dici poterit, esse v. g. in Æthiopibus, in mulieribus certam seriem accidentium, quæ his solis, & nullis alijs adsint, ergo esse in illis gradum aliquem naturæ specificum, cui illa series debeatur: & si tu varia Æthiopum & mulierum accidentia temperamento, aut genituræ adscribas, idem ego de aquila, & columba dicam; & discrimen assignandum erit, cur accidentia aquilæ, v. g. velocitas, perspicacia, plumarum simplex coloratura, rostri & falcularum aduncitas, &c. arguant distinctionem specificam, & non accidentia in Æthiope & muliere reperta, quæ tamen nec numero nec varietate minora sunt. Audi quæ Plinius *l. 7. c. 1. & 2.* alijque de varia hominum natura scribunt, & judica, an distinctio specifica ex notabili accidentium differentia peti possit.

Quis, inquit, ***Æthiopas antequam cerneret credidit? aut quid non miraculo est, postquam in notitiam venêre?***

In convalle magna Imai montis silvestres vivunt homines aversis post crura plantis, eximiæ velocitatis, passim cum feris vagantur: hi in alio non spirant cœlo, adeóque ad finitimos reges trahi non possunt. In Albania gignuntur quidam glaucâ oculorum acie, à pueritia statim cani, qui noctu plus quàm interdiu cernunt. In Africa gens Psyllorum est, quorum corporibus ingenitum virus exitiale serpentibus, ut cujus odore eos sopinnt; liberos genitos eorum sævissimis objiciunt, qui si non fugiant, partus pro adulterino est. In eadem Africa familiæ sunt

quædam effaſcinantium, quarum laudatione commendata intereant, areſcant arbores, emoriantur infantes.

In Triballis & Illyricis ejuſdem generis ſunt, qui viſu quoque effaſcinent, interimántque quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis, in quorum ſingulis binas pupillas habent, mergi non poſſunt, ne veſtibus quidem degravati. Pyrrho Regi pollex in dextro pede lienoſis tactu medebatur, nec cremari cum reliquo corpore potuit. Gymnoſophiſtæ Indorum Philoſophi ab exortu ad occaſum perſtant ſolem contuentes immobilibus oculis, totúmque diem ferventibus arenis alternis pedibus inſiſtunt. In multis autem montibus genus hominum capitibus caninis ferarum pellibus velantur; pro voce latratum edunt, unguibus armantur, horum ſupra centum viginti millia fuiſſe Cteſias ſcribit. Sunt & Monoſceli, quibus ſingula tantùm crura, mira velocitas ad ſaltum: in majori æſtu humi jacent reſupini, umbráque pedum ſe protegunt, hinc Sciopodes vocantur. Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis Aſtomorum gens degit ſine ore, halitu tamen vivunt & odore, quem naribus trahunt: nullus illis cibus, nullúſque potus: tantùm radicum, florúmque varios odores & ſilveſtrium malorum hauriunt, quæ ſecum portant longiori itinere, ne deſit olfactus: graviore paulò odore exanimantur.

De Pygmæis Cteſias, Ariſtoteles, Plinius hæc tradunt, nigro corpore eſſe: qui maximi ſunt, duos cubitos, reliqui & plerique dimidium longitudinis habent: barba in ſinum demiſſa, capilli infra genu: his dorſum, barbâ pectus pedéſque, reliquum corpus pilis ſponte enatis involvunt, nec alia veſtis; anno ætatis quinto jam gignunt: caſas luto penníſque, & ovorum putaminibus ſtruunt: ſagittis armantur, quas & peritiſſimè jaciunt, arietum caprarúmque dorſis inſidentes, veris tempore univerſo agmine ad mare deſcendunt cum gruibus pugnaturi, & ova pullóſque earum alitum conſumunt: ternis expeditionibus hoc bellum conficitur, non aliter gruum abundantibus copijs pares futuri: lepores & vulpes non canibus, ſed corvis, milvis, cornicibus & aquilis venantur: oleo ex ſeſamo, nucibus, ex lacu quodam vivunt, qui octingenta ſtadia complexus, cùm ven-

ventis non agitur, oleum supremis aquis infusum egerit. *Hæ*, inquit Plinius citatus, *atque alia ex hominum genere sibi ludibria, nobis miracula ingeniose fecit natura.* Consideret jam cui lubet, an non major magísque notabilis accidentium differentia inter Pygmæos reliquósque homines intercedat, quàm inter aquilam, & columbam; & tamen aquila specie à columbis distinguitur, non tamen Pygmæi à cæteris hominibus, non ergo notabilis dissimilitudo character est distinctæ speciei.

4. In multis reperitur notabilis differentia, quibus tamen una species est: econtrà nulla notabilis differentia apparet, ubi tamen certum est species distingui, ergo malè assignatur regula distinguendarum specierum.

Antecedens probatur. Ossa v. g. & sanguis magis notabiliter inter se differunt, quàm aqua & terra, aquila & columba, & tamen ossa & sanguis specie non distinguuntur, cùm in homine eâdem formâ & secundùm eundem gradum informentur, in Thomistarum, aliorúmque sententia, formas partiales abdicantium. Colores apparentes in iride v. g. tersáve crystallo, æquè notabiliter differunt ac veri colores (quid enim minus habent, quàm quòd faciliùs vanescunt?) & tamen specie non distinguuntur, cùm illorum forma sit unica lux in corpore diaphano variè fracta.

Econtrà certum est, omnes numeros v. g. septenarium, & octonarium specie distingui, & tamen non differunt notabiliter, quia unâ tantùm Unitate; hæc verò differentia tam parva est, ut minor esse non possit. Sic etiam figura ovalis specie à rotunda distinguitur, & tamen adeò notabiliter non differt, ut discerni à rotunda vix possit.

5. Differre notabiliter videtur idem esse, quod differre in prædicato præcipuo, vel nobilissimo; & differre non notabiliter idem quod non differre in prædicato præcipuo: sed multa differunt specie, quæ tamen non differunt in prædicato præcipuo, ergo non differre in prædicato præcipuo non est nota ejusdem speciei. *Minor probatur*, quia Angeli non differunt in prædicato præcipuo, quod est *esse intellectuale*: nec bruta in prædicato præcipuo, quod illis est *esse sensitivum*: nec sensationes in prædicato præcipuo, quod est *esse cognoscitivum*; & tamen hæc omnia specie distinguuntur.

VII. Ut ergo certa regula discernendis speciebus constituatur, aliquæ differentiæ inter species, & individua notandæ sunt.

Prima est, quòd species pertineant ad perfectionem essentialem Universi, non verò individua. S. Th. *2. contr. Gent. c. 84.* tolleretur enim Universo aliqua perfectio, si tota species aquilarum interiret, non si aliqua individua; & ideo providit natura, ut species essent perpetuæ, individuis omnibus pereuntibus.

Ratio est, *tum* quia sicut tota perfectio artis, & ingenium artificis in forma & figura est, non autem in materia, subjectóque artis, quamvis si pretium materiæ accedat, tantò pulchrius fuerit opus, non tamen tantò artificiosius; subinde enim ex vilitate ac parvitate materiæ artificium crescit, quale fuit Ilias Homeri in nuce scripta, Callicratis ex ebore formicæ, & alia tam parva animalia, ut eorum partes cerni ab alijs vix possent, & Myrmecidis quadriga, ac navis, quarum unam musca, aliam apicula pinnis, alisque integerent: & denique Lysippi ex ære Alexandri statua, *quam inaurari jussit Nero, deinde cùm pretio perijsset gratia artis, detractum est aurum.* Plin. *l. 34. c. 7.* Sicut ergo totum pretium, & laus artis in figura est, nec ideo pulchrior, quia in ebore, aut ligno ducta, ita tota perfectio Universi essentialis in speciebus & essentijs est, non verò in specierum individuis, quæ speciei nihil addunt, præter materiam cum respectu ad certam seriem accidentium; sic enim se habent individua ad species, sicut aurum & argentum ad figuram circularem; circulus enim aureus & argenteus solâ materiâ differunt: & quamvis negari haud possit, individua, præsertim hominum, multum conferre ad pulchritudinem Universi (unde enim nisi ab individuis tot artes, scientiæ, virtutum exempla?) ea tamen principaliter reducitur ad differentiam specificam; instrumentaliter verò ad formas accidentales; sicut tota laus pretiúmque picturæ non in colores, aut telam, aut penicillos, sed in Pictorem redit; *tum* etiam quia sublatâ specie tolluntur etiam omnes perfectiones tam accidentales, quàm individuales, quæ speciem comitantur; sublatis verò individuis, sed specie superstite, durat potentia & radix omnium earum perfectionum, aut saltem æquivalentium, quæ post

post certas temporum vices, & quantum pulchræ varietati sufficit, totas erumpunt. Sicut ergo perfectio horti, aut pomarij non ex floribus aut fructibus æstimatur, hi siquidem variant, multisque casibus subjacent, nec semper sunt; sed ex arboribus fructuum feracibus: ita perfectio Universi ex speciebus, quæ novis semper perfectionibus, & individuis abundat, ipsamque inæqualitatem individuorum varietate, utilitate, alijsque maximis bonis compensat; ergo durante specie humanâ nunquam individua deerunt, nunquam ingenia, artes, virtutes, & alia quæ huic Universo ornamento sunt; patet ergo perfectionem essentialem hujus Universi ex speciebus, non individuis esse.

Secunda differentia est, Quodsi ex speciebus naturalibus vel una abesset, quæ saltem in alijs non continetur, Mundus jam non esset perfectus; sicut si perfectæ harmoniæ vel unicum sonum, pulchræ orationi vel unicam partem, corpori humano vel unicum membrum demas, tota istorum perfectio, & symmetria turbatur.

Ratio est, *tum*, quia sicut si speciei partem aliquam adimas, v. g. cervo cornua, corvo plumas, aut cantum lusciniæ, mox evadit defectuosa; ita si Universo species aliqua decedat: quælibet enim species est pars, & membrum Mundi; *tum* quia quæ ad invicem proportionem aliquam & ordinem, ac habitudinem habent, si vel unum absit, mox proportio illa, & pulchritudo defectum patitur, ut patet in sonis, figuris, numeris, &c. sed omnes species & partes Universi mutuam proportionem habent, omnia enim fecit Deus *in ordine, pondere, & mensura*: & Eccles. 28. *Non est minuere neque adijcere, nec est invenire magnalia Dei*, & hinc est, ut ex ungue leonem, & ex vestigijs animal dignoscere liceat, & ex mensura digiti humani propter exactam proportionem totum corpus, ejúsque quantitas deprehendi possit. Sicut ergo pars corporis ad totum corpus exactam habet proportionem, ita pars universi, hoc est, species ad totum Universum; est enim sapientis artificis non solùm partem parti aptare, sed etiam partem toti: & sicut parte corporis sublatâ totum corpus fœdatur, ita specie Universo ademptâ. Hæc verò mutua specierum proportio duobus potissimùm constat: *primò* quòd quælibet spe-

ſpecies Deum, ejúsque bonitatem, & pulchritudinem ſpeciali aliquo modo manifeſtet: deinde quòd homini, quæ hujus Mundi præcipua & dominans creatura eſt, ſpeciali aliquâ ratione deſerviat, ſic corvus v. g. (ut in viliſſima avium exemplum ponam) maximam Dei providentiam oſtendit, qui corvorum pullos à matre in nido deſertos, ejectósque (cùm enim necdum exortis plumis albeſcant, pro alienis habentur) vermiculis paſcit & cœleſti rore: ad trigeſimum & quadrageſimum annum viventes jura conjugij ſervant, uno defuncto, alter viduus degit, caſtúsque: augurijs homini proſunt: cùm per agros gregatim feruntur, ſignum eſt fertiles eſſe, cùm bini, ſterilitatem notant: cùm locum aut provinciam aliquam deſerunt, inauſpicatum ſignum eſt, peſſima verò ſignificatio, cùm vocem glutiunt velut ſtrangulati: ſingultu quodam latrantes ſéque concutientes, ſi continuabunt, ventos, ſi verò carptim vocem reſorbebunt, ventoſum imbrem, ſerenitatem, ſi contra ſolem hiantes manè per arborum ramos plumas aláſque pandunt. Vocem ita mutant, ut 64. vocum differentias exprimant: articulatim loqui edifcunt. Tiberio Principe corvus maturè ſermoni aſſuefactus omnibus matutinis evolans in forum, Tiberium, dein Germanicum & Druſum Cæſarem nominatim, mox tranſeuntem Populum Romanum ſalutabat: *extincto funus celebratum*, inquit Plinius *l. 10. c. 43. innumeris exequijs: conſtratus illi lectus ſupra Æthiopum duorum humeros, præcedente tibicine, & corvis omnium generum*: Sutor qui illum exanimaverat, plebis conſternatione itáque primò pulſus, mox interemptus eſt. Amicitias corvi cum ciconijs colunt, quibus maria transvolantibus duces ſe præbent; inimicitias verò cum noctuis & muſtelis gerunt, iſtis nidos diripiunt, illis ova ſub meridiem abſumunt: Verbenacam ſupinam nidis imponunt, ut ab ijsdem blattas, aliáſque beſtiolas abigant, &c.

En tibi in una & minima avium ſpecie quantum divina providentia, bonitas & ſapientia, & quàm multa caſtitatis, amicitiæ, pietatis documenta homini præbentur! Idem de alijs ſpeciebus dicas, in quibus triplex ordo & proportio ſemper reperitur

ritur, ad Deum, ad hominem, & ad se mutuò. Cùm ergo ideo Mundus conditus sit, ut divinas perfectiones manifestet, idque in certo numero & mensura, certum est, vel unâ specie sublatâ Mundum imperfectum fore, quia minùs quàm antè Deum manifestabit: sicut in temperatissima cithara si vel una chorda rumpatur; sonus & harmonia evadent imperfecta: & in tubis opticis, quibus cœlum & stellas, ac longinqua spectamus, quæque pluribus speculis instruuntur, si vel unicum vitrum desit, jam magnus in instrumento defectus est, nec fini suo perfectè deservit.

Tertia differentia est, Quòd natura primariò intendat generationem speciei eiúsque conservationem, non individui; ideo enim effectus assimilantur causæ, & filij parentibus quoad speciem, non quoad individuationem: ideo remedia providit, quibus species essent perpetuæ, non individua: ideo ubi species sunt incorruptibiles, aut nulla sunt individua, ut in Angelis ex sententia S. Thomæ: aut singula tantùm, ut in Sole, Luna, Planetis, &c.

Quarta differentia, cùm interrogamus, *quid sit Petrus* v. g. respondetur per prædicata specifica tanquam per totam essentiam: cùm verò interrogamus, *quis sit Petrus?* respondetur per prædicata accidentalia & individualia; est doctus, germanus, &c.

Quinta differentia. Individua in omnibus prædicatis suis sunt similia, præterquam in ijs, quæ sunt necessaria, ut forma aliqua sit in certo subjecto, materia, loco, tempore, à certa causa alijsque circumstantijs, quæ propterea vocantur individuantes. Exempli causâ, circulus argenteus & aureus in ratione circuli numero tantùm distinguuntur, non specie, quia respectus & adaptatio figuræ rotundæ ad aurum vel argentum non est necessarius rotunditati ut sit, sed solùm ut in hoc subjecto sit. calefactio ignis & solis specie non differunt, quia esse à sole non est prædicatum soli absolutè necessarium, sed tantùm ut ab hoc, non alio principio fit, oportet enim plures causas calefactivas esse, alioquin quomodo calefacies absente sole? Sic duo homines &c. numero tantùm distinguuntur, quia cùm unus homo non possit semper nec ubique esse, oportuit pro pluribus


locis, & temporibus, & parentibus, &c. plures homines esse: hæc autem adaptatio & respectus ad locum, tempus, causam, &c. fundat differentiam numericam, non specificam, ut etiam patet in divinis, ubi distinctio personarum est tantùm numerica, per respectum ad origines.

Patet jam ergo, quid sit numericè tantùm & individualiter distingui, id enim nihil aliud est, quàm distingui, & dissimilari in prædicatis convenientibus per accidens, & cum adaptatione sive respectu ad certas circumstantias loci, causarum, temporis, subjecti, &c. Differunt verò specificè, quæ in alijs etiam prædicatis formalibus, & per se convenientibus discrepant, qualis est figura ovalis, & rotunda, quæ præciso omni respectu ad circumstantias dissimiles sunt. Sicut verò in circumstantijs, ita in differentijs individualibus datur latitudo secundùm magis & minus; magis enim differunt individua, quæ magis dissimilia sunt; sunt verò magis dissimilia, quæ circumstantijs magis dissimilibus aptantur.

Cæterùm species rerum nobis haud aliter, quàm per respectum ad accidentia notæ sunt; quid aliud enim in aquila vides, quo à columba distinguatur, præter accidentia? & ideo dari hæc regula potest: Illa specie distinguuntur, quæ respectum constantem, nullóque tempore, aut loco variabilem dicunt ad certam acidentium & operationum seriem. Hæc nota characteristica in omnibus speciebus, & extra species non reperitur, ut consideranti patebit.

Aristoteles & S. Thomas sæpè notant, differentiam specificam à forma desumi, non ab ultima formæ differentia: differentiam verò genericam â materia. Sic omnes formæ sublunares sunt ejusdem generis, quia conveniunt in eadem materia successivè ab una in aliam formam transmutabili. Angeli conveniunt inter se genere physico, quia in illis datur compositio, non quidem ex materia & forma, sed ex essentia, & existentia, vel saltem duratione. Deus utpote omnino simplex & extra omnem compositionem, supra omne genus est, nec aliquid potentiæ dicit.

§. V.



§. V.

DE INDIVIDUO.

Summaria.

1. *Variæ acceptiones Individui, juxta quas variè definitur.*
2. *Potest ratio aliqua abstrahi omnibus individuis communis, puta analogicè, non verò univocè.*



I.



Uæritur 1. Quid sit Individuum?

Resp. Individuum variè definitur; ex parte enim subijcibilitatis definitur, *Quod immediatè continetur sub specie.* Ut est prædicabile, *Quod de uno tantùm prædicatur*; Individuum enim de se ipso identicè tantùm, & non formaliter prædicatur, secùs ac species & genus, quæ de suis inferioribus prædicari possunt, non verò Individuum, cujus, utpote ultimi infimíque, nulla sunt inferiora. Aliter etiam Individuum primò intentionaliter sumptum à Porphyrio definitur, *Quod ex proprietatibus constat, quarum collectio nunquam in alio eadem est.*

Hæc autem collectio accidentium hoc versu comprehenditur.

Forma (complexio) figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

Hæc definitio complectitur sola Individua substantiarum, & quidem completarum ex supposito, hæc enim solùm nominantur, &c. Hæc autem definitio videtur descriptiva; sive enim individuatio sit ratio quædam intrinseca ultimò essentiam determinans, sive dicat materiam signatam quantitate, semper illa collectio accidentium pertinet ad connotata extrinseca. Posset quidem supernaturaliter fieri, ut eadem collectio accidentium in duobus individuis reperiretur, maneret tamen inclinatio & exigentia naturalis ad alia & distincta, saltem ad distinctam præsentiam localem. Nomina, quibus specialiter significamus individua substantiæ, sunt hæc; hypostasis, subsistentia, suppositum, persona, prima substantia, res, natura. Nomina verò omnibus individuis communia sunt, singulare, particulare, individuum, hoc, istud, &c. De quibus vide S. Thom. *in 3. Sent. ad Annibald. d. 6. q. un. a. 1. & in 1. d. 26. q. 1. a. 1.* Idem S. Tho. individuum essentialiter sic definit. *10 Metaph. Lect. 11. Quod est indivisum in se, & dividi nec formali divisione, nec materiali potest.* Hæc definitio intelligenda est de divisione adæquata, non verò de inadæquata & in partes: quodlibet enim individuum corporis v. g. aut aquæ in partes heterogeneas, & homogeneas dividi potest, quæ tamen divisio inducit corruptionem totius, nec est divisio individui in individua, sed in partes individui. Quæ verò sit radix individuationis, alibi dicetur. Vide Cajet. *De ent. & ess. c. 2. circa fin.*

II. *Quæritur 2.* An possit abstrahi aliqua ratio, quæ sit communis omnibus individuis?

℞. Posse, sic tamen, ut illa ratio abstracta semper includat aliquam radicem, & notam dissimilitudinis, adeóque sit analogicè tantùm, non univocè communis.

Ratio est 1. Individua omnia definiuntur unicâ definitione, ergo habent unum conceptum communem definibilem, & omnibus adaptabilem.

2. Hic

2. Hic syllogismus est bonus & in *Darij*: *Omne individuum est incommunicabile: Petrus est individuum, ergo est incommunicabilis.* Ergo terminus *ly individui* non est æquivocus.

3. Individua in multis conveniunt, quòd non possint communicari, quòd non sint Universalia, quòd speciem contrahant, & speciei subijciantur.

4. Quia tamen esse individuum intimè imbibitur in rationibus diversificantibus, quia dicit incommunicabilitatem, quia dicit exclusionem alterius, quia collectionem accidentium in alijs naturaliter non reperibilem; ideo ratio individui, quomodocunque sumatur, nunquam evadet perfectè communis; quomodo enim commune, quod est necessariò incommunicabile? ergo ratio individui semper inducit aliquam notam differendi, & supponit pro particularibus, non pro ipsa ratione abstracta, de hac enim falsum est, quòd sit collectio accidentium, &c. Sicut ergo albedo & nigredo sunt qualitates primò dissimiles, in hoc ipso tamen, quòd sint dissimiles, conveniunt; sic individua. Quando igitur individuum de pluribus prædicatur, v. g. Petrus est individuum, Bucephalus est individuum: individuum propriè dicendo ad nullum prædicabile pertinet, quia sola Universalia inter prædicabilia censentur, Universale verò dicit exclusionem individuationis. Reduci tamen potest *tum* ad genus, si de pluribus specie differentibus prædicetur, v. g. Bucephalus est individuum, Petrus est individuum, &c. *Tum* ad speciem, si de pluribus numero differentibus, v. g. Petrus est individuum, Paulus est individuum, &c. *Tum* ad proprium, quia individuum dicit ultimam unitatem, quæ est proprietas entis.





§. VI.

DE DIFFERENTIA.

Summaria.

1. *Quid nominis, & quotuplex sit Differentia?*
2. *Et quid, ut est tertium prædicabile?*
3. *Quod constituit non per ordinem ad speciem, quam constituit, sed per respectum ad inferiora.*
4. *Differentia infima nec genus, nec differentiam* formaliter *continet,*
5. *Quibus semper est perfectior.*
6. *Refutantur, qui negant differentias infimas.*
7. *Non obstante, quòd quædam entia per solam negationem differant, quæ tamen propriè differentia non est.*



I.



Uæritur 1. Quid & quotuplex sit Differentia?

Resp. Differentia nihil aliud est, quàm *forma faciens differre.* Aliud verò est differre, aliud diversum esse. Diversa sunt, quæ in nullo penitus conveniunt: Sic prædicamenta sunt primò diversa. Differunt, quæ in aliquo conveniunt: Sic brutum & homo differunt, quia

quia conveniunt in genere animalis, & discrepant per rationale & irrationale. Quia verò omnis forma faciens differre aut est essentialis, aut accidentalis, & hæc vel separabalis vel inseparabilis, ideo differentia est triplex; *propriissima*, *propria*, & merè *accidentalis*. Differentia individualis revocatur ad accidentalem, quia advenit essentiæ jam completæ & constitutæ, & datur per respectum ad signaturam accidentalem. Videtur tamen ratio differendi respectu differentiæ essentialis, & accidentalis analoga tantùm non univoca esse; sicut enim Essentia dat simpliciter esse, Accidens dat esse secundùm quid, & ideo ex sententia S. Thomæ accidens, & substantia analogicè tantùm conveniunt in ratione entis; ita differenria essentialis tollit absolutè identitatem, & facit *simpliciter* differre: differentia verò accidentalis non tollit simpliciter identitatem, & facit differre tantùm *secundùm quid*.

Aliud est de conceptu prædicabilis, hic enim univocè prædicabili essentiali generico v. g. & accidentali convenit, quia prædicari de multis est prædicatum subjecto applicari, & unum esse in multis, sive unum sine singularibus considerari, quod æqualiter intellectus circa prædicata essentialia, & accidentalia facit: differre autem est effectus realis inæqualiter participatus, & ab intellectu independens; differre enim est absolutè differre, & non secundùm quid: sicut esse album est simpliciter tale esse, & non secundùm dentes.

II. *Resp. 2.* Differentia, quæ tertium prædicabile constituit, bene definitur, *Quæ prædicatur de pluribus specie differentibus in quale quid est.* Ita Porphyrius definivit. In quale quid prædicari denotat non realitatem differentiæ, sed modum prædicandi; differentia enim ut à proprio & accidente distinguitur, ad essentiam non ad qualitatem pertinet: prædicatur tamen in quale, quia adjectivè & connotativè, & quia generi, *ut sic* accidit, sicut forma materiæ; sicut ergo anima, ita rationalitas adjectivè tantùm de homine prædicantur.

Objicitur 1. Hæc definitio pertinet ad species tantùm subalternas, & genericas, non ad infimas & specificas, non ergo est bona.

℞. 1.

℞. 1. Differentias infimas non esse nobis notas; quæ est enim differentia ultima leonis, elephantis? &c.

2. Etiam individua unius speciei ab individuis alterius speciei inter se specie differunt, virtualiter ergo hæc definitio complectitur etiam differentias atomas.

3. Sensus hujus definitionis hic est: differentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid, etiamsi illa plura specie differant.

Objicitur 2. Differentia non habet aliam differentiam, ergo definiri non potest, *Antecedens probatur*, quia daretur alioqui differentia differentiæ, & ita processus in infinitum, &c.

℞. Differentiam, ut est tertium Universale, utique constare ex genere & differentia, est enim Universale, & essentialiter tale Universale, & hæc taleitas differentiæ non potest dari per aliam differentiam essentialem, sed tantùm explicari, aut etiam definiri per proprietates & accidentia: sicut ergo homo definiri potest, imò debet per ens humanum (quale est rationalitas) nec tamen datur processus in infinitum, quia implicitum per explicitum definitur, ita in definitione differentiæ; sicut enim impossibile est differentiam non esse differentiam, ita impossibile est differentiam non definiri per differentiam.

Objicitur 3. Homo differt à lapide per animal, & cœlum differt ab homine per materiam, ergo animal & materia sunt differentiæ, nec tamen prædicantur in quale.

℞. Esse differentias physicas, non metaphysicas.

III. *Quæritur 2.* Quo respectu differentia constituat tertium prædicabile?

Resp. Differentia non constituitur Universalis per ordinem, & respectum ad speciem, quàm constituit, sed per respectum ad inferiora.

Ratio est, tum quia differentia *ut Universalis* respicit plura, & inferiora: sed species habet rationem non plurium, sed unius, nec inferioris, sed æqualis: *tum* quia differentia generi addita, v. g. irrationale additum animali non prædicatur de specie differentibus, nam genus non continet actu species; continet quidem potentiâ, sed hæc continentia potentialis non suffi-

ſufficit ad ſalvandam prædicationem univerſalem, alioquin irrationale prædicari etiam de rationali poſſet, quia hanc quoque differentiam animal in potentia continet. Inferiora igitur, de quibus differentia prædicatur, ſunt inferiora ipſius ſpeciei, v. g. rationale eſt tertium prædicabile reſpectu non hujus vel illius rationalis (cùm enim dico, hoc rationale eſt rationale, non eſt prædicatio, in quale, nec incompleta, ſed in quid & completa) ſed reſpectu Petri & Pauli, de quibus in quale & incompletè dicitur.

Objicitur 1. In hac propoſitione, *homo eſt rationalis*, fit prædicatio tertij prædicabilis, ergo tertium prædicabile immediatè reſpicit ſpeciem, quam conſtituit, non verò individua ſpeciei.

Rurſus. Rationale non immediatè Petrum, ſed hominem & naturam qualificat, ergo natura eſt immediatum correlativum differentiæ ſpecificæ.

℞. Aliud eſſe prædicari, aliud eſſe Univerſale: poteſt æquale prædicari de æquali, ſed non poteſt Univerſale dici tale, niſi reſpectu inferiorum: eodem modo differentia immediatè qualificat ſpeciem, ſed non eſt immediatè Univerſale reſpectu, & intuitu ſpeciei.

Objicitur 2. Differentia prædicatur tum de ſpecie, tum de individuis prædicatione formali, ſpecies verò de ſolis individuis, ergo differentia de pluribus prædicatur, quàm ſpecies, ergo eſt univerſalior, ergo ſpecies reſpectu differentiæ habet rationem inferioris.

℞. Differentiam ſpecificam, quatenus de ſpecie prædicatur, prædicari non ut de inferiori, ſed ut de æquali.

Objicitur 3. Species continet individua, ergo quando differentia ſpecifica prædicatur de ſpecie, virtualiter de pluribus prædicatur.

℞. Virtualem continentiam non ſufficere ad Univerſalem prædicationem, *tum* quia illa virtualis continentia non eſt radix pluralitatis ſed unitatis, nec repræſentat plura, ut plura, (quod tamen ad Univerſale requiritur) ſed plura ut unum *tum* quia etiam genus continet ſpecies, & tamen hoc non ſufficit,

ut hæc prædicatio, *homo est animal*, sit prædicatio specifica.

IV. *Quæritur 3.* An differentia *formaliter* includat genus?

R. ß. Differentia infima non includit *formaliter* genus, neque differentiam genericam, *sive* subalternam; v. g. rationale non includit *formaliter* animal, vel sensitivum. *Formaliter* inquam, nam *realiter* eadem res est animal, & rationale.

Ratio est 1. Formaliter aliquid non esse aliud, nihil aliud est, quàm aliquid perfectè concipi sine alio posse: sed rationale perfectè concipi potest non concepto sensitivo, aut animali; concipitur enim ut radix & principium operationis intellectualis, & discursivæ, quæ realiter distinguitur ab operatione sensitiva: Sicut ergo tota operatio rationalis concipi potest non conceptâ operatione sensitivâ, ita totum principium ratiocinandi non concepto principio sentiendi.

2. Formaliter distingui est formaliter non includi (distinctio enim est exclusio, sicut identitas est inclusio) sed sensitivum & rationale formaliter distinguuntur: illa enim formaliter distinguuntur, quæ virtualiter: illa virtualiter distinguuntur, quæ pluribus realiter distinctis æquivalent: sed rationale & sensitivum duabus formis realiter distinctis æquivalent, animæ videlicet rationali, & merè sensitivæ, si enim in homine duæ formæ & animæ realiter distinctæ darentur, una merè sensitiva, altera mere rationalis, hoc ipsum præstarent, nec plus, nec minus, quàm duæ illæ formalitates realiter identificatæ.

3. Rationalitas, aut includit eamdem animalitatem, quæ ponitur loco generis, aut aliam? non eamdem, quia animalitas, quæ ponitur loco generis, est contrahibilis, est potentialis, est indifferens ad differentias oppositas, quorum nullum cadit in differentiam infimam. Non aliam, quia aliàs in homine duæ animalitates, duo genera conciperentur, cùm tamen unum sufficiat. Imò differentia jam conciperetur ex genere, & differentia esse composita, & ita non ut differentia, sed ut species.

4. Si

4. Si differentia, v. g. rationale eſt formaliter animal, ergo differentia ut differentia eſt radix ſimilitudinis, & convenienti æ(brutum enim & homo in gradu animalis conveniunt) ergo differre eſt formaliter convenire & ſimilem eſſe, quid abſurdius?

5. Per differentiam v. g. rationalitatem illud intelligimus, quo brutum & homo præciſè & formaliter differunt: ſed non differunt formaliter animalitate, nec animalitas eſt principium operationum, quæ ſoli homini, non bruto conveniant.

6. Rationalitas v.g. vel includit ſolum animal, vel inſuper aliquid aliud? ſi ſolum animal, ergo differentia jam erit genus, nec faciet differre: ſi aliquid aliud præter animal, hoc aliquid aliud vel includit animal formaliter vel non? ſi includit, in infinitum proceditur, de hoc enim redibit prima quæſtio: ſi non includit, hoc dico eſſe differentiam, & hoc ipſo apparet genus non includi neceſſariò in differentia, cùm aliqua differentia deſignari poſſit, quæ genus excludit.

7. Tota ratio, ob quam dicitur genus in differentijs includi, eſt, quia differentia, v. g. rationalitas concipi non poteſt, niſi ut ſubſtantia vel non ſubſtantia, ut corporea vel non corporea, &c. ſed nequit concipi ut non ſubſtantia, id enim falſum eſt, ergo ut ſubſtantia, ergo cum aliqua ratione generica: at hæc ratio nulla eſt; nam nec Pater ſine Filio, nec Creator ſine creatura, nec vita ſine aliqua duratione concipi poſſunt, & tamen hæc omnia realiter diſtinguuntur: ſi ergo ex eo capite non deſtruitur diſtinctio realis, quantò minùs rationis?

Deinde nego rationale ſine gradu ſubſtantiæ aut viventis concipi explicitè non poſſe; concipio enim principium radicale ratiocinandi nihil cogitando explicitè de perſeitate, ut experientiâ patet, & in hoc caſu concipio rationalitatem, non quidem negando de illa perſeitatem, ſed abſtrahendo; nam inter eſſe & non eſſe à parte rei non datur medium, datur tamen ex parte cognitionis, quod eſt præſcindere: ſic à parte rei pomum vel eſt dulce, vel non eſt dulce; ex parte tamen cognoſcentis aut etiam loquen-

tis poteſt concipi & pronuntiari pomum, nihil affirmando aut negando de illius dulcedine. Rationalitas ergo non eſt formaliter ſubſtantia, ſed identicè & conſecutivè, imò & ſubjectivè, nec enim poteſt in alio quàm in ente ſubſtantiali reperiri. Cùm ergo differentia *ut ſic* ſit principium differendi tantùm, & non conveniendi, eſt conceptus ſimpliciſſimus, nec *formaliter* in plures & ſuperiores reſolubilis, non ideo tamen eſt actus purus, cùm intret compoſitionem, ſitque ens partiale & incompletum.

Objicitur. Hic Syllogiſmus eſt bonus: *Omnis homo formaliter eſt ſenſibilis, omnis homo formaliter eſt rationalis, ergo aliquod rationale formaliter eſt ſenſibile.*

℞. Ex præmiſſis veris non ſemper oportere, ut concluſio deducta ſit *formaliter* vera, ſufficit, ſi *identicè*, ut patet in hoc Syllogiſmo: *Omne lac eſt album, omne lac eſt dulce, ergo aliquod dulce eſt album. Nec obſtat,* quòd in primo illo Syllogiſmo majori, & minori extremo addatur *formaliter*; non enim neceſſarium eſt omnem modum, & qualificationem præmiſſarum in concluſione repeti, ut patet in hoc, *Omnis homo eſt formaliter rationalis, omnis homo eſt formaliter animal, ergo aliquod animal formaliter eſt rationale*: falſum enim eſt, aliquod animal *formaliter, ut animal,* rationale eſſe, alioquin omne animal eſſet tale. In talibus ergo Syllogiſmis variatur ſuppoſitio, & appellatio; in majori enim & minori *formaliter* appellat ſuper totum hominem, in concluſione ſuper ſolum animal: nam ſi appellat ſuper totum ſuppoſitum, & non ſuper animal ſolum, vera eſt conſequentia, ſed nihil contra nos.

Adverte enim ex S. Thoma, differentiam dupliciter ſumi poſſe, *materialiter* pro omni eo, quod tam implicitè, quàm explicitè dicit, & ita includit genus ac differentias genericas, rationale enim contrahit ac determinat genus per communicationem non ſolùm Unitivam, & informativam, ſicut forma materiæ, ſed etiam identificativam, & ideo quidquid eſt in genere, eſt etiam in differentia, & econtrà.

Si verò differentia *formaliter* accipiatur, hoc eſt, ut formaliter & præcisè facit differre, & prout actuat genus, ſic non includit genus, ſicut nec forma materiam, nec actus potentiam.

Alij

Allij aliter hoc ipſum explicant, dicunt enim, differentiam generis univoci non includere in ſuo conceptu genus tamquam id *quo formaliter eſt*, ſed tamquam id *quod determinat.* v. g. rationalitas non eſt formaliter animalitas, aut ſenſitivitas, ſed determinatio animalis; ſicut ſimitas dicit in ſuo conceptu naſum, quem ad hanc, non aliam figuram determinat.

V. *Quæritur* 4. An differentia ſpecifica ſit perfectior ſuo genere.

Reſp. Affirmativè: ſemper enim eidem addit aliquam novam perfectionem, ſicut omnis Unitas addit aliquam novam perfectionem numero, omnis figura artificialis aliquam perfectionem tabulæ raſæ, aut rudi marmori, & *denique* omnis forma materiæ.

Ratio eſt 1. quia una perfectio creata ſemper minor eſt duabus perfectionibus.

2. Ens indifferens, & potentiale ſemper imperfectius eſt ente determinato & actuato, quia illa indifferentia naſcitur ex privatione, & conjuncta eſt cum motu, & appetitu ad formam, aut perfectionem debitam.

3. Species eſt perfectior genere, tamquam totum reſpectu ſuæ partis, ſed ſpecies formaliter eſt talis per differentiam.

Objicitur 1. Sapientia *ut ſic* eſt nobilior ſapientiâ creatâ, cùm hæc non ſit perfectio ſimpliciter ſimplex.

℞. Eſſe creatum non dicere differentiam poſitivam, ſed tantùm negativam, dicit enim negationem Aſeitatis, æternitatis, & abſolutæ neceſſitatis: ex quo capite volitio libera *ut ſic* eſt perfectior volitione liberâ defectuoſâ & pravâ, quia in ſententia S. Thomæ ratio peccati eſt *privatio recti ordinis ad legem æternam*; nos autem loquimur de differentijs poſitivis.

Accedit, quòd ſapientia non eſt genus, ſed analogum ad creatam & increatam: ſæpè autem ſecunda analogata deficiunt à perfectione primi analogi.

Objicitur 2. Aliquæ ſpecies animalium carent aliquâ perfectione ſenſitivâ, quâ non caret animal *ut ſic*, ergo aliquæ ſpecies animalium ſunt imperfectiores ipſo genere.

Antecedens probatur, quia piſces carent olfactu, talpæ viſu, &c.

℟. Animal *ut sic* non dicere principium proximum omnium sensationum, sed tantùm radicale, quod etiam in piscibus, & talpa reperitur, quibus ex organi, aut materiæ defectu accidit aliquo sensu carere; semper autem melior est radix floribus & fructu abundans, quàm sola: maximè cùm defectum alicujus sensationis aliæ operationes, & proprietates compensent, quæ in piscibus, & talpa reperiuntur.

VI. *Quæritur* 5. Utrum in omnibus speciebus dentur differentiæ infimæ convertibiles?

Resp. Probabilius est, in omnibus speciebus dari aliquam ultimam & convertibilem differentiam, quâ una species ab alia distinguatur, sicut datur in homine; rationalitas enim, hoc est, principium sentiendi cum conversione ad phantasmata est differentia ultima hominis, & cum hoc convertibilis. S. Th. *2. poster. Lect.* 3. & 7. *Metaph. l.* 12.

Fuerunt Philosophi, qui differentias infimas negârunt, hominem v. g. non distingui ab alijs omnibus per hoc, quòd sit rationalis, hoc est, intelligens cum conversione ad phantasmata (id enim etiam Angelis convenire, saltem in sententia plurimorum Patrum, qui Angelos corporeos esse voluerunt) sed per hoc, quòd sit animal *rationale mortale*, ex quibus tamen binis differentijs neutra est ultima, & convertibilis, neutra hominem ab alijs speciebus distinguit, nisi una alteri conjungatur: similiter de alijs speciebus philosophabantur, in quibus definiendis tot volebant differentias conjungi, quot sufficiunt uni speciei ab alijs omnibus distinguendæ.

Conclusionis nostræ *ratio est* 1. quia sicut omnes species habent unam formam, aut animam specie distinctam, sic & unam differentiam: si enim anima bruti v. g. aut se totâ, aut aliquo gradu distinguitur ab anima hominis, ergo aut se totâ, aut aliquo gradu est radix, ex qua homo â bruto differt, ergo aut se totâ, aut aliquo gradu est differentia hominem à bruto distinguens.

2. Nulla est species, quæ non habeat operationes aliquas proprias, quas alia species non habet, ergo oriuntur ab aliquo gradu entis, qui in nullo alio est, & hoc dicimus differentiam ulti-

ultimam, & convertibilem, principium videlicet & radicem propriæ & specificæ alicujus operationis ad nullam aliam speciem pertinentis.

3. Genera à generibus unicâ & convertibili differentiâ distinguuntur, v.g. animal à planta, cur non etiam animal ab animali, planta à planta?

4. Tu dicis v. g. hominem ab alijs omnibus speciebus non distingui unâ tantùm differentiâ, sed pluribus, v. g. per *intellectuale mortale*, sed hoc ipsum est una differentia, conjunguntur enim, & uniuntur, imò identificantur, & ita illud complexum, & simultas est ut unica forma, ita unica differentia: sicut enim corpus, & anima unita faciunt unam simplicem speciem, ita complexum ex intellectuali, & mortali faciunt unicam simplicem differentiam, maximè cùm experientiâ constet, prædicata & gradus entis non temerè, sed ordinatè conjungi, & per modum determinantis, & determinabilis, sicque ad unum reduci; v. g gradus vitæ vegetativæ advenit enti corporeo, hócque determinat, eóque utitur ad operationes & motus vegetabiles, &c. Idem dicas de sensitivo & rationali.

VII. *Quæritur 6.* An utrum ab altero solâ negatione possit differre?

Resp. Negari haud potest, aliqua solâ negatione ab alijs differre. Sic creatura quà talis differt à Deo per solam negationem; omnis enim perfectio ut perfectio in Deo est (perfectio enim ut talis Deo non repugnat, imò maximè convenit, quippe infinitè perfecto: non verò esset infinitè perfectus, si aliqua illi perfectio deesset, multóque minùs si aliqua repugnaret) ergo si in Deo non est, est imperfectio: sed imperfectio est defectus & negatio perfectionis, ergo quidquid à Deo distinguitur, imperfectione & negatione distinguitur, & ideo creaturæ à Deo differunt non tam in eo quod sunt, quàm in eo quod non sunt, & ut sic non tam sunt entia quàm non entia & nihil. Sic etiam equus ab homine differt non tantùm hinnibilitate, sed etiam negatione rationalitatis. Propriè tamen differentia purè negativa non debet dici specifica, quia species importat pulchritudinem & actua-


actualitatem ac perfectionem, & ideo malum ut malum non habet speciem, quia consistit in defectu; & Aristoteles notat, species avium non bene constitui per pennatum & impennatum. Eodem modo cognitio solius hominis differt à cognitione hominis & equi solâ negatione, ubicatio Angelica mille passuum ab ubicatione 500. passuum, numerus binarius à ternario, substantia Angelica minùs Universaliter cognoscens à magis Universaliter cognoscente; hæc omnia, inquam, solâ negatione differunt.

Dices. Cognitionem *A.* repræsentantem solum hominem, & non equum, hoc ipso dicere perfectionem aliquam positivam, quia non dependet ab equo, nec ab eo specificatur, quæ est perfectio æstimabilis, & Deo conveniens. *Idem dicas* de binario, qui hoc ipso quòd caret tertiâ unitate, est simplicior & à paucioribus dependens.

℞. Independentiam & simplicitatem merè negativam non esse perfectionem, aliàs nihil esset perfectius, eo quod nihil est, hoc enim à nemine dependet, nullis partibus constat, nemini quidquam debet, &c. Nec in Deo hæc perfectio est à nemine pendere, sed omnia habere, nec tamen ab alio: omnia esse, & sine partibus, semper & ubique esse, extra tamen tempus & locum.



§. VII.



§. VII.

DE PROPRIO.

Summaria.

1. *Quot modis accipiatur Proprium?*
2. *Tantum quarto modo sumptum ad quartum prædicabile pertinet.*
3. *Quod si consideretur ut emanans à specie, refertur ad solam speciem, sicut Universale ad sola individua.*
4. *Divisio Proprij in 4. species à Porphyrio enumeratas est analoga.*
5. *Quæ tamen alias Proprij divisiones non excludit.*



I.



Uæritur 1. Quot modis accipiatur Proprium?

Resp. Proprium quatuor modis accipitur. 1. Pro eo, quod convenit alicui speciei soli, non tamen omnibus ejus individuis, v. g. esse Medicum, Geometram, &c.

2. Quod convenit omni individuo alicujus speciei, nec tamen soli, v. g. esse bipedem.

3. Quod convenit soli speciei, & omni individuo, non tamen omni tempore, v. g. canescere: canescunt quidem, & alia animalia, cùm causa canitiei sit humor putrescens in radicibus pilorum, qui vi caloris naturalis consumi nequit, & ideo canitiem etiam in brutis agnoscunt Aristot. *l. 3. de histor. anim. c. 11.* & Plin. *l. 11. c. 37.* præsertim verò in equis, quibus cùm cranium seu testa capitis mollior, quàm cæteris animalibus sit, humor pituitosus cessante ob senectam calore naturali faciliùs exhalat, suóque colore pilos intingit. Frequentiùs tamen canities homini accidit, *tum* ob curas & labores, quæ capitis calorem absumunt: *tum* quia respectu reliqui corporis majus omnibus animalibus cerebrum habet, & plus humido abundat ac pituitâ, cujus color subalbus, niténsque capillos inficit: *tum denique*, quia cùm homini sit cor calidissimum, natura eidem cerebrum frigidissimum adjunxit, & ideo solus inter animalia pessimi odoris est, mediúmque vitæ dormiendo absumit: humidum verò frigore adstrictum albescit, ut patet in nive & grandine, & ideo qui Zonas frigidas inhabitant, cani nascuntur. Has ergo ob causas Porphyrius canitiem propriam esse homini dicit.

4. Proprium dicitur, quod soli, omni, & semper convenit, & cum specie convertitur, v. g. risibile est proprium homini, rugibile leoni, &c. Ad hoc proprium quarto modo duæ conditiones requiruntur.

Prima, ut non tantùm extrinsecis causis, sed etiam intrinsecis emanet, & ideo nec albedo est proprietas cygni, nec nigredo corvi, quia non ab essentijs manant, sed à certa qualitatum temperatura, & potiùs materiam, quàm formam comitantur. Sic calor aquæ ab igne, lux aëris à sole derivata non sunt proprietatés aquæ & aëris, quia ab extrinsecis causis.

Secunda conditio, ut essentia sit adæquata causa proprietatis, alioqui cum essentia non convertetur, & ideo calor in gradu remisso non est proprietas ignis, quia etiam aëri competit.

II. *Qua-*

II. *Quæritur* 2. Quodnam ex dictis Proprijs quartum prædicabile constituat?

Resp. Proprium quarto modo sumptum pertinet ad quartum prædicabile.

Ratio est 1. Quia alia propria sunt potiùs accidentia, nec tam speciem comitantur, quàm complexionem, & signaturam individualem; licèt enim aptitudo v. g. ad esse Medicum, Philosophum, &c. si *radicaliter* accipiatur, aut sit essentia hominis, aut vera proprietas, aptitudo tamen & inclinatio particularis ex complexione individua, & organica nascitur. Sicut enim diversitas & differentia tonorum ex diversa qualitate, & figura fistularum nascitur, per quas sonus emittitur, ita diversitas inclinationum in anima ex diversa complexione, & organizatione corporum, in quibus, & per quæ anima operatur.

2. Quia Proprium quarto modo est maximè proprium, cùm soli & semper speciei conveniat.

III. *Quæritur* 3. An Proprium per ordinem ad speciem, vel individua constituatur in ratione quarti prædicabilis?

Resp. In proprio duo consideranda sunt 1. quòd emanet à specie, & de specie immediatè prædicetur: *deinde*, quòd sit Universale. Quoad *primum*, immediatè Proprium refertur ad speciem, quia cum hac non cum individuis convertitur, & à complexione specifica non individua oritur; & ideo priùs proprium prædicatur de specie, quàm individuis, priùs enim homo est risibilis, quàm Petrus: sicut econtrà in accidentibus communibus priùs accidens prædicatur de individuo, quàm de specie, prius enim Socrates est albus, quàm homo. In ratione verò Universalis priùs individua Proprium respicit, quàm speciem, quia ut Universale refertur ad plura, & non ad unum, ut suprà de differentia diximus. Hæc ergo propositio, *homo est risibilis*, est quarti prædicabilis, sed non quarti Universalis; Proprium enim ut quartum prædicabile definitur, *quod prædicatur de pluribus in quæstione quale est, accidentaliter, & necessariò.* Non quidem proprietas semper naturam comitatur quoad actum, quia hic est merum accidens, sed quoad exigentiam, & quantum est ex parte principij formalis, li-

cèt ex parte principij materialis ejúſque defectu contingat actum abeſſe, ſic aliquibus animalibus aliquis ſenſuum abeſt; ſic frigus aquæ, &c. Multò magis poterit Deus paſſiones realiter diſtinctas à ſubjecto ſeparare, v. g. animam condere, quæ non liberè agat, aut quæ potentiâ viſivâ careat: ignem ſine calore, ſolem ſine luce: manebit tamen in tali ſubjecto ſemper exigentia, & impetus ad ſuam proprietatem, ita ut ſublato impedimento mox redundet, quod ſecùs eſt in alijs accidentibus merè communibus, quæ à forma non procedunt, nec naturaliter illi debentur; ſi enim naturaliter debeantur, non erunt mera accidentia, ſed aliquid habebunt proprietatis.

IV. *Quæritur* 4. An diviſio Proprij in quatuor ſpecies prædictas ſit univoca?

Reſp. Eſſe analogam, non univocam, & ideo nec in proprias ſpecies.

Ratio eſt: Proprium ſimpliciter duas conditiones requirit: conjungi uni ſaltem quoad convenientiam, & excludere alia: ſed nullum præter quartum Proprium ſimpliciter uni convenit, cùm ſæpè ſpeciem deſerat, & alijs communicetur, ut conſideranti patet. Sunt tamen propria ſecundùm quid, quia bipes v. g. habet radicem in natura, nec unquam ſpeciem deſerit, minúſque quàm accidentia merè communia vagatur, mutatur, & magis ac minus recipit.


V. Nota tamen, præter diviſiones Proprij à Porphyrio allatas etiam alias eſſe, quæ pro materia demonſtrationis notari debent. Proprium ergo aliud *realiter* à ſuo ſubjecto diſtinguitur; ut calor ab igne, intellectus ab anima: aliud tantùm *formaliter*, ut bonitas & veritas ab ente. Aliud quod *immediatè* ab eſſentia fluit, ut intellectus ab anima: aliud quod *mediatè*, ut figura à corpore, quæ reſultat mediante quantitate.

Rurſus; Aliæ ſunt proprietates, quæ *abſolutè* ſubjecto conveniunt, ut riſibilitas homini: aliæ quæ conveniunt factâ *ſuppoſitione*, ut animali convenit potentia ſenſitiva ex ſuppoſitione organi competentis: aliæ in certo tantùm ſtatu, ut lapidi quieſcere, ſed in centro, moveri, ſed medio non impedito: aquæ com-

petit




folio 309.



petit frigus, ſed in ſtatu connaturali: homini Deum intuitivè videre, ſed in ſtatu gloriæ, &c.

Denique aliquando propria paſſio non eſt accidens determinatum, ſed disjunctivum, ita ut quodlibet determinatè ſit accidens, illud verò disjunctum ſit quod per ſe convenit, v. g. par vel impar reſpectu numeri, verum vel falſum reſpectu propoſitionis, &c. Vide S. Thom. *1. poſter. Lect. 10. circa finem.*



§. VIII.

DE ACCIDENTE.

Summaria.

1. *Quid ſit Accidens, ut eſt quintum prædicabile?*
2. *Conſtituitur tale per ordinem ad ſubjecta.*



I.



Uæritur 1. Quid ſit Accidens ut eſt quintum prædicabile?

Reſp. Agimus hîc de Accidente prædicabili, non prædicamentali, hoc enim eſt, quod inhæret ſubjecto,

jecto, & opponitur substantiæ. Accidens verò prædicabile est omne prædicatum contingens, etiamsi substantiale, v. g. aurum accidit vasi, rationale accidit animali. Definitur à Porphyrio, *Quod adest & abest sine subjecti corruptione*: ab alijs, *Quod prædicatur de pluribus in quale contingenter*. Has definitiones sic intellige: Accidens tam separabile (v. g. calor aquæ, lux aëris) quàm inseparabile (v. g. nigredo corvi, albedo cygni) potest à subjecto abesse, non quidem *physicè* & naturaliter (ideo enim dicitur accidens inseparabile, quia naturaliter abesse non potest) sed *Logicè* & salvâ totâ subjecti essentiâ; fac enim corvum non esse nigrum, nec ei nigredinem deberi, num ideo corvus non erit corvus? tota enim accidentium inseparabilitas non ex principijs essentiæ oritur, sed ex complexione individuali, & ideo sublato accidenti inseparabili, eiúsque exigentiâ, subjectum non erit quidem idem numero, sed erit idem specie, v. g. si Deus nivem aliquam creet, aut tu nivem aliquam concipias, quæ neque sit candida, neque candorem petat, Nix erit adhuc essentialiter nix, hoc est, aqua frigore adstricta, neque enim candor est de essentia aquæ, aut frigoris, ut patet: tota ergo illa albedo ex particulis aëris nascitur, quæ nivi miscentur, levémque & spumosam reddunt, & ideo solutâ in aquas nive, & aëre avolante candor etiam emoritur; hæc omnia ergo sunt substantiæ nivis extranea, & ex solis circumstantijs individuis pendent, & ideo nives vetustate rubescunt, testibus Arist. *l. 5. de hist. animal. c. 29.* & Plin. *l. 11. c. 35.* & in Armenia nives rubicundæ cadunt, minio, quo illud solum abundat, se illis miscente. Aliter se res in Proprio habet: esto enim igni actualem calorem adimas, semper tamen exigentia, & debitum manet, nec tolli potest incorruptâ essentiâ, quia immediatè cum essentia convertitur. In igne v. g. non aliud est exigentia caloris ut octo, quàm ipsa ignis essentia connotans eum ipsum calorem, si ergo essentiæ hoc debitum, & exigentiam auferas, ipsam essentiam tangis, illique prædicatum valde intrinsecum tollis. Ac tandem cùm Proprium semper & soli speciei adsit, ei repugnat naturaliter saltem separari, quod non est in accidente, cujus inseparabilitas, si aliqua est, non ex specie, sed ab extrinseco,

aut ex gradu individuationis nascitur, & ideo abesse potest, non quidem absolutè, si sit accidens inseparabile, sed cum addito, hoc est, absque subjecti corruptione; sive enim Æthiops sit albus, sive niger, æquè homo est: & essentia, v. g. animal rationale, sive existat, sive non existat, eadem essentia est.

Dices: Mors est accidens hominis, & tamen adesse non potest sine hominis corruptione, non ergo bene definitur accidens, quod potest adesse sine corruptione subjecti.

R. 1. Mortem abesse saltem posse subjecto incorrupto; non tamen Proprium.

2. Ea definitio accidentis competit solùm accidentibus positivis, non privativis, quæ sufficit, si subjecto integro & salvo abesse possint, cùm Proprium non possit.

3. Mortuo individuo non mori prædicata essentialia, hæc enim sunt incorruptibilia, & quolibet individuo extincto eadem manet definitio hominis: mors ergo corrumpit subjectum *physicè*, non *metaphysicè*, & quoad prædicata essentialia, quæ sunt æterna; non ergo mors homini repugnat, sed potiùs convenit; quid enim convenientius mortali quàm mori?

4. Nego tandem mortem esse accidens hominis; accidens enim est, quod subjecto *vel* inest, *vel* inesse potest: sed mors nec inest, nec inesse homini vel momento potest, cùm sit privatio hominis; sicut ergo nec momento potest aliquid esse, & non esse, ita nec potest esse, & sui privationem habere; hæc ergo propositio, *homo est mortuus*, est vera tantum ampliativè, hoc est, terminum hominis ad tempus præteritum ampliando, *qui fuit homo*. Cujus ergo accidens mors, si non hominis? illius subjecti, quod formâ hominis privat, hoc est, materiæ vel corporis, sicut enim cæcitas est accidens oculi, quia oculum potentiâ visivâ privat, & umbra est accidens illius corporis, quod privat formâ lucis, ita mors cùm sit privatio, est accidens illius corporis, aut materiæ, quod privat vitâ.

II. *Quæritur 2.* Respectu cujus Accidens constituat quintum Prædicabile?

Resp. Accidens constituitur quintum prædicabile respectu subjectorum, de quibus in concreto dicitur, v. g. albedo est quin-

quintum prædicatum respectu non hujus vel illius albedinis (de istis enim albedo essentialiter prædicatur tanquam species de suis individuis) sed respectu Petri, Pauli, parietis, lactis, nivis, cygni, & aliorum subjectorum, de quibus in concreto, & denominativè, ac contingenter prædicatur: quamvis enim albedo in abstracto ab uno subjecto abstrahi possit abstractione formali (si vid. subjectum v. g. lac sine forma albedinis consideretur) quæ ad Universale non sufficit: Si tamen abstrahatur abstractione totali, considerando videl. albedinem, ut in concreto de pluribus subjectis æqualiter & contingenter prædicabilem, nihil illi ad quintum prædicabile deest.

Dices: Omnis prædicatio dicit identitatem, cùm fiat per copulam *est*: sed accidens nullam habet cum subjecto identitatem.

℞. Accidens in concreto tantùm de subjecto prædicari, & ut sic habet sufficientem identitatem *denominativam* cum subjecto; *album* enim est habens albedinem; ergo cùm dico, *Petrus est albus*; in subjecto & prædicato est identitas suppositi. Vide S. Th. *1. p. q. 13. a. 12.* Imò si subjecta actu non existant, sed solùm existere possint, adhuc respectu possibilium retinet accidens suam Universalem, & contingentem prædicabilitatem, & ideo accidens est quintum prædicabile etiam respectu possibilium subjectorum: sicut enim accidens in esse physico sine subjecto existere potest, qualia sunt accidentia Eucharistiæ, multò magis in esse Metaphysico & Universali; Universalitas enim dicit solam aptitudinem, non actum essendi in pluribus.

Dices: Hæc prædicatio, *albedo potest, vel est apta Petro inesse*, est albedini essentialis, non contingens, non ergo aptitudo sufficit ad salvandam prædicabilitatem merè contingentem.

℞. Aptitudinem inessendi pluribus esse accidenti in recto essentialem, nihil enim est aliud ea aptitudo, quàm ipsum accidens: in obliquo tamen & connotativè esse merè contingentem, respicit enim actum merè accidentalem, qualis est actualis conjunctio albedinis cum Petro, cùm econtrà aptitudo, quam dicit genus aut differentia, essendi in pluribus, respiciat actum non contingentem, sed essentialem, qualis est conjunctio Petri cum gradu animalis & rationalis.



CAPVT III.

DE PRÆDICAMENTIS.

§. I.

De Prædicamentis in genere.

Summaria.

1. *Finis & utilitas prædicamentorum.*
2. *Enodantur ſingulæ definitionis particulæ.*
3. *Prædicamenta etſi decem numerentur,*
4. *Non tamen neceſſe eſt, omnia inter ſe realiter diſtingui.*



I.



Rimus Ariſtotelis in Logica labor, & liber *Prædicamenta* ſunt. Negârunt aliqui auctorem hujus operis Ariſtotelem eſſe, ſed convincuntur ſtylo, ſubtilitate, obſcuritate, perpetuis hujus Philoſophi notis, & quæ Auctorem produnt.

Operis inſcriptio, *Categoria*, à Græco κατηγορέω, quod ſignificat enuntiare, ſeu prædicare. *Finis* hujus libri eſt, res omnes in ſuas claſſes, & ſeries diſponere, ita ut primo intuitu ſtatim Intellectui appareat, quæ res ſubſtantia, quæ qualitas, aut quantitas ſit; cùm enim à parte rei multa & diſtinctiſſima ſibi conjungantur, & mixtim conſiſtant, & in ſenſum involutè confuſéque incurrant: oculo v. g. pomum proponitur cum figura, colore, ſubſtantia, relatione, quantitate, motu, & ſexcentis alijs, quæ in unum confunduntur, & inſtar unius exhibentur, facile fuit intellectum falli, & unum pro alio accipere, ideo diſcerniculo juvandus fuit, cujus beneficio diverſa ſepararet, & rem quamlibet, ut in ſe eſt, cognoſceret, cognitam definiret, definitam ſubderet diſcurſui, & de illa proprietates demonſtraret. Multiplex ergo eſt Prædicamentorum utilitas.

1. Res in ſe confuſas diſtinctè & ordinatè proponit, omnia ergo commoda, quæ ex diſtinctione & ordine, etiam Prædicamentis proveniunt, omnia verò confuſionis incommoda vitantur. Quanta medentibus confuſio, quanta infirmis pernicies, ſi omnia medicamentorum genera, radices, flores, pulveres, ſales, ſuccos, olea in unam pyxidem conferant! Non minus intellectui & Philoſophiæ malum, ſi entia permiſceantur, nec in diſtinctas claſſes collocentur.

2. Ex Prædicamentis veræ & falſæ propoſitiones facilè colliguntur; propoſitio enim prædicat gradum ſuperiorem de inferiori; qui verò gradus ſuperior, qui inferior ſit, ex Prædicamentis conſtat.

3. Serviunt definitionibus, ſubminiſtrando genera, & differentias proximas. His præmiſſis

II. *Quæritur* 1. Quid ſit Prædicamentum?

Reſp. Prædicamentum eſt ſeries alicujus generis ſummi, realis, per ſe, univoci, finiti, completi, incomplexi, & eorum, quæ ſub ipſo ſunt, naturalis diſpoſitio.

Dicitur 1. Alicujus generis ſummi. Eſt genus ſummum, quod ſupra ſe nullum aliud genus habet univocum, ad quod reduci poſſit.

Dicitur

Dicitur 2. Realis. Non agit de rebus, ut sunt, nec illarum contemplationi absolutè insistit, hoc enim Physica & Metaphysica faciunt, sed tantùm ut Logicæ artificio, & directioni serviunt: sicut enim aurifex v. g. non considerat aurum absolutè, sed tantùm ut malleabile, & in varias figuras, ac vasa ductile est, sic Logica non considerat substantiam, ejúsque proprietates absolutè, sed tantùm ut directioni Logicæ servit, v. g. ut de illa veræ, aut falsæ prædicationes fieri possunt, ut genere & differentiâ constat, ut definibilis, ut materia Demonstrationis, &c. Excluduntur ergo entia rationis ficta, irrita, chymerica, meréque imaginaria; sicut etiam privationes, & negationes, quæ formaliter nihil sunt.

Dicitur 3. Per se. Entia per accidens & artificialia, v. g. navis, exercitus, domus, &c. hinc excluduntur, quia non sunt unum, sed plura, & ideo nec ad unum, sed plura prædicamenta spectant. Aristoteles tamen non exclusit concreta accidentium; nam sæpè in Metaphysica pro prædicamentis ponit *Quale* & *Quantum*.

Et ratio est, quia concretum accidentale principaliter significat solam formam, subjectum verò minùs principaliter, quamvis in recto pro subjecto supponant, tamquam pro sustentante formam accidentalem.

Dicitur 4. Univoci; quia æquivoca, & analoga sunt ambigua, & plura significant.

Dicitur 5. Finiti. Intellige de ente simpliciter finito; unde excluditur, aut potius intra Categoriarum limites non concluditur ens simpliciter infinitum; hoc enim nec potest esse genus, quia genus est ens imperfectum, & potentiale; nec species, quia hæc admittit compositionem metaphysicam, partes tam potentiales, quàm & actuales, prædicabilitatem de pluribus individuis, quæ omnia enti simpliciter infinito repugnant: nec individuum, quia differentia individualis nullum gradum essentialem addit speciei: ens verò infinitum infinitos essentiæ gradus cuilibet speciei creatæ adderet. Multò minùs ens simpliciter infinitum ponitur indirectè in prædicamento, quia nec est pars, ut anima, & punctum, nec ens imperfectum. Linea tamen

infinitæ longitudinis poni in prædicamento posset, si daretur; quia simpliciter est finita, nec illi repugnat compositio ex genere & differentia, ex actu & potentia, qui sunt termini, & fines entis creati.

An ergo Deus in prædicamento ponitur?

℞. Non poni, *tum* ex dictis, *tum* quia nulla est ratio communis Deo, & creaturis, quæ de istis ut distinctis speciebus prædicetur, cùm creaturæ non differantà Deo specie & perfectione, sed negatione speciei & perfectionis; non enim homo v.g. differt à Deo per aliquod esse, sed per aliquod non esse; nam cùm Deus sit pelagus entis, hoc est, ens infinitum, nullus est gradus entis, qui non sit in Deo. *Tum* quia Deus non potest componi ex genere & differentia cum fundamento in re, fundamentum enim compositionis metaphysicæ est compositio physica. S. Th. *1. p. q. 3. a. 5.* *Tum* quia nullum prædicamentum, nullum genus includit perfectiones omnium generum & prædicamentorum ut includit Deus, qui proinde est supra omne genus & prædicamentum, quia prædicamentum Aristotelicum ponit pro primo gradu prædicamentali substantiam creatam, sub qua Deus poni non potest. *Tum* quia Dei, & creaturæ nullum est genus univocum, ut ex dicendis patebit. *Tum* denique, quia implicat Deum concipi, ut non Deum, ergo implicat concipi cum prædicato, quod Deo repugnat (sicut implicat triangulum concipi cum duobus tantùm angulis) ergo implicat concipi ut compositum ex potentialitate & imperfectione (hæc enim sunt prædicata Deo & Actui puro repugnantia) sed si poneretur in Prædicamento, & consequenter sub aliquo genere, conciperetur in Deo aliquid ut potentiale, & imperfectum, atque actuabile.

Dices: Deus ponitur sub genere entis, & substantiæ, æquè enim ac creatura est ens, & substantia.

Contrà. Ens ut sic dicit omnem gradum entis, & exclusionem non entis (sicut animal omnem gradum animalitatis & exclusionem non animalis) quod enti creato non convenit.

Rursus. Ens ut sic dicit potentialitatem, quæ enti increato repugnat. Idem dicas de substantia ut sic.

Dicitur 6. Completi. In linea enim prædicamentali directa

pg-

ponuntur solùm entia completa, hoc est, genera & species; genus enim est totum potentiale: differentiæ genericæ & specificæ ponuntur in prædicamento lateraliter: partes verò physicæ, heterogeneæ, & modi substantiam aut accidens intrinsecè complentes (v. g. unio substantialis, subsistentia, inhærentia, puncta copulantia & terminantia quantitatem) reductivè ponuntur in prædicamentis v. g. unio substantialis in prædicamento substantiæ, &c. Reliqui verò modi, qui substantiam extrinsecè complent, v. g. Ubi, situs, &c. Possunt habere proprium Prædicamentum. Multi hîc anxiè laborant, disputántque, quid sit pars, & quæ regula partium? quæ quæstio perinde se habet, ac si quæreres, quid sit sol, & quæ sit regula cognoscendi solem; tam enim quotidie solem, quàm partes videmus, ut non major sit de uno, quàm de alio dubitandi ratio. Pars ergo definiri debet, *Quæ non est totum, sed ex quâ totum componitur.*

Nulla est pars aut physica aut metaphysica, aut substantialis aut accidentalis, cui hæc definitio non competat: dubitari quidem potest in particulari, an hoc vel illud sit pars, sed nunquam dubitari poterit, an omnis pars non habeat datam definitionem: sicut nemo dubitat hominem esse animal rationale, in particulari tamen à multis dubitatur, num Tritones, Sirenes, Satyri aliáque monstra hominum faciem præferentia sint veri homines ac vera animalia rationalia.

Dicitur 7. Incomplexi. Terminus enim complexus aut significat aggregatum per accidens, v. g. homo albus; aut si rem unam significat, tamen per modum rerum duarum, & tamquam ex genere & differentia explicitè constantem, v. g. animal rationale, & ideo sufficit semel genus, tum differentiam poni.

III. *Quæritur 2.* Quot sint Prædicamenta?

Resp. Prædicamenta sunt decem. *Est communis.* Poterant plura, poterant pauciora poni, nec magis est ratio mathematica quærenda, cur decem sint prædicamenta, quàm cur quatuor sint partes Orbis terrarum, poterat enim Mundus in plures, aut pauciores partes distingui.

Ratio probabilis decem Prædicamentorum est, quia omne ens creatum aut est substantia aut accidens; si substantia, habemus

mus prædicamentum *ſubſtantia*: ſi accidens ſubſtantiæ inhærens, aut determinat ſubſtantiam eam extendendo, & eſt *Quantitas*: aut qualificando, & eſt *Qualitas*: aut ad aliud purè referendo, & eſt *Relatio*: aut referendo ad aliud ut agens ad patiens & effectum, & habemus *actionem & paſſionem*: aut referendo ad locum, & eſt *Ubi*: aut referendo ad tempus, & eſt *Quando*: aut ſituando, & eſt, *Situs*, aut veſtiendo, & eſt *Habitus*. Vide S. Thom. 5. *Metaph. lect.* 9. & 3. *Phyſ. lect.* 5. Qui etiam notat ex prædicamento habitûs in homine fieri prædicationes merè accidentales, v. g. homo galeatus, palliatus, &c. in brutis verò prædicationes eſſe ſubſtantiales, quia in illis veſtes ſunt partes corporis. Audi Plin. *Proœmio l. 7. Hominem natura alienis velat opibus, cæteris animantibus variè tegumenta tribuit: teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquammas, vellera. Truncos etiam arboréſque cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutata eſt: hominem tantùm nudum & in nuda humo natali die ſtatim abjicit ad vagitus & ploratus, nullúmque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio, ut non ſatis ſit æſtimare, parens melior homini, an triſtior noverca fuerit.* Falleris Plini: parens homini natura, non noverca fuit: nec hominem alienis, ſed ſuis opibus velat; quidquid enim aut pulchri in Mundo aut pretioſi eſt, homini ſervit; ſuo igitur patrimonio, non alieno vivit.

Deinde manus illi & ratio ante omnem veſtitum ſunt, & ideo non unâ tantùm, ſed omnium veſtibus utitur, ídque pro arbitrio & neceſſitate: alijs cùm calet, alijs cùm riget, alijs cùm vigilat, alijs cùm dormit, alijs cùm ruri, alijs cùm domi eſt, alijs in caſtris, alijs in aula: ponit, aſſumítque, ut lubet; quando hoc reliquis animalibus datum? Ergo naturam Plinius pro matre, non noverca haberet, ſi ſquammatum illum, aut plumatum feciſſet? Sic Senator Romanus & Philoſophus ſapuit? ô votum piſcibus avibúſque, non homine, non Philoſopho dignum!

Comprehenduntur decem hæc Prædicamenta duobus hiſce verſibus:

Arbor ſex ſervos ardore refrigerat uſtos,
Ruri cras ſtabo, nec tunicatus ero.

Nota


Nota, Aristotelem, cùm ens in 10. prædicamenta divisit, non præmisisse, ut aliàs fieri debet, definitionem entis; quia sicut lux est ex se visibilis, & omnia alia videri facit: & sol est corpus lucidissimum, & ideo non potest per aliud lucidum magis illuminari; ita ens & ratio essendi non habet clariorem conceptum quo explicetur: *tum* quia quidquid cognoscimus & explicamus, explicamus per *esse*, imò & negationes, ergo omnis explicatio supponit notitiam *entis*, ergo ens est primò & maximè per se notum: *tum* quia in explicationibus non est procedere in infinitum, ergo deveniendum est tandem ad aliquid quod est notissimum, & in quo sistat explicatio; quid illud, si non est ens? *tum* quia conceptus minùs Universalis semper definitur per conceptum magis Universalem, v. g. homo per animal, animal per vivens, &c. sed ens est conceptus Universalissimus, ergo explicatissimus. Ens tamen quoad inferiora, quæ includit, habet conceptum confusissimum, & ideo explicari debuit per divisionem in membra inferiora.

IV. *Quæritur* 3. An omnia Prædicamenta realiter inter se distinguantur?

Resp. Non est necesse, omnia Prædicamenta realiter inter se distingui. Sic ex multorum sententia, *Relatio* & *Substantia*, *Passio* & *Actio*, &c. realiter non distinguuntur.



§. II.



§. II.

DE SUBSTANTIA.

Summaria.

1. *Substantia bene dividitur in primam & secundam.*
2. *Divisi locum in illa obtinet essentia & realitas Substantiæ.*
3. *Estq; analogi in analogata.*
4. *Ratio essentialis substantiæ in perseitate existentiæ consistit.*
5. *Cujus proprietates sunt variæ.*
6. *In prædicamento substantiæ ponitur omnis substantia completa, cujus natura est communicabilis, sive illa sit corporea, sive incorporea.*





Ccipimus substantiam non pro quidditate & essentia rei, sed prout opponitur accidenti, hoc est, prout est *ens per se existens completum*.

I. *Quæritur 1.* Quotuplex sit Substantia? *Resp* Substantia bene dividitur in *Primam & Secundā*. Substantia *prima* vocantur individua, hæc enim primò in sensum in cur-

currunt, ijsque sublatis pereunt etiam substantiæ secundæ, quæ sunt Universales. Prima ergo substantia definitur, *Quæ neque est in subjecto, nec de subjecto dicitur.* Secunda, *Quæ non est in subjecto, sed de subjecto dicitur.* Non esse in subjecto est negatio, sed infert affirmationem; quod enim est, nec in subjecto est, utique per se existit.

II. *Quæritur 2.* Quidnam obtineat locum divisi in divisione substantiæ?

Resp. Divisum in hac divisione est ipsa essentia & realitas substantiæ, hæc enim aut primò existit & substat accidentibus, & sic est individuum; aut posteriùs & mediatè existit, & talia sunt genera & species; prius enim est aliquid realiter, quàm in intellectu existere, nec substantia universalis est principium sustentandi accidentia, nisi quatenus identificatur substantiæ particulari. Videtur ergo hæc divisio esse subjecti in sua accidentia, substare enim mediatè aut immediatè sunt duo modi, qui substantiam afficiunt.

Dices: Divisum in hac divisione vel est substantia in particulari, vel in communi; sive hoc sive illud divisum coincidet cum aliquo ex membris dividentibus.

℟. Dividi substantiam in communi, quæ nec est prima, ut patet, nec secunda *positivè*, sed tantùm *negativè*; cùm enim substare mediatè vel immediatè sint modi accidentales substantiæ *ut sic*, substantia *ut sic* bene potest in primam & secundam dividi; est enim hic sensus: Substantia quâ ratione accidentibus substat, alia primò substat, scilicet particularis; alia secundò, scilicet Universalis. In hisce verò prædicationibus, *Petrus est prima substantia*, *Paulus est prima substantia*, non prædicatur species aut genus de individuo, sed tantùm individuum aliquod vagum; sicut cùm dico, *Petrus est aliquis homo*, *Paulus est aliquis homo.*

III. *Quæritur 3* An hæc divisio sit univoca?

Resp. Hæc divisio est analogi in analogata. *Ratio*, quia ratio substandi non æqualiter descendit ad primam & secundam substantiam (secunda enim substantia substat dependenter à prima, imò nec absolutè substat, cùm sit in prima tanquam prædicatum in suo subjecto.

IV. *Quæritur 4.* In quo consistat essentia substantiæ?

Resp. Substantia est essentialiter ens per se existens, hæc verò perseitas substantiæ non consistit in negativo, sed in positivo.

Ratio est 1. Esse in alio quod convenit accidenti, dicit perfectionem positivam, ergo etiam esse per se, quia hoc est perfectius: sola autem negatio non est perfectio, sed potiùs imperfectio, cùm dicat non esse.

2. Perseitas & negatio essendi in alio tanquam in subjecto inhæsionis aut est merum nihil, aut fundatur in aliquo positivo? non illud, quia substantia nihil esset: Si fundatur in aliquo positivo, quodnam illud? ens *ut sic*? ergo etiam accidens est ens per se existens, quidquid enim convenit enti *ut sic*, convenit etiam accidenti. Aliquis gradus entis? & hunc dicimus substantiam, cui conveniat Perseitas, ex qua consequitur negatio essendi in alio. Sicut ex irrationalitate positiva bruti consequitur negatio rationalitatis, quæ negatio non est essentia bruti, sed ad ejus essentiam consequitur, sunt enim multa, quæ defectu vocum non possunt nisi per negationem explicari.

3. Esse per se est à subjecto inhæsionis independere; sed independentia non est pura negatio, alioqui Deo non conveniret, & melius esset dependere quàm non dependere; sicut melius est esse quàm non esse.

Objicitur 1. Cùm dicitur, Substantia est *ens per se existens*; vel per se existere aliquid enti addit, vel nihil? si nihil, ergo perseitas est negatio: si aliquid, ergo hoc erit ens: sed ens non superadditur enti, alioquin erit inutilis repetitio.

℟. 1. Hæc objectio impugnat non solùm perseitatem substantiæ, sed etiam inhærentiam accidentis, omnésque entis differentias.

2. Perseitas est ens, sed conceptu & realitate non superadditâ enti, sed magis explicatâ, quàm ens *ut sic*: ens ergo *ut sic*, & ens tale differunt tantùm per magis vel minùs explicitum; sicut volumen serici involuti & explicati non sunt duæ res, sed una, sic tamen, ut in serico evoluto & explicato plura in oculum

cœlum cadant, & objectum magis ac perfectiùs cognoſcatur. Vide S. Thom. *q. 1. de verit. a. 1.*

Objicitur 2. Etiam accidentia ſeparata in Euchariſtia exiſtunt per ſe.

℞. Accidentia ſeparata ita per ſe exiſtere, ut tamen dicant intrinſecam aptitudinem & exigentiam ſubjecti inhæſionis, cùm econtrà ſubſtantia dicat intrinſecam repugnantiam ad inhærendum.

Nota, quòd poſſe accidentibus ſubſtare, non ſit eſſentia & quidditas ſubſtantiæ, *tum* quia prius eſt ſubſtantiam per ſe eſſe quàm ſubſtare; *tum* quia ſi daretur per impoſſibile aliqua res, quæ ſubſtare accidentibus non poſſet, & tamen per ſe exiſteret, eſſet utique vera ſubſtantia.

V. *Quæritur 5.* Quæ ſint proprietates ſubſtantiæ?

Reſp. Variæ ſunt proprietates ſubſtantiæ, quamvis non in toto rigore ſubſtantiæ dici poſſint.

Prima, Non eſſe in ſubjecto inhæſionis: eſſe enim in ſubjecto informationis ſubſtantiæ etiam incompletæ convenit. Non poſſe in ſubjecto inhæſionis eſſe, eſt eſſentia ſubſtantiæ: actu non eſſe, eſt proprietas.

Secunda, univocè & eſſentialiter de primis ſubſtantijs prædicari. Hæc convenit ſolis ſubſtantijs ſecundis, & omnibus.

Tertia. Omnis ſubſtantia prima ſignificat hoc aliquid, id eſt, individuum: ſubſtantia verò ſecunda quale aliquid.

Et *Ratio eſt*, quia ſubſtantiæ ſecundæ induunt rationem Univerſalitatis & prædicati, & ita nunquam liberantur ab omni qualitate, quia prædicatum eſt quædam qualificatio ſubjecti, & Univerſalitas quædam qualificatio naturæ. Propriè tamen loquendo cùm prædicas genus aut ſpeciem de ſubjecto, non eſt prædicatio in *quale quid*, quia non prædicatur pars, ſed totum aut potentiale, aut actuale.

Quarta: Subſtantiæ nihil eſt contrarium Subſtantiæ aliquid quidem opponitur, v. g. homo non homo: rationale, irrationale, ſed nihil eſt contrarium.

Ratio, quia ad propriè dicta contraria inter alias conditiones requiritur, ut in eodem ſubjecto viciſſim recipiantur, inten-

dantur, remittantur, se mutuò expellant agendo, & patiendo, quæ omnia in substantijs non reperiuntur, & ideo substantiæ non immediatè à seipsis corrumpuntur, sed tantùm consecutivè desinunt esse ad corruptionem accidentium.

Radicaliter dici possunt substantiæ sibi contrariæ, quia sunt radices qualitatum contrariarum in se mutuò agentium, & ita dicimus ignem esse elementum aquæ contrarium.

Quinta: Substantiæ non suscipiunt magis & minus.

Ratio est 1. quia *magis* & *minus* propriè dicitur de eo, quod habet gradus intensionis, quod proprium est qualitati; impropriè verò de illo, quod habet gradus perfectionis, quo modo Deus est magis substantia, quàm homo, anima rationalis magis vivificat, quàm vegetativa, quia tribuit plures gradus & operationes vitales.

2. Quia quæ *magis & minus* recipiunt, diverso tempore possunt dici magis talia, v. g. manus magis hodie calida, quàm heri, &c. Sed Petrus non est hodie magis homo, quàm heri, nec magis est ens per se uno quàm alio tempore.

3. Esse substantiam est esse ens per se existens: esse autem per se dicit exclusionem & independentiam ab *omni* subiecto, sed quod essentialiter semper dicit *omne* & *nullum*, non potest crescere, nec recipere *magis* & *minus*. Potest tamen substantia crescere & augeri extensivè, ut in pueris patet.

Sexta: Substantia eadem manens potest contraria suscipere.

Ratio est 1. quia accidentia sunt, quæ propriè sunt contraria: sed omnia accidentia sunt susceptibilia in substantia, ergo etiam contraria.

2. Licèt etiam quantitas in S. Eucharistia recipiat contraria, frigus & calorem, non tamen ut subjectum *quod* & ultimatum ac connaturale, hoc enim competit solis substantijs primis, & secundis, quatenus identificantur cum primis. Imò etiam Angeli, & Cœli quamvis sint substantiæ incorruptibiles, recipiunt tamen motus contrarios, & ad loca contraria, & contrarios affectus sentiunt, odij, amoris, &c.

VI. *Quæritur 6.* Quæ substantiæ in prædicamento substantiæ ponantur?

Resp.



Resp. In Prædicamento substantiæ ponuntur omnes substantiæ completæ tam corporeæ, quàm incorporeæ, tam corruptibiles quàm incorruptibiles, v. g. Cœli, Angeli, &c. in his enim omnibus reperitur compositio saltem Metaphysica ex genere & differentia.

Christus etiam in Prædicamento ponitur, quatenus constat naturâ verè humanâ & creatâ: poni enim in Prædicamento absolutè & principaliter ad naturam, non ad suppositum pertinet, natura siquidem est communicabilis, & ideo potest habere rationem generis ac speciei; suppositum verò est incommunicabile, redditque naturam singularem, & ideo hæc propositio, *Christus ponitur in Prædicamento*, est absolutè vera, quia prædicatum cadit supra naturam, hæc verò, *Christus est creatura*, est absolutè falsa. S. Th. *3. p. q. 16.* quia creari cadit absolutè supra suppositum; creatio enim sicut & quælibet actio terminatur ad naturam ut completam & singularem, ergo ut est suppositum. Coordinatio Prædicamenti Substantiæ est, prout adjecta tabula exhibet.



§. III.

De Accidente Prædicamentali ut sic.

Summaria.

1. *De essentia accidentis prædicamentalis ut sic non est inhærentia actualis.*
2. *Sed aptitudinalis.*

3. *Etsi naturaliter nullum accidens spirituale è subjecto corporeo possit educi,*
4. *De potentia tamen Dei absoluta potest accidens corporeum in subjecto spirituali poni, & econtrà.*
5. *Subjectum* quod *omnium accidentium materialium non materia, sed totum compositum est.*
6. *Solvuntur objectiones.*
7. *Accidentis divisionem in 9. prædicamenta adæquatam esse ostenditur.*



I.

Quæritur 1. In quo consistat essentia Accidentis Prædicamentalis?

Resp. 1. De essentia accidentis prædicamentalis, ut distinguitur à substantia, non est actualiter subjecto inhærere. Est certa & de fide ex Mysterio S. Eucharistiæ, ex quo patet, Quantitatem saltem à substantia realiter separatam existere, ergo de essentia accidentis *ut sic* non est actualiter inhærere.

Et *Ratio* est, quia dependentia accidentis à substantia non est intrinseca per modum materiæ aut formæ intrinsecè quidditatem accidentis componentium, sed extrinseca per modum conservantis existentiam; ergo tota causalitas substantiæ in accidens nullam dicit imperfectionem, ergo suppleri potest à Deo, quam rationem insinuat S. Thom. *3. p. q. 77. a. 1.* Sicut ergo calor naturaliter ex subjecto educitur, & tamen sine subjecto meréque effectivè

effectivè produci à Deo potest; & sicut ferrum sustentatur à terra tanquam in subjecto, & tamen per concursum merè effectivum etiam sine subjecto à magnete sustentatur, ita accidens à Deo; concursus enim Dei effectivus quidquid poterat cum substantia creata, potest se solo, cùm solus non minoris sit efficaciæ, quàm cum causa secunda.

II. *Resp. 2.* Accidens essentialiter est ens aptum seu natum esse in subjecto inhæsionis. *Est communis.*

Sed quid est esse in alio tanquam in subjecto inhæsionis?

℞. Non quidem esse in alio tanquam partem in toto, nam hoc modo etiam substantiæ incompletæ & partiales sunt ut partes in toto: non etiam esse in alio tanquam formam in subjecto informationis, nam etiam formæ materiales sunt in materia tanquam in subjecto informationis, à quo dependent in fieri, esse, conservari & operari: sed esse in alio tanquam in subjecto jam substantialiter actuato, & cui vi formæ substantialis certæ ac determinatæ, fixæque proprietates & accidentia debentur, quibus in esse conservetur, v. g. calor est accidens subjecto inhærens, quia advenit igni aut aquæ jam substantialiter constitutæ & actuatæ; ille verò est actus substantialis aquœ, cui debentur omnes proprietates & accidentia, quæ naturaliter aquam comitantur, quæque illi conservandæ sunt necessaria; cur enim v. g. frigus semper & naturaliter aquam, non verò ignem, lignum aut alia comitatur, nisi quia in aqua est aliquod principium radicale, quod non est in igne? Hæ ergo sunt notæ accidentis & inhærentiæ.

1. Accidens facit cum suo subjecto unum per accidens, & non per se.

2. Accidens advenit subjecto jam sustantialiter perfecto & actuato.

3. Accidens non est radix omnium accidentium, quæ sunt in subjecto, sed supponit aliam & substantialem radicem; v. g. in lacte reperiuntur dulcedo, albedo, liquiditas, &c. certum verò est, dulcedinem non esse radicem connaturalem illorum accidentium, cùm frequenter sine illis reperiatur, nunquam verò lac; alia ergo est forma lactis, cui illa debentur, alia forma albedinis, cui non debentur.

Dices

Dices: Accidens eſt ens abſolutum, aptitudo verò ad inhærendum eſt ens relativum: ſed nulla relatio eſt de eſſentia entis abſoluti, &c.

℞. Aptitudinem inhærendi ſubjecto eſſe relationem non *prædicamentalem*, *ſed tranſcendentalem*, cùm reſpiciat ſubjectum *non ut purum terminum*, ſed *ſub ratione ſuſtentantis*: relatio autem tranſcendentalis non repugnat enti abſoluto, cùm nullum ens creatum ſit abſolutum ſimpliciter, ſed dicat indigentiam & dependentiam ab alio ente tum creato tum increato, ut conſideranti patebit.

III. *Quæritur 2.* An Accidens ſpirituale poſſit naturaliter educi ex ſubjecto corporeo?

Reſp. Negativè. Nota: Educi ex potentia materiæ, ſeu ſubjecti eſt formam aliquam fieri, conſervari, & operari dependenter ab influxu ſubjecti materialiter concurrentis.

Ratio concluſionis eſt 1. quia ſi talis potentia naturalis eſſet, aliquando utique in actum erupiſſet, cur enim hæc ſolà potentia ſterilis, ubi reliquæ omnes pariunt? & quid faciet in rerum natura hæc potentia ſegnis & otioſa? & unde conſtat eam dari, ſi ſignum illius aut effectum experimur nullum? nemo enim prudenter crederet ſolem aliquem eſſe, ſi nunquam legiſſet, audiſſet, vidiſſet orientem.

2. Illud accidens eſſet ſpirituale, ut ſupponitur, & non eſſet, quia naturaliter in fieri, eſſe, conſervari & operari à materia dependeret; ſed ſic à materia dependere eſt eſſe ens materiale, aut dicatur quid aliàs ſit ens materiale? quòd ſi non ita dependet, ergo nec educitur, ergo creatur, ergo non datur naturalis potentia ad tale accidens, quia creatio naturaliter non eſt poſſibilis.

Dices: Anima ſpiritualis naturaliter eſt in corpore, ergo etiam accidens ſpirituale poteſt naturaliter eſſe in ſubjecto corporeo.

℞. 1. Si fides non doceret, dubitarent aliqui de ſpiritualitate animæ.

2. Anima non educitur, ſed creatur, ergo non pendet à corpore tanquam cauſa materiali: ſecùs accidens quod è poten-

entia materiæ educeretur ex hypotheſi ; ergo à materia tanquam cauſa dependeret, ergo oportebit ſuæ cauſæ proportionari, non autem eſt proportio inter cauſam materialem & effectum ſpiritualem.

IV. *Quæritur* 3. An Accidens corporeum de potentia Dei abſoluta poni poſſit in ſubjecto ſpirituali ? & econtrà ?

Reſp. Poteſt Deus ponere accidens ſpirituale in ſubjecto corporeo, v. g. gratiam ſanctificantem in lapide, quantitatem in Angelo.

Ratio, quia nulla eſt repugnantia, ut ex ſolutione objectionum patebit.

Objicitur 1. Quod dependet à ſubjecto materiali, eſt ens materiale : ſed tale accidens ſubjecto materiali inhærens ab hoc dependeret, ergo eſſet ens ſpirituale ex hypotheſi, & materiale, quia dependeret à materia.

Minor probatur, quia accidens dependet in eſſe & in fieri à ſuo ſubjecto.

℞. Tale accidens ſpirituale tantùm unitum iri ſubjecto corporeo, ſicut animam corpori, retentâ naturali inclinatione ad ſuum connaturale & ſpirituale ſubjectum ; ſi enim poteſt ſupernaturaliter accidens eſſe ſine omni ſubjecto, quantò magis eſſe quidem in ſubjecto, ſed ab illo non aliter dependere, quàm à ſubjecto meræ inhæſionis ſine alia dependentia : ſicut enim non repugnat formæ ſubſtantiali eſſe in alio tanquam in ſubjecto meræ informationis, ita nec formæ accidentali eſſe in alio tanquam in ſubjecto meræ inhæſionis.

Objicitur 2. Quantitas in nullo ente ſpirituali ſubjectari poteſt, ergo nec aliud accidens materiale, omnia enim accidentia materialia recipiuntur mediâ quantitate, ergo ſubjectum, quod quantitatis non eſt capax, nec aliorum accidentium materialium capax erit.

Antecedens probatur : Effectus formalis quantitatis eſt partes ſubjecti extendere, & facere, ut una ſit extra aliam : ſed Angelus non habet partes, quæ extendantur, ergo quantitas non poteſt hunc effectum Angelo tribuere, quid ergo in Angelo faciet ?

℞. 1. Aliud esse quantitatem in Angelo recipi, aliud communicare Angelo suum effectum, hoc enim non potest, nisi subjecto capaci: numquid animæ rationalis proprius & formalis effectus est vivificare, reddere subjectum intellectivum? & tamen hos effectus anima non communicat toti corpori quod informat, quia totum corpus non est capax hujus effectus.

℞. 2. Effectum formalem quantitatis non esse, ut actu extendat (potest enim divinâ virtute in punctum redigi, & tunc non extendet) sed ut apta sit extendere: hanc verò aptitudinem quantitas retinet, etiamsi Angelo uniatur, semper enim est apta extendere, si aptum subjectum reperiat: Angelus ergo quantitatem recipiens erit quantus, sed non actu extensus, subjecti incapacitate hunc effectum remorante.

Objicitur 3. Si forma spiritualis recipi in subjecto corporeo potest, quid obstet habitum amoris beatifici, ipsamque visionem beatificam bovi v. g. infundi? tunc ergo bos Deum amabit; at verò quid possit dici absurdius, quàm bovem Deum amare, in extasin & contemplationem rapi?

℞. 1. Visionem & amorem beatificum esse actus vitales, & quidem primæ classis; vita enim intellectiva est perfectissima, cùm sit principium motûs intrinseci ad omnem formam; anima enim amando & cognoscendo fit omnia; actus verò vitales negamus à suo principio separari posse; si enim separetur, jam non erit motus à principio intrinseco, ergo non erit motus vitalis: sed de hoc in libris de anima.

℞. 2. Demus amorem beatificum animæ bovis uniri, non ideo tamen bos amabit, quia hujus effectûs anima bovis capax non est; talis enim amor intellectivus, & spiritualis erit ab extrinseco, hoc est, impressus, non natus, unde nec verus amor, nec vitalis erit, amor enim & vita sunt ab intrinseco, & ideo non amat qui cogitur amare, nec vivit qui ab alio tantùm non à se movetur; sicut ergo, ut ait Plinius *l. 16. c. 25. plantæ quædam sunt tristes, quæque non sentiunt gaudia annorum, nec ullo flore exhilarantur, quales sunt ilex, pinus, juniperus, &c.* istis si florem aliquem arte incidas, inserasque, non propterea dici possunt

flo-

florere, quamvis florem habeant; ita nec bos amare, quamvis ab extrinseco amorem habeat.

V. *Quæritur 4* Quodnam sit subjectum completum omnium accidentium materialium?

Resp. Subjectum Quod & completum inhæsionis omnium accidentium materialium, etiam quantitatis, non est materia prima, sed totum compositum; albedo v. g. non inhæret soli materiæ primæ nivis, sed toti nivi; lux solis non soli materiæ solis, sed toti soli, &c. non ita quidem, ut duo sint subjecta partialia, quibus accidens inhæreat, materia videlicet, & forma, sed ita ut unicum sit subjectum integrum & completum inhæsionis, materia quidem ut radix recipiendi, forma verò ut constituens materiam in esse connaturali & substantialiter actuato, sine quo apta non esset recipere accidentia tanquam formas secundarias inhærentes, & quæ ut à materia sustententur, supponunt hanc in suo esse naturali completam: Sicut hedera supponit arborem, quâ fulciatur.

Nota, duplex esse subjectum, unum *inhæsionis*, alterum *denominationis*, visio v. g. soli oculo, non pedi aut manui inhæret, & tamen totum hominem & simpliciter videntem denominat: albedo in Æthiope solis dentibus inhæret, & tamen Æthiopem totum album denominat, non quidem simpliciter, sed secundùm quid, quia ex se albedo non uni tantùm parti est addicta sicut visio oculo; sed est nata in toto subjecto recipi.

Dicimus ergo totum compositum esse subjectum completum & connaturale omnium accidentium materialium, non tantùm *denominationis* (de hoc enim nemo dubitat) sed etiam *inhæsionis*.

Ratio est 1. quia ita docet infinitis ferè locis S. Thomas, cujus auctoritas etiam in Philosophicis magni instar argumenti est, cùm nemo Aristotelem meliùs intellexerit, & pluribus ac doctioribus libris explicaverit, ut planè desipiat, qui cùm nec ingenium, nec studium, nec lectionem, nec Lumen D. Thomæ habeat, plus tamen hoc sapere velit, & majorem sibi Aristotelicæ Philosophiæ notitiam promittat, perinde ac si de luce aut natura solis noctua cum aquilis contendat.

2. Subjectum connaturale inhæsionis est illud, cui nihil deest, ut accidentia connaturaliter recipiat (si enim aliquid desit, non erit subjectum connaturale, sicut ferrum non est subjectum connaturale lucis, quia ei diaphaneitas deest: & aqua non est subjectum connaturale caloris, quia ei deest raritas & levitas, & principia caloris conservativa) sed tam materiæ primæ, quàm formæ materiali aliquid deest, ut accidentia connaturaliter recipere possint; materia enim prima, quæ est potentia substantialis & pars compositi essentialis, priùs respicit formam substantialem tanquam actum sibi proportionatum & coëssentialem ac primarium, quàm formam accidentalem, quæ est actus tantùm secundarius, consequens, nec ejusdem cum materia ordinis.

Rursus, forma essentialis dat esse simpliciter & explet capacitatem materiæ, ut aliam substantialem formam simul habere non possit; forma verò accidentalis dat esse tantùm secundùm quid, nec explet capacitatem materiæ, sed plura accidentia simul compatitur: materia ergo prima si absque forma substantiali consideretur, non est in statu connaturali completóque, ut recipiat accidentia. Eodem modo forma materialis extra materiam non est subjectum connaturale accidentium, quia nondum est in se completa, nec in statu fixo, sibique proportionato, ut sic ergo non habet omnes conditiones subjectii inhæsionis connaturalis. Accidens ergo soli quidem materiæ inhæret ut subjecto *quo*, & principio omnis potentialitatis, ac receptionis, dependenter tamen à forma ut principio actualitatis, & materiam in suo esse connaturali complente: solum ergo compositum ex materia & forma tanquam ex duobus principijs inhæsionis constans est subjectum connaturale accidentium materialium.

3. Sicut quia forma substantialis est essentialiter actus primus, & ideo connaturaliter non advenit materiæ, nisi omni aliâ formâ substantiali nudæ, ita forma accidentalis, quia est essentialiter actus secundus, connaturaliter non advenit subjecto, nisi actum primum, hoc est, formam substantialem jam habenti; ergo subjectum connaturale accidentis est materia non nuda, sed actua-

actuata per formam substantialem, ergo subjectum connaturale accidentis est compositum.

VI. *Objicitur 1.* Possunt multa accidentia tam spiritualia, quàm materialia recipi in sola forma substantiali (v. g. intellectus, voluntas, potentiæ sensitivæ in sola anima: proprietates ignis, v. g. calor, levitas, &c. in sola forma ignis) ergo non in toto composito: & si sola forma substantialis potest recipere accidentia, cur non sola materia? Neutra enim extra compositum est in statu naturali: & major est proportio materiæ ad recipiendum, quàm formæ, quia recipere est effectus potentiæ, non actûs, quà talis.

℞. 1. Conclusionem nostram esse de forma materiali, non verò de spirituali: hæc potest sola recipere quædam accidentia, quia licèt, si à materia & corpore separetur, in ratione formæ non sit in statu completo & connaturali, est tamen in ratione substandi; cùm enim sit naturaliter immortalis, & spiritualis, est etiam naturaliter independens à materia & ab unione corruptibili, nihil ergo illi deest, quò minùs sola quibusdam accidentibus substet, præsertim verò suis proprietatibus, quæ æquè ac forma ipsa independent à materia.

2. Calorem & alias proprietates formarum materialium quod attinet, nego in sola forma recipi, recipiuntur enim in materia, cùm æquè ac ipsa forma sint materiales, dependenter tamen à forma tanquam radice proprietatum, & materiam ipsam habilitante quoad effectum recipiendi; si enim formam substantialem excludas, jam, ut dixi, materia non est connaturale subjectum inhæsionis.

Objicitur 2. Materia prima habet vim se solâ formas substantiales sustentandi, cur non formas accidentales? hæ enim sunt minoris & debilioris entitatis, & præsertim quantitatem, quæ dicitur coæva materiæ, & æquè incorruptibilis, cùm contrarijs careat.

℞. Esse manifestam disparitatem; materia enim prima connaturaliter respicit formam substantialem, tanquam actum primum, & à quo recipit primam actualitatem, non ergo respicit aut recipit mediante alio actu, Accidens verò respicit ut

actum secundum, ergo mediante primo. Hoc ipso ergo quòd materia prima est pura potentia, respicit formam substantialem sine alio actu; formas verò accidentales non respicit ut pura potentia, sed ut in actu: & idem dicas de quantitate, quæ illo tantùm sensu dicitur coæva materiæ, quia comitatur solas res materiales, & æquè ac materia non est activa, éstque medium alia accidentia materialia recipiendi, nec corrumpitur nisi per accidens, corrupto subjecto, hoc est, composito. Propriè verò loquendo quantitas non est proprietas entis materialis *ut sic*, sed corporei, qui gradus est à forma, ab hac igitur, non à materia quantitas redundat.

Objicitur 3. Actio productiva leonis v. g. est accidens, ergo recipitur in toto composito, ergo prius erit compositum naturâ ipsâ actione productivâ, hoc verò est absurdum, cùm actio productiva sit efficiens compositi, ergo prior composito.

℞. Actionem productivam leonis esse in toto leone tanquam in subjecto *quod*: ibi enim est actio productiva, ubi producit, producit autem totum: dependet ergo totum compositum leonis ab actione productiva efficienter, actio verò productiva dependet à composito materialiter & subjectivè: neque hoc absurdum, quia hæc mutua causalitas subjecti ad formam non dicit ullam prioritatem, sed meram simultatem; recipiens enim ut recipiens non est prius, sed simul cum recepto; actio ergo productiva leonis est in genere causæ efficientis prior leone, quia huic dat esse, non recipit: in genere verò causæ materialis ut in leone recepta non est posterior leone, quia licèt recipiatur, plus tamen dat quàm accipit, & ideo plus causat, quam causatur; dat enim in duplici genere, causæ formalis & efficientis: in genere verò causæ formalis nullam exercet, ut dixi, posterioritatem, simul enim sunt informare & informari, nec oportet priùs intelligi materiam recipere quàm formam recipi, multò minùs leo ut recipiens actionem productivam oportet ut priùs existat quàm actio, sed ut simul.

Objiciunt

Objicitur 4. Si accidentia in toto Composito reperiuntur; ergo & quantitas & alia accidentia materialia etiam in anima rationali, hæc ergo quanta, extensa, calida, frigida, &c. dici poterit.

℟. 1. Aliud esse subjectum *inhæsionis* ut *Quod* & Completum, aliud recipere: materia est, quæ recipit ut *Quo*, sed redditur subjectum proportionatum & connaturale ad recipiendum per formam, & ita forma constituit, integratque totum subjectum connaturale inhæsionis, licèt non sit immediatum principium recipiendi, sola ergo materia recipit, sed dependenter à forma; & ideo sola materia non est adæquatum subjectum inhæsionis,

2. Demus quantitatem recipi in anima, non ideo anima est quanta, quia licèt sit capax, ut quantitati uniatur, eámque sustentet, non tamen est capax, ut extendatur: sicut licèt anima rationalis & immortalis corpori uniatur, non ideo tamen corpus reddit immortale, quia hujus effectûs capax non est; & lux quamvis aëri uniatur, non tamen reddit visibilem, quia hujus effectûs capax non est, cùm non sit corpus terminatum. Sicut ergo animæ spirituali non repugnat esse principium vegetandi & sentiendi, ita nec esse principium recipiendi accidentia materialia, id enim facit, quia eminenter corporea.

Objicitur 5. Videmus eandem numero quantitatem, figuram, colorem in cadavere perdurare, quæ in corpore vivo, ergo illa accidentia soli materiæ, non formæ inhærebant, alioqui si formæ, hâc migrante & illa vanescerent, nisi velis accidentia Tartarorum more sedes semper mutantium de subjecto in subjectum vagari.

℟. Dato Antecedente, de quo tamen maxima apud Philosophos quæstio, *negando consequentiam*; subjectum enim *Quo* & inadæquatum recipiendi semper idem est, materia videl. prima, in quam unâ formâ decedente, continuò, eodémque instanti alia intrat, idémque officium præstat, materiam videl. actuandi, eandémque ad recipienda & sustentanda accidentia habilitandi; cùm enim, ut sæpè dictum, forma substantialis sit actus primus,

ha-

habilitat materiam, eamque constituit in esse connaturali ad recipiendum actum secundum, hoc est, accidentia.

Objicitur 6. Accidentia disponunt materiam ad recipiendam formam, v. g. calor & siccitas disponunt lignum ejúsque materiam ad recipiendam formam ignis, ergo priùs sunt in materia quàm forma; sicut quia mollities disponit ceram ad recipiendam figuram sigilli, priùs est in cera quàm forma sigilli, ergo materia est sufficiens subjectum accidentium.

℞. Sicut nunquam materia est sine forma, ita nunquam recipit accidentia nisi dependenter â forma, nullum ergo instans reale dari potest, in quo accidentia sint in materia independenter ab aliqua forma; sic etiam quando accidentia aliqua educuntur ex materia ut principio *Quo*, verè dici possunt educi ex composito ut principio *Quod*, quia materia nunquam est sufficiens principium, aut recipiendi, aut sustentandi accidentia, nisi ut informata, ob datas rationes.

Objicitur 7. Multæ sunt relationes, quæ soli materiæ conveniunt, v. g. relatio similitudinis, aut dissimilitudinis, quam materia ad similem aut dissimilem formam dicit, &c. hæ ergò saltem relationes, quæ utique sunt accidentia, soli materiæ insunt.

℞. Si sermo sit de relationibus transcendentalibus, istæ non sunt accidentia, & ideo de illis quæstio non procedit: si verò sermo sit de relationibus materiæ prædicamentalibus, illæ toti composito secundùm rationem accidentis inhærent, & ideo totum compositum denominatur subjectum & sustentans, non verò totum compositum relativè denominant, quia totum compositum non est capax hujus relationis. Sicut v. g. lux inhæret aëri, eúmque denominat subjectum lucis, non verò denominat objectum visibile, quia hujus denominationis aër capax non est.

Objicitur 8. Quantitas est sufficiens subjectum aliorum accidentium, ergo multò magis materia: hæc ex sua natura ut est pura potentia, est magis receptiva; ut verò substantia est, magis substantiva accidentium.

Antecedens patet ex Mysterio SS. Eucharistiæ, in qua omnia accidentia quantitati inhærent, & nova etiam ex quantita-

te educuntur; cùm enim in hostia consecrata novus calor v. g. educitur, oportet aliquod ejus subjectum assignari, & hoc quodnam, si quantitas non est?

℞. Sermonem hîc esse de subjecto accidentium naturali, non supernaturali, quale est quantitas in Eucharistia, & quando nova accidentia in hostia consecrata producuntur, quid obstet illa creari, non ex subjecto educi? an quia hoc miraculum esset? esto: sed quid absurdi, si tot miraculis, quæ Deus in Eucharistia operatur, etiam hoc addas? demus huic mari etiam hanc guttam, nec ideò majus erit aut redundabit.

Deinde. Ideo accidentia non possunt soli materiæ inhærere, quia hæc si à forma separetur, non est subjectum recipiendis accidentibus proportionatum. At verò quantitas materiæ inhærens, cùm non sit actus purus, sed mixtus potentiæ, nihil ei deest, quò minùs immediatè reliquis accidentibus substare possit. Si verò à materia separetur, ut in Eucharistia, Deus influxum materiæ quantitatem sustentantis effectivè supplet.

VII. *Quæritur* 5. Utrum divisio Accidentis in novem Prædicamenta sit sufficiens, & adæquata?

Resp. Affirmativè. Est communis omnium Philosophorum. Vide S. Thom. 5. *Metaph. lect.* 7.

Ratio est 1. Quia accidens vel *intrinsecè* afficit substantiam vel *extrinsecè*: si intrinsecè, aut *absolutè* aut *relativè*: si absolutè, aut ratione *materiæ*, & est *Quantitas*: aut *formæ*, & est *Qualitas*: si relativè, est *Relatio*. Si verò substantiam afficit extrinsecè, aut in ordine ad potentiam activam, & est *Actio*, aut passivam, & est *Passio*: aut per modum mensuræ quantitatis absolutè, & est *Ubi* aut per modum mensuræ cum certo ordine partium, & est *Situs*; aut per modum mensuræ durationis, & est *Tempus*. Si verò non habet rationem mensuræ, erit *Habitus*.

2. Tria sunt accidentia intra substantiam, *Quantitas*, *Qualitas*, *Situs*: Tria extra, *Ubi*, *Quando*, *Habitus*: tria partim intra, partim extra, *Ad aliquid*, *Actio & Passio*.

3. Ex omnibus effectibus, quos experimur, non innotescunt nobis plura genera accidentis quàm novem, hæc verò

primò diversa esse, nec in alio convenire, quàm genere entis; patebit ex solutione difficultatum.

Objicitur 1. Ad multiplicanda prædicamenta accidentium vel requiritur distinctio realis (ad quam etiam modalis pertinet) vel sufficit distinctio rationis? si realis, multò pauciora sunt genera accidentium, nam relatio a fundamento, actio & passio, locus à superficie, hoc est, quantitate, &c. non distinguuntur. Si sufficit distinctio rationis, poterunt plura prædicamenta assignari; quid enim obstat, ut plura concipiantur?

℟. Distinctionem realem non esse necessariam, ut bene probatum est, sed sufficere distinctionem rationis cum fundamento in re, v. g. distinguimus actionem à passione, quia videmus aliqua esse, quæ patiuntur & non agunt, & econtrà; hæc ergo separabilitas est fundamentum distinguendi: nec habet intellectus fundamentum distinguendi plura summa genera accidentis, si enim potest, assignentur,

Objicitur 2. Novem hæc prædicamenta conveniunt in ratione accidentis absoluti, aut respectivi, corporei aut incorporei, ergo non sunt primò diversa.

℟. 1. Negando novem prædicamenta in ratione accidentis univocè convenire, *tum* quia non omnia æquè propriè & verè insunt; quis enim credat æquè propriè vestem æthiopi ac nigredinem inesse? Idem de actione transeunte dicas: *tum* quia aliqua ex prædicamentis non sunt verè ac realiter accidentia, ut ex probabilissima sententia relatio, duratio, &c. *tum* quia accidens est verè ens, accidens tamen reale est magis ens quàm accidens modale, quod est ens valde diminutum & dependens, adeò ut ne quidem per Dei omnipotentiam separari à subjecto possit: *tum* denique & universaliter, quia accidens completum dicit implicitè omnem differentiam accidentis, & prædicamentalem, cùm omnes sint intrinsecè accidentia: accidens verò incompletum sunt ipsæ differentiæ prædicamentales, quæ dicunt aliquam, non omnem rationem accidentis, semper ergo accidens dicit aliquam *aleitatem*. Secùs est de substantia completa, quæ est genus univocum ad suas species & differentias; substantia enim

in

in genere substantiæ non completur per hoc quòd sit animal, sed per hoc quòd sit per se, & det primum esse, in quo omnes substantiæ conveniunt: accidens verò non completur per hoc quòd inhæreat, vel possit inhærere (hoc enim pertinet ad existentiam & communicabilitatem accidentis, in quo omnia accidentia conveniunt) sed per hoc quòd substantiam afficiat eique commensuretur, quæ commensuratio, ut patet, est diversa, & constituit diversa prædicamenta. Analogia verò accidentis ad novem prædicamenta est analogia proportionalitatis propriæ, quæ dicit formam intrinsecam omnibus analogatis; & *ratio* est, quia ibi est analogia proportionalitatis, ubi non est alia unitas, quàm proportionalitatis: Sed ita est in novem prædicamentis, ut ostensum. Aliud in univocis est; licèt enim etiam in equo & bove reperiatur hæc analogia, ea tamen non est sola, sed præter illam datur vera unitas & convenientia perfecta in gradu animalis.

℞. 2. Esto ratio accidentis sit ad novem prædicamenta omnino univoca, non sequitur tamen esse genus, quia genus propriè habet differentias extra sui rationem; sicut v. g. rationale & irrationale sunt differentiæ ipsius substantiæ, non quidem in ratione substandi & existendi per se, sic enim potiùs conveniunt quàm differant, nec aliter substat & per se existit irrationale, aliter rationale. At verò differentiæ accidentis differunt in ipsa ratione accidentis; aliter enim modificat substantiam quantitas, aliter qualitas, &c. & in hac ipsa modificatione & commensuratione ad substantiam consistit ratio accidentis, quod essentialiter est ens incompletum & secundarium, & ideo definitur entis ens.

℞. 3. Ad alia verò communia genera accidentis, quæ objiciuntur, dico illa esse genera transcendentia, quæ de substantijs æquè ac accidentibus prædicantur.

Plura circa hanc divisionem accidentis in novem prædicamenta vide apud Suar. *disp. 39. Metaph. à n. 32.*



§. IV.

DE ENTE MODALI.

Summaria.

1. *Ens modale dari ostenditur.*

2. *Ejus definitio.*



PRiùs dicendum est aliquid de ente modali, quàm ad prædicamenta accidentis in particulari pergamus; est enim Modus entitas aliqua inter substantiam & accidens media; alij enim sunt modi substantiales, v.g. subsistentia, unio, &c. alij accidentales, ut inhærentia, actio, &c. Generaliter omnis qualitas Modus appellatur. S. Th. *1. 2. q. 49. a. 2.* & ideo etiam differentiæ prout qualificant genus & in *quale* prædicantur, illúdque ad certam speciem determinant, modi appellantur. Magis strictè Modus appellatur omnis determinatio & limitatio unicuique rei juxta ejus mensuram præfixa. Vide S. Thomam *1. p. q. 5. a. 5.* & *1. 2. q. 85. a. 4.* Hîc de Modo agimus in sensu philosophico, prout vid. est ens diminutum, addens substantiæ aut accidenti non tam novam

vam entitatem (adeò enim exilis eſt, ut vix nomen entis mereatur) quàm potiùs ultimò ſubſtantiam, aut accidens in ſuo ſtatu & exiſtentia determinans.

I. *Quæritur*, An & quid ſit Modus?

Reſp. Et Dico 1. Datur ens reale minutum, quod Modus appellatur. *Ratio eſt 1.* quia certum eſt ſubſtantiam eſſe rem aliquam à natura realiter diſtinctam, ut patet ex myſterio Incarnationis, & tamen ſubſiſtentia non eſt niſi modus, non enim poteſt exiſtere ſine natura, cujus eſt ſubſiſtentia, non indiget aliâ ſubſiſtentiâ, ut naturam terminet, aliàs proceſſus daretur in infinitum; non poteſt aliam naturam quàm hanc numero afficere, qui omnes ſunt characteres entis modalis, ut mox videbimus. Idem quamplurimi tradunt de relationibus, unionibus, ubicationibus &c.


2. Subſiſtentia naturæ humanæ eſt aliquid, nec tamen eſt vera & completa entitas, alioqui verbum Divinum non aſſumpſiſſet integram naturam humanam; ergo eſt ens medium, quod modale vocamus.

II. *Dico 2.* Modus bene definitur, *Entitas quæ non poteſt eſſe, quin uniatur alteri intrinſecè, quod poteſt eſſe ſine illa.* Senſus eſt, modum eſſe entitatem eſſentialiter determinativam ſubjecti indifferentis, adeò ut ne divinitus quidem exiſtere poſſit ſine ſubjecto, quod determinat, ſicut motus non poteſt eſſe ſine mobili, ſeſſio ſine ſedente, unio ſine materia quam unit, licèt materia poſſit eſſe ſine hac unione, mobile ſine motu, ſedens ſine ſeſſione. Sic etiam albedo non eſt eſſentialiter determinata, ut actu inhæreat vel ſubjectum dealbet, ut patet in S. Euchariſtia: ipſa verò inhærentia albedinis eſt actualis ejus determinatio, ut implicet dari inhærentiam, quin forma aliqua inhæreat, ſubjectóque uniatur. Licèt verò creatura exiſtere non poſſit ſine Deo, nec unum relativum ſine ſuo correlativo, non ideo tamen creatura eſt modus Dei, nec relativum eſt modus ſui correlativi, quia non intrinſecè determinant, nec uniuntur. Ex hac verò natura modi ſequitur ejus omnimoda, & indiſpenſabilis inſeparabilitas à ſuo ſubjecto, ita videlicet ut hæc numero ſeſſio v. g. ſeparari ne divinitus quidem ab hoc numero ſubjecto poſſit; & *ratio* eſt, quia

si sessio v. g. esset vera entitas, & non modus tantùm entis, non haberet tantam ab alio dependentiam, quæ per infinitam saltem potentiam suppleri non posset; sive enim subjectum exerceat in aliquam veram entitatem causalitatem materialem, sive efficientem, certum est suppleri à Deo posse, potest enim Deus sine sole illuminare, & accidentia panis sine pane conservare.

Dices: Actus vitalis v. g. visionis non potest esse extra potentiam aut formam vitalem, & tamen non est modus.

℞. Hanc inseparabilitatem non ex eo provenire, quòd actus vitalis sit essentialis determinatio subjecti indeterminati, sed quia motus vitalis est essentialiter à principio intrinseco, ergo non potest esse vitalis, ubi non ponitur principium intrinsecum. Quænam verò res in particulari sint & dicantur modi, patebit ex operis decursu.



§ V.

DE QUANTITATE.

Summaria.

1. *Quantitatem à substantia realiter distingui contra Nominales ostenditur.*
2. *Ejus essentia malè constituitur in ratione mensuræ.*
3. *Pejus in indivisibilitate aut aliâ quavis extensione actuali in ordine ad locum.*

4. Opti-

4. *Optimè verò in extensione partium in ordine ad totum.*
5. *Adversariorum argumenta dissolvuntur.*
6. *In rigore philosophico Numerum directè non poni in prædicamento quantitatis, auctoritate & rationibus convincitur.*
7. *A quo etiam majori jure Oratio excluditur.*
8. *Sed Locus, quia à superficie non distinguitur, justum sibi locum in eo vendicat.*
9. *Linea, Superficies, & Corpus sunt veræ Species quantitatis.*
10. *De nonnullis proprietatibus quantitatis.*





Quantitas subinde pro perfectione, aut virtute sumitur, & hoc sensu magnam scientiam, fortitudinem appellamus; strictè verò & philosophicè significat molem, seu extensionem corporum, & hæc est quantitas molis. De utraque acceptione vide S. Thomam *1. p. q. 42 a. 1. ad 1.*

Nos de posteriore tantùm agemus.

I. *Quæritur 1.* Quomodo Quantitas distinguatur à Substantia?

Resp. Quantitas realiter distinguitur à Substantia. Platonici & Stoici unam rem esse docebant. Idem Nominales; eamdem enim rem *ut* substat accidentibus, substantiam, *ut* habet partes extra partes, quantitatem vocari: sic & alia accidentia uno respectu v.g. qualitatem, alio quantitatem esse.

Sed

Sed probatur Conclusio 1. ex Sacramento Eucharistiæ, ubi destructâ substantiâ panis tota quantitas supereſt. *Nec dicas* supereſſe solam quantitatem aliorum accidentium, coloris, saporis, &c. patet enim ad sensum peractâ consecratione totam omnino quantitatem panis perdurare, quæ priùs erat, nullúmque penitus notari decrementum, quod utique notaretur panis quantitate subductâ. *Deinde* vanum eſt dicere aliam eſſe quantitatem, quæ substantiam panis, aliam quæ colorem, & alia accidentia extendat; cùm enim omnia accidentia eodem subjecto recipiantur, una pro omnibus quantitas sufficit, alioquin eodem modo dicendum erit, aliam eſſe albedinem, quæ materiam, aliam quæ formam, aliam quæ quantitatem nivis coloret, eámque visibilem reddat; quodsi una qualitas pro omnibus, cur non una quantitas? Si accidentia Eucharistica in uno aliquo communíque subjecto non colligantur, hoc eſt, quantitate, quî ergo fit, ut uno accidente moto & alia moveantur, uno calefacto & alia calefiant?

Rursus. Omnia accidentia Eucharistica ante & poſt consecrationem æquè sunt in uno eodémque loco, & ita penetrantur, non ergo habent diversas quantitates, hæc enim saltem ante consecrationem penetrari non poteſt, cùm quantitas naturaliter penetrationi resiſtat, aut si quantitates propriè accidentium Eucharisticorum se mutuò penetrant, quid ergo causæ eſt, ut duæ hoſtiæ consecratæ se mutuò penetrare non poſſint? admittis enim quantitates consecratas penetrationi haud resiſtere, ergo aut in omnibus hoc verum, aut in nullo.

2. In eodem Eucharistiæ Sacramento Chriſtus Dominus eſt sub speciebus consecratis cum tota sua naturali quantitate, & tamen non habet extensionem partium in ordine ad locum, ergo falsum eſt, quod dicunt Nominales, quantitatem eſſe ipsam substantiam, ut habet extensionem partium.

3. Et efficacius experientiâ patet, materiam, formam, aliásque qualitates intimè penetrari, & eumdem locum occupare; non ita verò unam partem integralem cum alia, v. g. dextram cum læva; ergo hæc repugnantia penetrationis non eſt à substantia aut qualitatibus, sed aliunde; à quo verò nisi à quantitate

tate distincta? *Quodsi dicas*, solam quantitatem materiæ, utpote crassiorem magisque compactam impenetrabilem esse, non verò formæ aut aliorum accidentium, hanc enim esse tenuiorem & nullius molis, unde ergo quantitati Eucharisticæ impenetrabilitas? unde aquæ, aëri, igni, alijsque rebus tenuissimis? & ridiculum est, quantitatem dicere nullius molis, si enim molem non habet, quantitas non est.

4. Cum qua substantia quantitatem identificas? cum materia sola, & non cum forma? atqui æquè forma materialis & accidentia sunt apta loco extendi, ut patet in Eucharistia, & alia corpora loco excludere: cum sola forma? idem argumentum recurrit; cum utraque? ergo duæ quantitates saltem partiales se mutuò penetrabunt; cur ergo non possint etiam duæ quantitates partium integralium se mutuò penetrare?

5. Cur potiùs quantitatem cum substantia identificas, quàm cum colore, sapore, calore? eodem enim pacto dicere possis, substantiam materiæ aut formæ esse idem realiter cum colore, quatenus est visibilis, cum sapore quatenus gustabilis, &c.

Objicitur. Effectus quantitatis est, materiam v. g. reddere extensam, hoc est, partes extra partes & diverso in loco: atqui materia habet hoc secluso quovis alio accidente, partes enim substantiæ sunt substantia, nec enim negabis, manus, pedes, oculos substantiam esse; hoc ipso autem quòd sint partes distinctæ, possunt esse in distinctis locis, ergo extensæ, ad quid ergo opus quantitate?

℞. Substantiam seclusâ quantitate posse in diversis locis esse, sed non necessariò, ut in Angelis patet, qui possunt & loco separari & penetrari; ergo esse in loco cum necessaria impenetrabilitate & ordinatione effectus est quantitatis, quâ divinitus sublatâ redderetur substantia penetrabilis *tum* cum alijs substantijs, *tum* etiam cum suis partibus; & patet in substantia Angelica. Imò potest etiam ipsa quantitas, etsi maxima, aut per condensationem, aut penetrationem partium in punctum colligi, restringique, sed hoc supernaturaliter fiet, ut in Eu-

charistia, & quantitate aptitudinalem adhuc extensionem, quæ sola est ei essentialis, retinente. Vide S. Th. 3. p. q. 77. a. 2.

II. *Quæritur* 2. In quo consistat ratio formalis quantitatis?

Resp. 1. Ratio essentialis quantitatis non consistit in hoc, quòd sit mensura.

Nota; Mensura propriè loquendo est, quâ rei quantitas cognoscitur: sic ulna est mensura panni, &c. quantitas est mensura intrinseca substantiæ, per quam coaptatur mensuræ extrinsecæ, hoc est, loco; cùm enim quantitas non sit mensura simpliciter indivisibilis, ut punctum & unitas, est mensura ut etiam sit mensurabilis & mensurata; nam & ulnam palmo & palmum puncto metiri possumus; mensuratio ergo est applicatio mensuræ ad mensuratum tanquam medij ad cognoscendam rei quantitatem. Hæc verò mensuratio aut fit unâ applicatione, si videlicet mensura mensurato adæquetur, aut si non adæquatur, proportione saltem cognosci excessus aut defectus mensuræ & mensurati possit: aut fit repetitione, si videlicet mensuratum sit numerus, aut saltem cum numero partium concipiatur: sic ulnam repetitis palmis metimur, quia plures habet palmos: pondera verò rerum non tam repetitione & additione ponderis, quàm adæquatione. In quantitate verò perfectionis species perfectissima est mensura aliarum specierum, quæ per accessum aut recessum ad illam magis, minúsve perfectæ sunt: sic objectum est mensura scientiæ, exemplar imaginis, Deus mensura exemplaris & effectiva omnium creaturarum. Vide S. Th. in *1. d. 8. q. 4. a. 3.* & *l. 10. Metaph. lect. 2.* & *1. poster. lect. 26.* quibus locis ostendit in omnibus generibus quantitatis, hoc est, in tribus dimensionibus, in ponderibus & in molibus (nam etiam hæc ut comparantur ad magis aut minùs gravia, habent aliquam rationem quantitatis) id quod est unum & indivisibile esse mensuram cæterorum in eodem genere; quantitatem enim puncto, numerum unitate, motum instanti, qualitatem gradu, creaturas Creatore, qui maximè est unus, metimur.

Ratio ergo Conclusionis est 1. Vel Quantitas est mensura substantiæ quam afficit, vel sui? Non est mensura substantiæ, quia

quia non ejusdem rationis & homogenea; ficut enim pondus non metimur longitudine, hoc eſt, ulnâ, nec longitudinem pondere, quia non ſunt ejusdem rationis, ita multò minùs ſubſtantiam quantitate metiri poſſumus; nec applicatio quantitatis poteſt me inducere in cognitionem ſubſtantiæ: applica mihi ulnam purpuræ, an ideo cognoſcis, quid ſit purpura? Non etiam Quantitas eſt menſura ſui, quia menſura & menſuratum dicunt relationem æqualitatis, quæ neceſſariò eſt inter duo. Eſt quidem quantitas cognoſcibilis, ſed hoc eſt eſſe objectum intellectûs, non menſuram ſui, nec cognoſcibilitas poteſt eſſe eſſentia quantitatis, cùm etiam ſubſtantia aliaque entia ſint cognoſcibilia.

2. Quantitas eſt accidens abſolutum, menſura relativum (menſura enim eſt alterius menſura) ergo quantitas non eſt eſſentialiter menſura.

3. Quantitas eſt quidem menſura activa ſubſtantiæ, quia reddit illam aptam, ut res alias menſuret, & eſt etiam menſura paſſiva, quia quod eſt quantum, menſurari poteſt: ſed tam eſſe menſurabilem quàm eſſe menſurativum ſupponit extenſionem (menſuræ enim indiviſibiles ſunt tantùm unitas & punctum) ergo extenſio eſt aliquid prius quàm menſura, ergo ratio menſuræ non eſt quantitati eſſentialis.

4. Menſura, ut ſit proximè talis, requiritur, ut ſit *nota, certa* & *fixa* (cùm comparetur ad menſurandum ſicut principium ad Concluſionem) *ut ſit parva quantitatis*, & *homogenea*, quæ omnes conditiones, ut patet, ſunt extra eſſentiam quantitatis.

5. Eſſe menſuram non pertinet ad ſolam quantitatem (nam etiam motum, gravitatem, & alia menſuramus) ergo eſſe menſuram non eſt eſſentia quantitatis.

6. *Denique* eſſe menſuram non convenit rei niſi ex hominum accommodatione, ut patet in omnibus menſuris, nec enim lignum v. g. eſt eſſentialiter menſura panni, &c. Et quamvis lignum ex natura ſua ſit aptum ut menſuret, hæc tamen aptitudo terminatur ad extrinſecum, & ita priùs explicari debet quid ſit lignum, quàm an ſit menſura: eodem modo *eſto* quantitas ſit menſura, explicandum tamen reſtat, per quid quanti-

tas in se constituatur, reddatúrque apta ut mensuret, & de hoc procedit quæstio. Quando ergo S. Thomas docet, quantitatem essentialiter esse mensuram, intelligendus est de mensurâ radicali; hoc ipso enim quod quantitas est extensa, redditur apta ut sit mensura & mensurabilis, si enim esset punctum, non indigeret mensurâ, cùm statim sit notum, quid sit & quantum sit punctum: nec esset mensura, quia punctum indivisibile non est mensura longitudinis, utpote inextensum, & quod millies etiam sumptum non facit longum, sicut atomus etiam millies sumpta non est apta metiendo plumbi centenario.

III. *Resp.* 2. Formalis ratio quantitatis non potest consistere in proxima divisibilitate aut actuali repletione loci, actuali impenetratione, aut alia quavis extensione in ordine ad locum.

Ratio est, quia proxima divisibilitas in partes quantitativas supponit partium quantitativarum extensionem, ergo hæc est prior divisibilitate, actualis verò repletio loci, aut impenetratio, est tantùm effectus quantitatis, qui salvâ quantitate abesse potest, ut patet in S. Eucharistia. Vide S. Thom. *3. p. q. 76. a. 4.*

IV. *Resp.* 3. Tota & formalis ratio quantitatis est extensio partium in ordine ad totum, adeò, ut sublatâ quantitate corpus humanum v. g. non haberet partes actu extensas, sed tantùm virtualiter & in potentia extensibiles, multò minùs haberet unam partem supra, aliam deorsum, sed efficeretur substantia omnino indivisibilis, quia careret omni extensione, & consequenter omni principio divisibilitatis; sicut sol omni luce destitutus redderetur omnino invisibilis, quia careret omni principio visibilitatis. Hæc est sententia D. Thomæ infinitis locis. Vide *opusc. 72. q. 5 a 3. ad 3. opusc. 42 c. 16. opusc. 48. c. 4.* & *Quodlib. 9 q. 4 a. 1* & *l. 4. cont. Gent. c. 65.* & *1. p. q. 50. a. 2.* & Vasq. *1. p. q. 196. c. 3.*

Nota, in corpore humano v. g. reperiuntur multæ partes substantiales, caput, oculi, manus, &c. quæ utique non habent à quantitate suum esse substantiale; quantitas enim cùm sit accidens, non potest formaliter esse aut constituere substantiam,

tiam, sed illud habent à quantitate, quòd sint ordinatæ, inconfusæ, impenetratæ, extensæque, adeò ut sublatâ quantitate nihil quidem corpori humano substantiæ decederet, solveretur tamen ordo ille & evolutio actualis partium, nec posses dicere, hîc est caput, hîc manus, hîc oculi, &c. sed ubique manus, ubique oculi, &c. ordine partium & mutuâ colligatione sublatis; ordo enim & colligatio, & divisibilitas in partes actuales à quantitate sunt. Sicut ergo marmor rude & impolitum nullas habet partes actuales, non brachium, non oculum, non pedem, &c. sed illas ab arte accipit, cùm in statuam formatur, formâ verò deletâ & complanatâ continuò partes marmor amittit & tantùm in potentia retinet, ita omnino de materia sentiendum, quæ ut marmor ab arte, sic illa partes à quantitate recipit: est verò ea disparitas, quod marmor non figuratum adhuc qnantitatem habet, & ideo etiam aliquas partes in quas dividi potest; materia verò aut alia substantia in data hypothesi nullam habet quantitatem, & ideo nullas omnino actu partes.

Ratio Conclusionis sic explicatæ est 1. Partes esse extensas, evolutas, & ordine sibi colligatas nihil aliud est, quàm unam partem non esse intra aliam, nec cum alia penetrari, sed potiùs unam alteri quoad solas extremitates uniri (si enim caput v. g. & pedes se mutuò penetrent, séque totis uniantur, certum est nullam fore extensionem, nec distinctionem localem) sed hæc impenetrabilitas, evolutio & coordinatio partium est à sola quantitate; substantia enim non est principium impenetrationis & evolutionis partium, ut in Angelis patet, & forma, etiam materialis, quæ cum materia intimè penetratur.

2. Si substantia est entitativè ante quantitatem extensa, habétque partes extra partes, ergo est principium impenetrationis (partes enim penetratæ non extenduntur) ergo sicut resistit penetrationi unius partis continuæ cum alia, ita resistet penetrationi unius contigui cum alio (faciliùs enim penetrantur magis unita quàm minùs unita, eadem ergo vis quæ resistit magis penetrabilibus, multò magis resistit penetrationi minùs penetrabilium) ad quid ergo & ad quem effectum ponitur Quantitas?

totam enim extensionem, quam à quantitate expectas, jam substantia ex se habet; si enim ex se habet partes extra partes, jam etiam petit naturaliter locum replere, hoc est, alium & alium locum occupare, cùm naturaliter non possint partes extensæ, quarum una est post aliam, in eodem loco esse. Corpus quidem Christi Sacramentatum à quantitate sua habet partium intra se ordinationem, illæ tamen eundem locum supernaturaliter occupant, quia hæc actualis loci repletio est effectus secundarius quantitatis, qui suppleri divinitus potest.

Dices, adhuc quantitatem esse necessariam, quia *esto* substantia habeat partes entitativè extensas & evolutas, adhuc illæ non peterent naturaliter diversum locum, sed essent naturaliter in eodem loco, sicut defacto materia & forma naturaliter penetrantur; actualis ergo loci repletio est effectus formalis secundarius quantitatis, aptitudo verò & exigentia ad locum replendum, quam uno verbo molem vocamus, est essentia quantitatis.

Contrà: Ideo quantitas est naturaliter loci repletiva, & naturaliter locum replet, nisi divinitus impediatur, quia naturaliter habet partes extra partes, extensásque, ex quo naturaliter repletio loci nascitur, unde enim aliàs? ergo si, ut tu dicis, etiam substantia habet naturaliter partes extra partes, extensas, evolutas, impenetrabiles, æquè erit principium replendi locum naturaliter, quò ergo & in quem finem quantitas?

3. Sublatâ quantitate tota substantia, ejusque omnes partes loco penetrantur, & in punctum colliguntur, ergo saltem physicè & sensibiliter redduntur indivisibiles, punctum enim dividi non potest, aliàs punctum non esset, imò penetraretur cum ferro v.g. dividente, & ita conatum eluderet.

4. Substantia si ante quantitatem habet partes, ergo petit naturaliter aliquod *Ubi*, quidquid enim est, naturaliter alicubi est: quale ergo *Ubi* naturaliter petet? divisibile, ut pars substantiæ parti loci respondeat? an indivisibile, ut pars substantiæ sit tota in toto loco & tota in qualibet parte? non hoc, quia naturaliter locus locato commensuratur, & ita substantiæ divisibili ac partes extra partes habenti locus æquè divisibilis & partes suas habens debetur: non illud, quia si substantiæ sublatâ quantitate

de-

debetur *Ubi* divisibile, ergo debetur ut una pars substantiæ sit in uno loco, alia pars in alio loco, ergo illi debetur naturaliter extensio etiam quoad locum, ad quid ergo quantitas distincta?

5. Denique nulla est necessitas ponendi in substantijs partes aut ordinem & extensionem actualem à partibus quantitatis distinctam, ut patebit ex solutionibus objectionum, ergo ponendæ non sunt, natura enim parci est genij, & à superfluis abhorret.

V. *Objicitur 1.* Animal cùm nutritur, novas substantiæ partes acquirit, quas ante non habebat, ergo in substantia partes dantur, substantia enim, quæ acquiritur, non potest illa esse, quæ prius & ante nutritionem habebatur.

℞. Cùm animal nutritur, substantia quidem alimenti, panis v. g. transit in substantiam carnis, sed tamen ea substantia & cùm erat sub forma panis, & cùm transijt iu formam carnis, semper sub quantitate erat, & à quantitate partes actuales sortiebatur, semper ergo partes substantiæ à quantitate sunt. Nec nos negamus in substantia infinitas ferè partes substantiales designari posse, sed actualem designationem quantitati adscribimus, quâ subductâ cessat actualis partium designatio, & confunditur, ipsa verò substantia velut convolvitur, nec ampliùs actu habet partes, sed tantùm potentiâ, hoc est, potest quantitatem recipere, & ab hac in partes integrales dividi, ordinarique. Eodem modo una materia potest esse major alterâ, v. g. materia & substantia elephantis major, quàm substantia apis, & formicæ, non quidem actu, cùm magnitudo molis pertineat ad quantitatem, non substantiam, sed potentiâ & radicaliter, quia materia elephantis est receptiva majoris quantitatis (quanta videlicet formæ elephantis servire possit) & ideo est in plures & majores partes divisibilis. Sic etiam si Sacerdos medietatem tantùm hostiæ consecrare intendat, peribit quidem medietas substantiæ integrâ totâ hostiæ quantitate, quia sicut substantia sub quantitate partes habet, ita potest in partes dividi & partes amittere; quantitas tamen in dato casu divinitus conservatur, naturaliter enim peteret cum destructa substantia & ipsa destrui;

nam

nam corruptio substantiæ naturaliter non fit nisi corruptis accidentibus & dispositionibus, cùm substantia per se non habeat contrarium, corruptio autem fit â contrarijs. Quodsi Deus medietatem illam hostiæ non consecratam conservaret destructâ quantitate, illa jam se non haberet ut pars coordinata & colligata alteri medietati utpotè consecratæ, quam coordinationem & colligationem per quantitatem fieri diximus.

Objicitur 2. Substantia est subjectum quantitatis, vel ergo substantia materialis recipit qnantitatem ut subjectum divisibile, vel ut indivisibile? non hoc, quia concipi nequit, quomodo quantitas divisibilis recipiatur in subjecto indivisibili, alioqui, quid obstet quantitatem etiam in Angelo recipi? Si verò substantia recipit quantitatem ut subjectum divisibile & quantitati proportionatum; ergo jam antecedenter partes habebat.

℞. Substantiam esse virtualiter divisibilem, quia potest naturaliter quantitatem recipere, & mediâ quantitate in partes extendi; sicut enim murus non albus potest albedine colorari, & aër non lucidus potest luce illustrari, ita substantia actualiter non extensa potest quantitate extendi: sicut enim subjectum albedinis non est subjectum album, sed dealbabile, ita subjectum quantitatis & extensionis non est substantia actu extensa, sed extensibilis.

Quid ergo, si Deus quantitatem à corpore humano auferat? num ideo partes corporis humani, manus, brachia, caput, oculi peribunt, absumentur?

℞. Manebit tota Substantia illarum partium, sed totus ordo confundetur, nec ampliùs ulla distributio & distinctio partium apparebit, ordinatio enim partium à quantitate velut conditione pendet; nec enim dicimus entitatem & realitatem partium substantialium à quantitate esse, sed illarum tantùm ordinationem & actualem distinctionem seu inconfusionem, & hinc est quòd cœlum habet majorem substantiam, quàm granum frumenti, quia ut est sub forma cœli, maiorem postulat quantitatem, & consequenter majorem extensionem actualem: licèt ergo plus substantiæ sit in cœlo quàm in grano, non ideo tamen

men cœlum habet majorem extenſionem actualem, ſed tantùm radicalem, ſi quantitatem excludas.

Objicitur 3. Nudet Deus Oceanum omni quantitate, quid illo fiet? confluet in punctum? bibi poterit? quidni enim poſſit cùm ſit minor guttâ?

℞. Mirum eſſe, à nobis rationem eorum peti, quæ nunquam viſa, nunquam audita, nunquam facta, nunquam futura ſunt: Nudetur priùs omni quantitate Oceanus, & ſic oculis ac experientiæ ſubdatur, tunc dicemus, an in punctum colligi, an ebibi poſſit, balenæ ſaltem & delphines & tot oſtrearum millia ſtomacho incommodarent. Certè datâ eâ hypotheſi quantitate careret, nec partes haberet actu, eſſétque punctum entitativum, non quantitativum, quia quantitas omnis abeſſet, nec per motum ad illud punctum confluerent, ſicut fieri ſolet, cùm mare refluit, ſéque ipſum colligit, ſed per meram privationem, quæ inſtantanea eſt. Sicut ſi Deus corpori ſolari omne lumen adimat, deſinet eſſe lucidum privativè, unicóque inſtanti. Sed piget de rebus dicere, quæ intra velum latent; aperi theatrum & ſcenas explica, nam priùs de comœdia ferri ſententia non poteſt.

Objicitur 4. In corpore humano certum eſt, jam aliam ſubſtantiam eſſe caput, aliam manus, auferat Deus quantitatem, aut tunc caput & manus diſtinguuntur, aut non diſtinguuntur? ſi hoc, ſequitur id quod aliquando erat diſtinctum ab alio, identificari cum eo poſſe, id verò impoſſibile eſt, fieri enim non poteſt, ut Joannes ſit Petrus & econtrà. Si verò ablatâ quantitate partes illæ diſtinguuntur, ergo ablatâ quantitate dantur actuales in ſubſtantia partes.

℞. Partes corporis ſub quantitate unitas non eſſe plures ſubſtantias, ſed plures partes ſubſtantiæ, & ita ſublatâ quantitate manent una ſubſtantia, ſed deſinunt eſſe partes actuales, fiúntque unum aliquod confuſum & in potentia in partes ordinabile. Adhuc ergo corruptâ quantitate ſubſtantiæ manûs non eſt ſubſtantia pedis: ſed tamen ſubſtantiæ illæ cùm penetrentur, confundantur, non habeant ſurſum & deorſum, non prius nec poſterius, non figuram, non ſitum, amittunt eſſe actua-

actuale, quod in ordine modo [illegible] explicato consistit: & data illâ hypothesi [illegible] quant[illegible], suppositum [illegible] *de subjecto non s*[illegible] [illegible] sed tantùm potent[illegible] [illegible] oculus cui [illegible] oculi, non magn[illegible], nec [illegible], non qui [illegible] oculi [illegible] adsunt? sicut si [illegible] colores abstergas, non erit illic actu imago, sed tantùm in potentiâ.

Objicitur 5. Ponatur vas ingens aquâ plenum, aut, si mali[illegible] vino dulcissimo, tunc Deus auferat aquæ quantitatem, utique illic adhuc erit substantia aquæ, nec enim avolavit; ergo erit illic ut in loco; ergo erit coëxtensa loco; ergo habebit partes.

℞. Aqueum hoc Argumentum esse, & aquâ frigidius. Si esse in loco sit idem quod alicubi penetrativè esse, do illam aquam esse in loco, penetrativè tamen cum illo loco & vase, & ideo nec bibi illa aqua poterit, nisi vas ipsum una deglutias. Si verò esse in loco sit idem quod loco coëxtendi, nec cum loco penetrari, aqua illa non erit propriè in loco, sed tantùm impropriè & per accidens ac remotè, hoc est, in loco vasis cum quo penetratur. Sicui hæc responsio non placet, exhibeat priùs illam hypothesin, omníque quantitate aquam nudet, tunc impugnet responsum & melius expectet. Jam ergo ex dictis patet, omnes proprietates quantitatis in extensionem partium tanquam in rationem formalem & essentiam quantitatis resolvi; ideo enim una quantitas alteri æqualis est, quia æquè extensa: ideo quantitas mensura est, quia in se habet dilatationem & extensionem: ideo in partes divisibilis est, quia partes habet: ideo loci repletiva est, quia est moles, hoc est, partes habet extra partes: sicut enim duo corpora quanta duo loca naturaliter petunt ita duæ partes corporis quanti; & ita repletio loci radicalis & aptitudinalis ex partium extensione & impenetratione oritur. Si verò quæras, cur quantitas sit extensa, habeatque partes extra partes, hoc est, cur sit moles? hîc sistendum est, dicendúmque hanc quantitatis esse naturam & essentiam, quæ cùm sit prima & causa omnium proprietatum, in aliam causam intrinsecam resolvi non potest.

VI. *Quæ*

VI. *Quæritur 3.* An Numerus ponatur directè in prædicamento Quantitatis?

Resp. Numerus strictè loquendo non est ens unum per se, sed tantùm per accidens, nec ponitur *directè* in prædicamento, sed *reductivè*, sicut domus & artefacta: idque ratione ordinabilitatis plurium quantitatum, per quam acquirit aliquam unitatem scibilem, & ab Arithmetica considerabilem. Circa hanc Conclusionem aliqua prænotentur.

Nota 1. Numerum à parte rei & realiter dari; quis enim neget à parte rei magnum esse stellarum & arenarum numerum? nec enim aliud est numerus, quàm plures unitates, & pluralitas consurgit ex divisione quantitatis, quæ omnia à parte rei sunt.

Nota 2. Nec etiam dubitari potest, quin numerus pertineat ad quantitatem discretam, quantitas enim est, quæ habet partes extra partes, & est aliorum mensura: nihil autem magis habet partes extra partes quàm numerus, & nulla est quantitas continua, nullus motus, nullúmque pondus, quod numero non mensuretur, pluresque quantitates & pondera discreta unam quantitatem aut pondus continuum adæquant. Verum quidem est, etiam in Angelis & substantijs immaterialibus ac quantitate destitutis numerum inveniri, si per numerum nihil aliud intelligas, quàm multitudinem ab intellectu numerabilem, sed hic numerus est *transcendentalis* non *prædicamentalis*; sicut ergo unitas transcendens non pertinet ad prædicamentum quantitatis, ita nec multitudo transcendens: & ideo in divinis licèt numerus ternarius, de quo æquè ac de alijs ternarijs quantitativis ac materialibus omnes proprietates numerorum arithmeticè demonstrari possunt, non tamen est quantitas discreta. Sic etiam materia & forma & accidentia omnia, quæ in eodem composito reperiuntur, eâdémque quantitate extenduntur, non componunt propriè numerum, qui spectet ad quantitatem discretam. Numerus ergo prædicamentalis non dicit quamlibet multitudinem unitatum, sed multitudinem unitatum, quæ ex natura sua exigant separationem, non tantùm entitativam, sed etiam localem & impenetrabilitatis.

Nota 5. Numerus alius eſt *numeratus*, alius verò *numerans*. Numeratus ſunt res, quæ in numerum cadunt, ut 4 elementa, 7 planetæ, &c. Numerus numerans eſt ipſa forma numeri, à qua res denominantur, ut quaternarius, ternarius, &c. Sed hæc forma numeri quid eſt? ipſa multitudo unitatum ut eſt ab intellectu numerabilis; priùs enim eſt numerus, quàm ab intellectu cognoſcatur & numeretur, nec enim planetæ ſunt ſeptem, & principia ſunt tria ab intellectu, alioqui penes hunc eſſet numerum augere aut minuere, ſicut in artefactis.

Et *ratio* eſt, *tum* quia datis tribus unitatibus v. g. aut numerus eſt aliquid præter collectionem earum unitatum quantitativarum, aut nihil? Si hoc, habemus intentum, ſi aliquid præter collectionem quantitatum; illud ipſum aut eſt quantitas, aut non eſt? ſi eſt quantitas à tribus diſtincta, ergo & ipſa facit, augétque numerum, & jam non ſunt tria, ſed quatuor: aut ſi aliqua quantitas continua eſt, quæ per ſeipſam non per aliud facit unitatem & numerum, idem dicendum erit de omnibus quantitatibus, cùm omnium eadem ſit ratio. Si verò illud, per quod collectio trium quantitatum diviſarum, v. g. trium palmorum, evadit numerus, eſt aliquid à quantitate diſtinctum, quomodo fieri poteſt, ut *formaliter* & eſſentialiter conſtituat quantitatem diſcretam, hoc eſt, numerum? ſicut enim quod non eſt albedo, non poteſt *formaliter* dealbare aut aliquid conſtituere in eſſe albi, ita quod non eſt quantitas, non poteſt *formaliter* conſtituere numerum in ratione quantitatis. *Tum* quia datis tribus palmis diviſis v. g. ſi id per quod conſtituuntur in ratione numeri ternarij, eſt aliquid à collectione eorum palmorum, demus illud aliquid, ſive ſit modus ſive res, ab illis palmis ſeparari, aut ſaltem præſcindi, an tunc illæ tres unitates non facient numerum ternarium? quem ergo facient? ſunt enim plures; fortè binarium? at mirum ſit ex tribus unitatibus binarium fieri. *Tum* quia ſicut quantitas continua ſolâ indiviſione eſt una, ita ſolâ diviſione fit multiplex. & conſequenter numerus, omnis enim multitudo finita eſt numerus determinatus, licèt non ſemper à nobis illa determinatio multitudinis cognoſcatur, ut in ſtellis & acervo tritici. *Tum denique* quia numerus prædicamentalis nihil addit numero tranſcen-

ſcendentali præter quantitatem, ut ſupradictum: ſicut ergo unitas tranſcendentalis Angeli v.g. nihil aliud eſt quàm ſubſtantia Angeli in ſe indiviſa, & numerus Angelorum nihil aliud, quàm collectio ipſorum Angelorum; ita unitas prædicamentalis & quantitativa eſt ipſa quantitas continua & indiviſa, numerus verò eſt collectio ipſarum quantitatum diviſarum. Patet ergo numerum addere quidem aliquid ſubſtantijs numeratis, ipſam videl. quantitatem, quantitati verò nihil addere, ſed eſſe ipſas quantitates collectivè ſumptas, & ita S. Thomas intelligendus eſt. Vide Suar. *d. 3. & 41. Metaph.* His notatis,

Ratio Concluſionis eſt *1.* Auctoritas S. Thomæ *7. Metaph. Lect. ult.* ubi, ***Compoſitum***, inquit, ***ſortitur ſpeciem ab aliquo uno, quod eſt vel forma, ut patet in corpore mixto; vel compoſitio, ut patet in domo; vel ordo, ut patet in ſyllaba vel numero, &c.*** Hoc loco expreſſiſſimè docet S. D. numerum eſſe unum unitate ordinis ſicut domus, &c. at quæ tantùm ſunt unum unitate compoſitionis artificialis, aut ordinis, certum eſt eſſe entia per accidens, nec poni in prædicamento, ſicut nec domus, nec exercitus: dici tamen poſſunt unum per ſe *comparativè* ad illa multa, quæ nullum penitus ordinem habent, ut acervus, populus, ut ibi monet S. Th. Imò ne quidem unitatem ordinis numerus eſſentialiter habet, cum in numero nulla ſit unitas, quæ petat prima aut ſecunda eſſe: & quam rogo unitatem ordinis habeant tres reges tot ſpatijs terrarum diviſi, Galliæ, Hiſpaniæ, Daniæ? cur ergo numerus v. g. binarius magis unus magíſque in prædicamento ponatur quàm acervus? quia acervus ut acervus non dicit determinatam aliquam multitudinem ut numerus quilibet finitus. Idem S. Th. *c. 7. de Ent. & Eſſ.* & *opuſc. 42. c. 19* & *q. 3. de verit. c. 7. ad 2.* docet, concreta accidentium v. g. album poni tantùm *reductivè* in prædicamento, quia non ſunt unum per ſe, at magis ſunt unum quàm numerus, cùm albedo dicat intrinſecam & connaturalem unionem cum ſubjecto; in numeris autem nulla eſt unio; eſto enim unitates omnes ſint ejuſdem prædicamenti, & habeant determinatam multitudinem, hoc non ſufficit, ut numerus ſit unus.

2. Quod eſt unum, vel eſt unum *ſimplicitate*, ut anima, vel unum *compoſitione* & *unione*: ſed numerus binarius v. g. duo-

 rum

rum regum Galliæ & Hispaniæ, nec est unus unitate simplicitatis, habet enim partes, nec unitate unionis realis, quæ enim est illa ? imò quantitati discretæ unio repugnat.

Dices, esse in numero aliquam unitatem ordinis.

Contra; Hæc non sufficit ad constituendum ens per se, & prædicamentale, ut patet in exercitu & omnibus artefactis.

Deinde, si numerus consideretur ut in se est, ante omnem operationem intellectûs, nullum ordinem habet, nulla enim unitas, nullum granum in acervo v. g. 1000. granorum, & primum aut secundum, & quod à numerante primò accipitur, poterat secundò, poterat tertiò, &c. quis ergo à parte rei in numero potest esse ordo, ubi nulla est ratio prioris & posterioris ?

3. Multitudo transcendentalis entium, v. g. lapidum, non est ens per se unum, nec constituit veram aliquam speciem entis : entia enim non sunt ens : & multa non sunt unum; ergo nec multitudo prædicamentalis quantitatum constituit unum prædicamentale.

4. Ponamus numerum centenarium : hic numerus aut est unum per se omnibus unitatibus, aut unâ ? non omnibus, quia impossibile est multa ut multa esse unum : non unâ aliquâ unitate, *quæro* enim quâ ? primâ aut secundâ ? & cur potiùs hâc quàm illâ ? nec enim major est ratio de una, quàm de alia.

Dices, ideo numerum centenarium esse simpliciter unum, quia exigit determinatam multitudinem, nec potest illi vel unum addi adimíve, quin tota species numeri, omnésque proprietates varientur: secùs in exercitu, acervo, &c. quod verò est essentialiter determinatum & formaliter indivisibile, utique est unum : quæ verò sunt indifferentia & divisibilia, vel sunt multa, vel ad multa.

℞. Hinc colligi tantùm unitatem secundùm quid : sicut enim linea centumpedalis esto sit finita & intra certos terminos conclusa, nec possit esse major minórve, non ideo tamen non est longa, & quia est longa & extensa, non potest esse non extensa. Ita & numerus centenarius esto habeat determinatam

tam multitudinem unitatum, tamen habet multas & divisas: si divisas, si multas, ergo simpliciter non est unus, implicat enim unum esse, ubi nec est unitas, nec est unio, imò nec aliquis ordo.

Objicitur 1. Auctoritas S. Thomæ, qui multis locis dicit, numerum esse unum per se, non per accidens, & poni in prædicamento. Vide *5. Metaph. lect. 15.* & *l. 8. lect. 3.* & *q. 9. de pot. a. 7.* & *1. p. q. 11. a. 1.*

℞. S. Thomam concedere numero unitatem per se non *absolutè*, sed *comparativè* ad plura omnino non ordinata, ut populus & acervus, ut ex ipso S. Thoma jam suprà ostensum. Idem quoque S. Thomas sæpissimè docet, quòd ultima unitas dat numero speciem & unitatem, *quod sic intellige*, non quòd in numero binario v. g. sit à parte rei aliqua unitas, quæ magis sit ultima quàm alia, nulla enim talis est, sed quia binarius essentialiter habet aliquam unitatem ultimam, quæcunque illa sit, & terminativam, ultra quam addi alia non possit, salvâ numeri specie: & ideo illa unitas ultima habet rationem formæ, quia numerum determinat ad certam speciem, nec aliam unitatem post ultimam patitur, sicut nec forma aliam formam: ad hoc verò non requiritur, ut aliqua determinata sit unitas, quæ numerum claudat, sufficit numerum talem esse, ut essentialiter aliquam requirat: sicut & circulus essentialiter principium, medium, & finem habet, nulla tamen pars determinata in circulo est, cui ratio principij & finis debeatur, quælibet sufficit: & materiæ debetur naturaliter aliqua forma, non tamen hæc, nec illa determinatè. Hæc est mens D. Thomæ, hac unitas numeri, ob quam sufficienter esse objectum Arithmeticæ potest, fundatque varias & demonstrabiles proprietates. De mirabili numerorum natura & proprietatibus vide Plutarch. *de plac. Philosoph. l. 1. c. 3.* & *in libello de particula ε. 1.* Gell. *l. 3. c. 10.* S. Aug. *l. 2. de ord.* ubi multis laudibus effert Pythagoræ disciplinam, circa hu. Arist. *l. 2. de Coelo text. 51.* & *57* item *1. Metaph.* & fusiùs *l. 13.* & *14 Metaph.* & *3. phys. text. 26.* ubi D. Th. Pier. *l. 4. phys. c. 7.* Conimbr. *l. 1. de Coelo c. 1. in explan. textûs.* Plin. *l. 28. c. 2.* Galtruch. *Instit. Math. p. 3. c. 2.*

VII. *Qua-*

VII. *Quæritur 4.* An Oratio ponatur directè in prædicamento Quantitatis?

Resp. Multò minùs Oratio est vera species quantitatis, sed tantùm metaphorica, eò quòd & ipsa habeat partes extra partes, tempore mensuretur, sit brevis aut longa, &c. consequenter nec ipsa *directè* ponitur in prædicamento.


Ratio est: In oratione hæc reperiuntur: *Sonus, vox, significatio, motus, tempus*, &c. At sonus & vox non sunt quantitates, sed qualitates. *Significatio* pertinet ad rationem signi ex humana institutione, quæ utique non est quantitas, sed denominatio extrinseca: *motus & tempus* aut non sunt species propriæ quantitatis, aut si sunt, quantitatis tantùm continuæ & successivæ.

VIII. *Quæritur 5.* An Locus distinguatur à superficie, Tempus à Motu, Motus à mobili?

Resp. Locus non est distincta species quantitatis à superficie corporis ambientis: ambire enim non dicit novam quantitatem, sed tantùm applicationem & conjunctionem superficiei ambientis. Vide S. Thom. *5. Metaph. lect. 15.* Eodem modo nec Tempus, nec Motus sunt species quantitatis per se; sed tantùm per accidens, & *ratio* est, quia Motus non habet partes extra partes fluentes, extensásque nisi per accidens, *aut* ratione formæ, quæ per partes fit, sive jam hoc ex imperfectione agentis proveniat, qui ob limitatam agendi vim non possit totam producere, sive ex resistentia contrarij: *aut* ratione fluxûs, moræque quâ partes decurrunt, & hic fluxus ac mora non à Motu sed Tempore sunt; Tempus verò non quantificat Motum, cùm parvo tempore magnus Motus & econtrà fieri possit: *aut denique* ratione spatij, cujus magnitudo & distantia non vincitur nisi extensione, sive jam distantia sit localis, ut in Motu locali, sive gradualis, ut in Motu alterationis, & productione qualitatis. Quodsi nulla sit distantia (ut inter privationem & formam) non erit Motus aliquis & extensio, sed mutatio instantanea, cùm ergo Motus sit transitus de uno ad alium terminum, in tantum erit extensus, habebítque rationem quantitatis, in quantum est divisibilitas & distantia inter terminos, ergo Motus est quantus solùm per accidens. Et hæc ipsa est ratio, cur nec Tempus sit distincta species

cies

fol. 361.


Prædicamen= tum Quan
Quantitas
Divisiva
Continua
Discreta
Constitutiva
Continua
Divisiva
Permanēs
Successiva
Constitutiva
Permanēs
1 Linea
2 Superficies
3 Corpus
Orbicularis
Axis
Chorda.
Recta
Angularis
Diameter.
Perpendicularis.
Basis
Diagonalis
1 Linea
Curva
Circumflexa.
Spiralis.
Tortuosa.
ternarij compositus,
ij Incompositus.
Pyramis
Cubus
Octohedron
Dodecahedron
Isocahedron
2 Superficie
te, Pentahedron.

ties quantitatis; Tempus enim nihil aliud est, quàm duratio Motûs, ergo tota extensio temporis est à Motu, ergo Tempus est quantum & extensum per accidens. Licèt ergo Tempus habeat sua instantia successiva & fluentia, hæc tamen non sunt alia ab instantibus & indivisibilibus Motûs, quæ sunt ipsum *mutatum esse* in Motu: indivisibilia verò & instantia Motûs localis sunt ipsa indivisibilia spatij, vel termini acquisiti in spatio, connotando tamen successionem. Tota ergo extensio Temporis & Motûs tandem resolvitur in extensionem termini, & ita sunt quanta solùm per accidens.

IX. *Quæritur 6.* An Linea, Superficies, & Corpus sint veræ species quantitatis?

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia Linea est extensa secundùm *longitudinem*, superficies secundùm *latitudinem*, corpus secundum *profunditatem*; nec linea habet suam extensionem à superficie, sed potiùs econtrà: linea ergo non ideo est species Quantitatis, quia dicit carentiam latitudinis, hoc enim est mera negatio, sed quia dicit positivam longitudinem, eámque communicat superficiei: nec implicat ut una species ingrediatur compositionem alterius, nam & binarius componit senarium, & linea recta componit triangularem; nec enim implicat, ut species respectu sui completa & perfecta respectu alterius sit imperfecta & incompleta, & ita partes materiæ subeat, nam & quantitas, quæ est forma respectu figuræ aut alterius qualitatis, quam sustinet, est subjectum & materia.

Arbor Prædicamentalis Quantitatis præsenti schemate exhibetur.

X. *Quæritur 7.* Quæ sint proprietates Quantitatis?

Resp. Prima Quantitatis proprietas est, non habere contrarium. Ratio est, quia contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & se mutuò expellunt; species autem Quantitatis, quæ sub genere Quantitatis sunt, non se mutuò expellunt, sed potiùs se mutuò componunt, ut patet in linea, superficie, & corpore: imò cùm Quantitas non sit activa, ut patet, sed sit commune subjectum omnium accidentium, omnibus potiùs amica, omniúmque patiens, quàm contraria est. Augmentatio quidem & diminutio sunt motus ad Quantitatem tendentes, sed

tamen non contrariè, sed privativè opponuntur; diminutio enim est amissio & corruptio ac delibatio Quantitatis jam habitæ.

Secunda proprietas Quantitatis est, quòd non recipiat magis & minùs secundùm intensionem, bene autem secundum extensionem; una enim res pedalis non est magis quanta quam alia, & cum quantitas constituat partes extra partes, non potest intendi, sed tantùm extendi, intensio enim est major & major penetratio, quo enim magis qualitas intenditur, eò magis ejus partes in subjectum penetrant. Est tamen aliquid in Quantitate, quod intensioni & remissioni assimilatur, *condensatio* videlicet & *rarefactio*, *levitas* & *gravitas*, quæ quantitatem comitantur. Vide S. Th. *1. 2. q. 52. a. 2 ad 1.* & *2. 2. q. 24 a. 5. ad 1.*

Tertia Quantitatis proprietas est æqualitas, vel inæqualitas. propriè loquendo, quæ in *specie* conveniunt, vocantur *unum*, quæ in *qualitate*, *similia*, quæ in *quantitate æqualia*, quæ in *alijs prædicamentis*, *absolutè convenientia*. Æqualitas ergo propriè pertinet ad quantitatem, imò prout est fundamentum actualis relationis æqualitatis, nec distinguitur à quantitate: ipsa verò actualis relatio æqualitatis, quæ est inter unam & aliam quantitatem, non est utique proprietas quantitatis; si enim in mundo esset unum tantùm corpus, nulli esset æquale: si duo, essent tantùm æqualia aut inæqualia: æqualitas ergo & inæqualitas actualis non est proprietas quantitatis, sed tantùm aptitudinalis. Vide de hac relatione æqualitatis Conimb. *de prædicam. quantitatis c. 3. a. 2.* Duo pondera, sicut & duo motus, dicuntur æquales, partim propriè, ratione multitudinis & extensionis successivæ, partim impropriè, ratione ponderis & velocitatis: sicut enim datur quantitas perfectionis, ita & æqualitas perfectionis.

Aliæ sunt etiam proprietates quantitatis, ut esse *mensuram*, esse *divisibilem*, esse *finitam*, & *infinitam*, &c. quantitas enim tam continua quàm discreta ex se nullum habet certum, fixúmque terminum magnitudinis, aut multitudinis, quin augeri semper magis magísque possit; da enim mihi numerum tam magnum, cui unitas aliqua, aut lineam cui palmus adjungi non possit.

Quan-

Quando ergo S. Thomas *5. Metaph. c. 13. lect. 15.* & *1. p. q. 7. a. 3.* dicit, infinitatem quantitati repugnare, intelligendus est de infinitate actuali, ut infrà dicetur.




§. VI.

DE RELATIONE.

Summaria.

1. *Variæ Relationis divisiones.*
2. *& 3. An & quid sit Relatio?*
4. *Etsi negari haud possit aliquas saltem Relationes realiter à suo fundamento remoto distingui.*
5. *Gratis id tamen ita ampliatur, ut etiam realiter, aut modaliter à fundamento proximo asserantur distingui.*
6. *Rationes adversariorum reijciuntur.*
7. *Contingit sæpius, plura unius Relationis subjecta subordinata esse.*
8. *Et econtrà plures Relationes in eadem substantia fundari, in quo casu Relatio cum substantia identificatur.*
9. *Relationes non inferunt processum in infinitum.*
10. *Rationem fundandi in utróque extremo Relationis distingui necesse est.*

11. *Ex triplici fundamento referendi rectè & adæquatè triplex relativorum genus consurgit.*
12. *Relatio prædicamentalis requirit necessariò terminum actu existentem.*
13. *Terminus formalis Relationis non est altera Relatio, sed aliquid absolutum, tunc maximè, quando Relationes mutuæ non sunt.*
14. *Relatio specificam suam distinctionem à fundamento simul, & termino sumit.*
15. *Perfectius de Deo loquuntur, qui omnes Relationes reales ad creaturas ab ipso excludunt.*
16. *Quid inter Relationem prædicamentalem & transcendentalem distinguat?*
17. *Relationes quà tales etiam quoad conceptum* Ad *dicunt perfectionem, si supponas esse modos realiter à subjecto distinctos.*
18. *Variæ relativorum proprietates.*





Erum creatarum aliæ sunt *absolutæ*, aliæ *relativæ*: imò vix aliquam reperies, cui non aliqua ad aliam relatio sit, mutuo enim aut amore junguntur, aut discordiâ separantur: ab utroque relatio mutua, & respectus exurgit; hinc rerum omnium mirabilis connexio se mutuò aut amplexantium, aut repellentium, nam & cùm repellunt junguntur. Sicut ergo in templo Salomonico Dei Ar-

Arcam duo Cherubini inumbrabant junctis invicem alis, defixísque in mutuum aspectum vultibus, ita in hoc Universo vix creaturam aliquam invenies, quæ non in aliam respiciat, & hunc mutuum aspectum, fœdúsque creaturarum se incurrentium *Relationem* vocamus: album enim albo est simile, nigro dissimile: pollex pollici æqualis, sed brachio inæqualis: ignis aëri amicus, aquæ inimicus, & infinitæ aliæ relationes.

I. *Quæritur 1.* Quotuplex sit Relatio?

Resp. Variæ sunt Relationis divisiones. Relatio *rationis* est, quæ rebus non inest, sed fingitur tantùm inesse: tales sunt relatio Creatoris ad creaturam, similitudinis inter divinas Personas, speciei ad genus, individui ad speciem, &c. Relatio *realis*, quæ verè ac realiter rebus inest; verè enim Pater ad Filium refertur, simile ad aliud simile, &c.

Relatio realis alia est *secundùm dici*, alia *secundùm esse*, utraque realis est, sed cum discrimine: *secundùm dici* verè refert unum ad aliud, sed tamen non distinguitur realiter à subjecto quod refert. Sic cognitio refertur ad objectum, imago ad prototypon, causa ad effectum, & tamen respectus cognitionis ad objectum est realissimè ipsa cognitio, hæc enim per se & immediatè est imago objecti.

Relatio *secundùm esse* refert unum ad aliud, & realiter distinguitur ab eo quod refert, quia non immediatè fundatur in eius essentia; una v. g. albedo est alteri similis, quæ relatio non est albedo, potest enim esse albedo quæ non sit similis, ut si unica albedo in mundo divinitus ponatur: potest esse homo qui non sit pater; non autem potest esse vel una cognitio, quæ non sit imago objecti. Vide S. Th. *1. p. q. 13. a. 7. ad 1.*

Relatio secundùm dici est *transcendentalis*, quia cum rebus omnibus identificatur, & nihil est quod non dicat relationem saltem effectûs aut causæ.

Relatio secundùm esse est *prædicamentalis*, & plerumque sequitur relativa transcendentalia, quæ propriè loquendo sunt absoluta: ex eo enim quòd cognitio sit essentialiter imago objecti, sequitur aliqua relatio similitudinis inter cognitionem & objectum.

Relatio prædicamentalis alia eſt *mutua*, ut inter patrem & filium: alia *non mutua*, ut relatio ſervitutis creaturæ ad Deum. Mutua alia eſt *Æquiparantia*, ut ſimilitudinis, alia *Disquiparantia*, ut Paternitatis.

II. *Quæritur 2.* An dentur Relationes reales?

Reſp. Dantur à parte rei veræ aliquæ relationes, ſive jam illæ à fundamento diſtinguantur *realiter* ſive non, de hoc enim nondum quæritur; aliud enim eſt dari ſubſtantiam aliquam realem, quæ ſit rationalis, aliud eam diſtingui ab animali.

Ratio eſt 1. Negari non poteſt, à parte rei dari ordinem, dependentiam, convenientiam, ſimilitudinem unius cum alio; atqui hoc eſt referri ad aliud.

2. Dantur in Deo veræ relationes, quibus una Perſona Divina ab alijs realiter & relativè tantum diſtinguitur, ergo relatio *ut relatio* eſt aliquid reale, quæ ſi Deo non repugnat, multò minùs creaturæ, huic enim tanquam magis indigæ imperfectæque minùs repugnat ad aliud referri, & ab alio dependere; & Pater in divinis ideo dicit relationem realem ad Filium, quia hunc generat: atqui eadem ratio in creatis militat.

3. Certum eſt dari ordinem in univerſo, qui tamen eſt perfectio accidentaria rebus addita, potéſtque ſalvâ earum ſubſtantiâ mutari; quid enim Saturno decedat, ſi ſit infra ſolem? aut homini ſi non ſit pater? ordo autem eſt relatio ſecundùm prius & poſterius, nec eſt ens rationis, ſed reale, cùm habeat rationem magni boni, ut patet in omnibus cum naturalibus tum artificialibus: ſi ordinem partium in homine turbes, erit monſtrum, atqui bonum eſt non eſſe monſtrum, ergo ordo bonus eſt.

Ex quo etiam patet, Relationem non eſſe denominationem merè extrinſecam, *tum* quia denominatio extrinſeca non eſt ad aliud, ſed in alio; eſſe enim viſum eſt in colore, licèt ſupponat actum viſionis in vidente; *tum* quia denominatio extrinſeca non habet ullam rationem boni & perfectionis, ſicut relatio, ut patet in divinis, & etiam creatis. Vide S. Th. *1. p. q. 13*

q. 13. *a.* 7. & *q.* 28. *a.* 1. & 2. & *de Potent. q.* 7. *a.* 9. & *q.* 8. *a.* 2.

Dices : Probabile est relationem à fundamento non distingui, nec aliud esse relationem similitudinis duorum parietum in ratione albi, quàm coëxistentiam duarum albedinum, ergo probabile est, non dari ullum ens relativum; albedo enim & quodlibet fundamentum Relationis, est ens absolutum.

℞. *Negando consequentiam*; esto enim relatio similitudinis nihil aliud sit, quàm duæ albedines, istæ tamen, ut sunt sic, non accipiuntur *absolutè*, sed *relativè*, & cum connotatione termini extrinseci: sicut ergo non sequitur: Forma rationalis in homine idem est quod forma sensitiva, ergo in homine non datur forma rationalis; ita, &c. Et quamvis similitudo sit idem quod albedo, potest tamen dici accidens albedini, quia huic accidit aliam albedinem esse, cui assimiletur, & terminus hujus relationis est extra albedinem, sicque denominatio similis absolutè albedini contingit: sicut rationale dici potest accidens animalis.

III. *Quæritur 3.* Quid sit Relatio Prædicamentalis?

Resp. Relatio bene definitur, *Accidens, cujus totum esse est ad aliud.* Per τὸ *Accidens* excluduntur Relationes divinæ, & *rationis*: per τὸ *ad aliud* distinguitur Relatio prædicamentalis à transcendentali: utraque est ad aliud, sed diverso modo; Prædicamentalis enim est ad aliud ut purum terminum, quia nihil aliud circa terminum agit, quàm respicere, totum ergo esse illius est respicere, & respici: Transcendentalis verò est quidem ad aliud, sed non ut ad purum terminum; respicit enim vel causando, vel movendo, vel repræsentando, vel uniendo, &c. & ita semper mutat perficitve terminum: non ita prædicamentalis, paries enim albus dum alteri assimilatur, eum nec perficit, nec mutat, &c. Unius ergo respectus sterilis est ac otiosus, & similis aquilæ solem spectanti, nec mutanti: alterius verò actuosus, fœcundúsque, & qualis struthioni esse dicitur, qui pullos videndo excludit; & iridis, quæ solem respicit, & aspectu pingitur. In hoc ergo Relatio ab alijs accidentibus differt, quia non solùm dicit *in*, sed eti-

etiam *ad*, quamvis enim tota sit accidens, & tota subjecto inhæreat, inhærendo tamen subjectum ordinat, dirigítque ad aliud extrinsecum, quod non faciunt alia accidentia absoluta, & hoc est *totam esse ad aliud*.

IV. *Quæritur 4.* An Relatio distinguatur â suo fundamento remoto?

Resp. Non est dubium, aliquas saltem Relationes distingui realiter à suo fundamento remoto, quod est subjectum Relationis. Ita S. Thomas pluribus locis, & est communis. Tales sunt relationes *æqualitatis*, *similitudinis*, *mensuræ*, *&c.*

Nota, ad Relationem hæc concurrere, *1. fundamentum remotum*, seu subjectum Relationis, quæ subjectum denominat, v. g. paries albus denominatur alteri parieti æquè albo similis, ergo paries est subjectum huius relationis & fundamentum remotum.

2. Ratio fundandi, quæ est radix, ex qua relatio nascitur, & ob quam subjectum ad aliud ordinatur, v. g. albedo est ratio fundandi relationem similitudinis inter unum & alium parietem album.

3. Fundamentum proximum est ipsum fundamentum remotum unà cum ratione fundandi, v. g. paries *ut* albus.

Ratio ergo Conclusionis est, quia relatio v. g. similitudinis inter duos parietes nascitur ex albedine, sed albedo distinguitur à pariete realiter, ab eóque separari potest, ergo multò magis relatio similitudinis. Nec aliud voluit S. Thomas, ut proximè dicetur.

V. *Quæritur 5.* Quomodo Relatio distinguatur â ratione fundandi proxima?

Resp. Relatio non distinguitur necessariò nec *realiter*, nec *modaliter à ratione fundandi proxima*, similitudo v. g. quâ paries albus *A* est similis parieti albo *B* nihil aliud est, quàm ipsa albedo parietis *A*, ut connotans suum terminum: sive nihil aliud est, quàm coëxistentia duarum albedinum.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *in 1. d. 26 q. 2. a. 1. ad 3. Cessat*, inquit, *Relatio*, *nullâ factâ mutatione in reipsa*, *quæ refertur. & opusc. 48. c. 2. de Relat.*

Re-

Relatio similitudinis non est alia res ab albedine. Et *de potent. q. 7. a. 8. in corp. Sine aliqua mutatione ejus, quòd ad aliud refertur, potest relatio desinere ex sola mutatione termini:* hoc autem fieri non posset, si relatio esset modus superadditus: sicut enim quia albedo est aliquid superadditum homini, fieri non potest, ut homo desinat esse albus nec mutetur, & quia secundùm Thomistas existentia est modus essentiæ additus, fieri non potest, ut equus desinat existere, nec mutetur.

Idem dicas de Relatione. Si ordo in exercitu, si symmetria in partibus, si proportio in sonis, si in oculis similitudo cesset, fieri non potest, ut non illa omnia mutentur; nec enim major est mutatio de non albo in album, quàm de non ordinato in ordinatum, de dissono in consonum, &c. Et *5. Phys. textu 10. Nihil advenit mihi de novo per hoc, quòd incipio esse alteri æqualis per ejus mutationem.* Idem repetit *3 p. q. 16. a. 6. ad 2.* Sed omnium clarissimus est locus *opusc. 48 c. 2.* ubi: *Cùm dico quòd similitudo Sortis habet albedinem ejus pro fundamento, non est intelligendum, quòd similitudo Sortis est aliqua res alia ab ipsa albedine, sed solùm est ipsa albedo ut se habet ad albedinem Platonis ut ad terminum: si enim similitudo adderet supra albedinem, nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione.* Ita S. Thomas, ut mirari satis non possim, Capreolum, Cajetanum, Bannez, Complutenses, Joannem à S. Th. aliósque primæ notæ Thomistas contrarium docere, neque hoc tantùm, sed etiam S. Doctorem in suas partes trahere, quasi vero hoc sit discipulum esse, magistrum trahere, non sequi. Allegant illi quidem S. Doctorem *1. p. q. 28. a. 2.* & *in 1. d. 33. q. 1.* & *d. 4. q. 1. a. 1. ad 3.* sed planè solem in meridie quærunt: nec enim aliud locis citatis docet, quàm *in creatis omne relativum includere absolutum, & ab hoc distingui: in rebus creatis aliud esse relationem, aliud substantiam, quæ refertur, & ideo ex relatione & substantia resultare compositionem accidentis, secùs ac in divinis: Relationes divinas non differre ab essentia, bene autem in creatis, &c.* Quæ verba, ut cuilibet videre pronum est, indicant solam distinctionem Relationis à subjecto, non à ratione fundandi; hanc enim non distingui à Relatione, conceptis verbis docet S. Thomas *opusc. 48. cit.* quod opusculum D.

Thomæ legitimum partum esse agnoscit alijs negantibus Joannes à S. Thoma *hic a. 4.* & demus D. Thomæ non esse, quid facient tot alijs testimonijs, quæ opusculo consonant? Hanc ipsam ante S. Thomam sententiam tradidére S. Damasc. *in Dialect. c. 50.* S. Aug. *l. 5. de Civ. c. 16.* S. Ansel. *in Monol. c. 24.*

2. Positis duobus albis, nullaque alia relatione, continuò & necessariò ad se referuntur, suntque similia, adeò ut nec concipi possint sine similitudine, nec ista divinitus impediri; impediri autem posset, si ab albis distingueretur, ut patet in omnibus realitatibus & modis: nulla ergo est necessitas distinguendi relationes à fundamento proximo, imò nec utilitas, ergo distinguenda non sunt; si enim sapiens nihil frustra operatur, imò prima ejus cogitatio ante opus est operi scopum, finémque præfigere, quantò magis Deus & natura Dei ministra? Si ergo relatio similitudinis inter duo alba sit modus distinctus ab albedine, aut dicatur, cur Deus non possit positis albis eum modum, suspendendo influxum, impedire, quò minùs resultet: & si non resultet, an illa duo alba non æquè sint futura similia ac nunc? & si non, quid illis deest, quid minus habeant, ut similia non sint? Non, *inquies*, se mutuò respicient, non ordinem reciprocum habebunt, verbo, non erunt *formaliter* similia, sed tantùm *fundamentaliter*, quia carent modo Relationis distincto, quo *formaliter* assimilantur.

Contrà. Pone ex una parte duos parietes albos omninò similes, & unà distinctum illum modum, quem ad formalem relationem necessarium esse dicis, ex altera parte pone duos alios parietes æquè albos, æquè similes, sed absque illo modo Relationis distincto, quæro jam, an duo ultimi parietes, quos dicis tantùm *fundamentaliter* esse similes, non æquè sint albi, non æquè sint similes ac priores? quodsi æquè albi, æquè similes, cur non æquè *formaliter* similes & relati ac priores? quæ enim *fundamentaliter* & *radicaliter* tantùm sunt talia, multùm ab ijs differunt, quæ *actu* & *formaliter*; quis enim non videat, palpétque discrimen inter domum formalem, & fundamentum domûs? inter radicem floris, ipsúmque florem? & si ferrum, aut alia quævis materia æquè calida esset sine actuali calore, cum so-

ſolo potentiali, quid opus eſſet ferrum calefacere? Cùm ergo duo parietes albi æquè ſint ſimiles, impedito illo diſtincto Relationis modo, ac non impedito, non eſt ratio, cur potiùs uno modo ſint *formaliter* ſimiles, quàm alio: & cur diſtinctus ille modus ſit neceſſarius aut utilis.

3. Relatio prioris & poſterioris eſt utique vera, realis que relatio, conſiſtit enim in ordine, additque magnam perfectionem ac pulchritudinem & toti univerſo (ut patet in motibus ſolis diurnis, & annuis, diei, noctiſque alternatione)- & multis rebus in particulari, ut in ſonis, ſaltibus, picturis, &c. atqui hæc relatio non poteſt eſſe modus ſuperadditus, hic enim ex ſententia Adverſariorum reſultat ex poſitione termini: atqui terminus hujus relationis ſæpè non eſt: ego v. g. ſum poſterior S. Petro & prior Antichriſto, at neuter eſt, unde ergo novus ille modus relationis in me reſultare potuit ex terminis non exiſtentibus? nec enim mecum genitus eſt, cùm ad relationem non detur per ſe motus, unde ergo in me natus? aut ubi hæc relatio tot annorum decurſu latuit, ut à Sancto Petro relicta mihi ex inopinato adhæreret? nec mihi tantùm, ſed tot alijs hominum millibus? In noſtra verò ſententia id facile explicatu eſt, dicor enim poſterior S. Petro, quia durationem habeo, quæ relationi poſterioritatis identificatur, nec requiritur terminum exiſtere, quia duratio ſucceſſiva eſſentialiter dicit eſſe & non eſſe. Sunt qui dicant modos iſtos ad futura & præterita relativos, eſſe velut infinita ſpecula, in quibus & futura & præterita & maximè diſtantia videri poſſunt, ſi Deus illa humano intellectui aperiret: ſic Prophetis factum: Iſajas v. g. vidit Meſſiam incarnandum in ſpeculo Relationis modalis, quam Ezechias rex unus ex Meſſiæ progenitoribus ad hunc dicebat: ſic in extremo judicio in cœleſti patria omnium relationum, quæ in quolibet infinitæ ſunt, apertis ſpeculis omnia nudatum, viſúmque iri. Magnum utique naturæ arcanum, ſi verum eſt.

Alij ſic explicant: Relationes ſunt libri hiſtorici & phyſici omnium eventuum, omniúmque rerum, & præſentium & futurarum & præteritarum, tot verò volumina quot creaturæ, & in

ſingulis creaturis tot paginæ quot relationes, v g. Siquis Petrum ejúſque relationes perfectè cognoſceret, hoc ipſo vitia & virtutes Alexandri perſpecta haberet; aut enim eſt fortior aut timidior Alexandro? aut illi colore, temperamento, ſtaturâ, vitijs, virtutibus peior, meliorvè, ſimilis, aut diſſimilis? ſi ſimilis, ergo cognitâ hâc relatione cognoſcet omnia in quibus illi ſimilis, item ſi diſſimilis: ſicut cognoſci non poteſt duos parietes eſſe ſimiliter albos non cognitâ utriuſque albedine, ſic poſita hypotheſi, Petrum in ijs circumſtantijs futurum, in quibus Alexander cùm Darium vicit; aut Petrus æquè fortiter ac Alexander pugnâſſet, aut non pugnâſſet? ſi æquè fortiter, qui videret hanc æqualitatem hypotheticam, videret una Alexandri fortitudinem &c.

Relationes ergo ſunt impreſſi à natura rerum omnium annales, qui modò velut ſub theca latent, tunc legendi, & videndi, cùm *videbimus Deum* & naturam *ſicuti eſt.* Hinc etiam ſequitur, quòd non poſſit vel unica relatio cognoſci, niſi cognitis omnibus quæ in mundo ſunt; quidquid enim eſt, habet ordinem & proportionem cum toto Univerſo, & ſingulis univerſi partibus, ſicut in concentu Muſico unus Sonus dicit proportionem & harmoniam ad omnes ſonos, & ita vel uno à debita conſonantia exerrante tota Muſica corrumpitur, nec poteſt unius ſoni proportio in ſenſum cadere, quin cadant & alij ſoni.

4. Cùm naſcitur flos in India, ego relationem ad hunc florem dico æqualis diſtantiæ, diſſimilitudinis, &c. At quæ cauſa productiva huius novæ relationis oſtendi poteſt? mea enim ſubſtantia indifferens erat, quis eam determinavit, ut tam ſubitò conciperet, pareretque? terminus fortè huius relationis tanquam conditio neceſſaria ut relatio reſultet? at quomodo poteſt conditio tam diſtans determinare? & quidem uno momento? & ad infinitas relationes? *deinde* quomodo terminus fundamentum determinat ad huiusmodi productionem? ut cauſa? ut objectum? at hæc in tantam diſtantiam, & per tot impedimenta non agunt: ut purus terminus? ergo nihil agit circa fundamentum, ſed relinquit æquè, ut antea indifferentem, indeterminatum ad hunc modum producendum vel non producendum: etiam actio eſt

mo-

modus, & tamen quis dicat, agens aliquod creatum v. g. arborem determinari ad modum actionis, & germinationis per motum, calorem, influxúmque solis apud Antipodas æstatem agentis? quodsi sol apud Antipodas lucens non potest determinare arborem ad modum actionis, quare possit musca apud Antipodas volans determinare non unam tantùm sed mille arbores ad productionem relationis, similitudinis, dissimilitudinis, distantiæ? & ubi sunt signa & experientia rei tam incredibilis, prodigiosæ, ac sine exemplo? Sol quidem & objecta suam lucem ac species sensibiles per infinita spatia momento diffundunt, non tamen si obstent corpora opaca, aut alia impedimenta diffusioni; & ideo sol infra horizontem mersus nobis non lucet: multò minùs nullo per medium influxu rem distantissimam, nullóque à se radio aut influxu tactam determinat ad agendum, quæ tamen miracula omnia, & Relationi, & hujus termino conceduntur.

5. Anima rationalis est imago Dei, ut fides docet; aufer ab illa omnem modum relationis distinctæ, aut saltem mente præscinde, & relinque solam animæ substantiam, tunc sic argumentor: Substantia animæ præciso omni modo distincto est intellectiva, ergo præciso omni modo est magis Deo similis, quàm formica, ergo præciso omni modo dicit relationem similitudinis.

Dices, esse magis similem *fundamentaliter*. *Contra*: similitudo *formalis* est convenientia in eadem forma specifica, saltem *analogicè*: atqui præciso omni modo distincto Deus est intellectualis, & anima rationalis est intellectualis (nec enim hoc à modo habent) ergo præciso omni modo Deus & anima conveniunt in eodem gradu analogico, ergo præciso omni modo sunt *formaliter* similes, aut dicatur, quid ergo sit formalis similitudo, si non est convenientia in eadem forma specifica?

6. Homo per suam entitatem præciso omni modo *formaliter* non est equus, ergo per suam entitatem præciso omni modo distinguitur *formaliter* ab equo (nihil enim est aliud *formaliter* distingui quàm *formaliter* unum non esse aliud) ergo per suam entitatem *formaliter* præciso omni modo dicit relationem distin-

ctionis, & diversitatis, nec enim minùs est relatio distinctio unius ab alio, quàm dissimilitudo, diversitas, inæqualitas, &c.

Dices, præciso modo Relationis hominem ab equo *fundamentaliter* tantùm distingui.

Contra Primò facit argumentum positum, quod convincit de formali.

Secundò. Si præciso omni modo homo tantùm *fundamentaliter* ab equo distinguitur, ergo actu non distinguitur, quid absurdius?

Tertiò. Esse *idem* est *non distingui*; perinde enim est si dicas: *Animal est idem quod rationale*: & : *Animal non distinguitur à rationali*; ergo esse idem & distingui sunt termini contradictorij, & cui unus terminus non convenit, alter conveniet: si ergo homo tantùm *fundamentaliter* & *virtualiter* ab equo distinguitur, non verò *actu* & *formaliter*, ergo *actu* & *formaliter* est idem cum equo; quod enim non distinguitur *actu*, est idem *actu*; sicut lux solis quia *virtualiter* tantùm est calida, *non actu*, ideo *actu* est non calida, hoc est, caret actuali calore: & quia Petrus Cardinalis *actu* non est Papa, sed tantùm *virtualiter*, ideo actu est non Papa, hoc est, caret Papatu. Similiter si homo præciso modo distincto relationis adhuc est homo, & tamen *actu* & *formaliter* ab equo non distinguitur, sequitur quòd homo manens homo sit *actu* & *formaliter* idem quod equus (quidquid enim *formaliter* & *actu* ab equo non distinguitur, *formaliter* & *actu* est idem cum equo) quid autem posset absurdius & fabulosius, quàm hoc dici? posse videlicet hominem vel esse, vel concipi, qui sit *actu* idem cum equo?

7. Pone in duas lances ejusdem libellæ duos nummos, aureum & semiaureum; præscinde ab illis omnem modum distinctæ relationis, eritne semiaureus inæqualis aureo, an non erit? si erit, ergo relatio inæqualitatis non est relatio à duabus quantitatibus distincta: si non erit, cur igitur aureus lancem degravat, & semiaureum attollit? cur plus in uno ponderis, quàm alio?

Dices.

Dices, ſublatâ relatione aureum tantùm *fundamentaliter* eſſe ſemiaureo æqualem, non *formaliter*.

Contrà: Eſſe *formaliter* inæquale eſt unum plus quantitatis habere, quàm aliud: ſed ſublato omni modo diſtinctæ relationis aureus adhuc plures partes quantitatis habet, quàm ſemiaureus.

Dices, æqualitatem *formaliter* dicere ordinem unius ad aliud, hunc verò ordinem *actu* non eſſe, ſublato eo modo diſtinctæ relationis.

Contra: Sublato omni modo diſtincto aureus habet majorem quantitatem quàm ſemiaureus, ergo ſublato omni modo aureus eſt *formaliter* major, ergo aureus ſublato omni modo dicit ordinem ad ſemiaureum, ergo ſublato omni modo diſtincto aureus dicit relationem ad ſemiaureum.

8. Multæ Deo relationes adveniunt decedúntque Deo immutato, & ab illo indiſtinctæ ex ſola termini poſitione, dicitur enim Deus major Petro, quem creavit, perfectior, diſſimilis, &c. cur ergo non æquè poſſint creaturæ advenire, & ab ea non diſtingui? Quamvis enim relatio ſimilitudinis à Petri albedine non diſtinguatur, non ideo Petrus erit Deus: ſicut non ideo anima rationalis eſt Deus, quia habet unionem indiſtinctam, & gradum ſenſitivum à rationali æquè indiſtinctum.

VI. *Objicitur* Ariſtoteles, alijque Philoſophi, qui contra Zenonem & Ochamum relationes defenderunt, id utique defenderunt, quod illi negabant: ſed negabant tantùm relationes à ſuis fundamentis diſtinctas; ergo Ariſtoteles, alijque affirmant dari Relationes diſtinctas. *Minor probatur*; nemo enim illorum fuit tam inſanus, oculis ac mente captus, qui negaret dari duo alba, & hæc eſſe ſimilia.

℟. Zenonem & Ochamum negâſſe relationes prædicamentales, à tranſcendentalibus diſtinctas, quæque conſiſterent in puro meróque reſpectu, & ideo ab Ariſtotele, alijſque impugnatos.

Objicitur 2. Ex omnium Philoſophorum ſententia Relatio habet eſſe minimum, debiliſſimum & tenuiſſimum, ergo eſt modus;

dus; alioqui si esset substantia aut accidens absolutum, esset omni ente, modali saltem, perfectior.

℞. Relationem ut distingitur *ratione* & *virtualiter* à fundamento absoluto, meritò vocari ens imperfectissimum, quia *ut sic* est mera formalitas, non verò realitas: imperfectio igitur & tenuitas Relationis in hoc consistit, quòd sit ens fluens, mutabile, vagum, momentaneum: quòd nullos habeat sensibiles effectus, non agat, non mutet, dependeat à termino extrinseco, sitque merus respectus ad aliud tanquam purum terminum, nihil accipiendo, nihil dando. Vide S. Thom. *l. 4. cont. Gent. c. 24.*

Objicitur 3. S. Thomas multis locis docet relationem esse accidens, & per hoc a relationibus divinis distingui, ergo S. Thom. sentit relationes à subjecto distingui. *Antecedens probatur* ex *1. sent. d. 2. q. 1. a. 5. ad 2.* & *d. 20. q. 1. a. 1.* & *d. 21. q. 1. a. 2.* & prætertim *l. 4. cont. Gent. c. 14.*

℞. S. Thomas *q. 7. de pot. a. 8.* expressè negat relationem esse accidens distinctum à fundamento, ut suprà ostensum; in locis verò citatis nihil aliud vult, quàm plerasque relationes creatas à subjecto tantùm & substantia (semper enim his terminis utitur) non verò à fundamento distingui, quod verissimum est; ferè enim semper relatio creata subjecto mutationem aliquam intrinsecam affert, extrinsecam verò semper ex parte termini, quæ mutatio extrinseca licèt subjectum non afficiat, semper enim arguit ejus imperfectionem, ut patet in relatione distinctionis, per hoc enim quòd homo non sit equus, multis perfectionibus caret, quæ sunt in equo; secùs in Relationibus divinis, ubi ne quidem ex parte termini reperire est aliquam contingentiam; non enim accidit Deo Patri habere Filium, vel dari Filium, sicut accidit Petro dari Paulum, à quo actu realiter distinguatur. Hæc mens S. Thomæ.

Objicitur. 4. Pone duos parietes albos utrimque ut *6.* *si* utrimque addas unum gradum albedinis, crescet albedo, sed non crescet similitudo (duo enim parietes albi ut *6* sunt æquè similes ac duo albi ut *7*) ergo relatio similitudinis non est idem quod duæ albedines, aliàs istis crescentibus crescerent & illæ. *Rursus* si duo parietes sint æqualiter albi ut *6* & uni addas unum albedi-

nis

nis gradum, augetur albedo, decrescit relatio, ergo hæc non est illa. Sic in corpore humano v.g. in pulchra facie, si uni oculo major perfectio, quàm alteri accedat, v.g. sit major, purior, micantior altero, crescit pulchritudo unius, & tamen decrescit proportio, & ordo totius vultûs, ergo non est idem pnlchritudo *absoluta* & *relativa* oculi, alioquin hæc non deficeret crescente illâ. Sicut quia album *formaliter* est albedo, implicat auctâ albedine non fieri aliquid magis album. *Eodem modo*, esto res aliquæ absolutè & seorsum sumptæ sint minimæ, potest tamen esse maxima pulchritudo, ordo & perfectio partium relativa. Quid minus puncto? in illo tamen totus orbis libratur: quid minus extremo narium mucrone? si demas, tota in facie perijt pulchritudo: quid semitonio exilius? ex illo tamen tota Musicæ pendet harmonia: cùm ergo perfectio absoluta & relativa prædicata contradictoria habeant, non possunt identificari, potest enim perfectio absoluta esse maxima, relativa minima, & *econtrà* perfectio absoluta potest crescere, & relativa decrescere, &c.

℞. Cùm dicimus relationem similitudinis inter albedinem A, & albedinem B, esse idem cum fundamento, non intelligimus identificari cum solo *A*, vel cum solo *B*, sed cum *A.* ut connotat *B.* & nihil aliud esse, quàm albedinem *A.* ut connotantem albedinem *B.* si ergo albedini *B.* gradum addas, qui non sit in *A.* quoad hunc gradum *B.* est dissimilis *A.* quia non reperit in *A.* gradum sibi correspondentem, sed potiùs ejus negationem, quæ fundat dissimilitudinem. Duæ albedines ut *4.* & duæ ut *8.* sunt æquè similes, quia ultimum par albedinum est primo simile per hoc, non quòd sit major aut minor albedo, sed quòd utraq; sit relatio ad terminum omnino correspondentem: albedo ergo *per accidens* & *materialiter* se habet in relatione, quæ est inter duas similitudines: *Nota* ergo similitudinem inter duo alba esse convenientiam in una qualitate, quantò ergo major unitas qualitatis, & graduum, tantò major similitudo: si verò omnimoda graduũ unitas & paritas, erit omnimoda & summa similitudo, quæ nec divinitus augeri possit; duo verò alba ut *4.* sunt summè similia, & ideo duo alba ut *8.* non possunt magis esse similia, utrimque enim & perfecta & omnimoda est unitas & paritas graduum: crescente ergo albedine utrimque à gra-

du 4. usque ad 8. non crescit similitudo, quia hæc non est simpliciter albedo, sed albedo ut connotans terminum, terminus autem non permittit augeri similitudinem, aut minui, quia cùm participet eamdem qualitatem, totidémque gradus, fundat omnimodam similitudinem, æquè ac duo alba ut 4. quæ etiam sunt summè similia, & ideo non admittunt majorem similitudinem: hæc ipsa est ratio, cur quatuor sint æquè numerus par, ac octo, etsi octo plures numeros pares includat. Minima perfectio absoluta potest facere maximam relativam, quia potest considerari cum respectu ad omnes partes & fines: si cum respectu ad omnes partes, jam istæ sunt terminus & conditio, ex cuius positione resultat illa major pulchritudo, non ut modus distinctus (stultum enim sit dicere pulchritudinem: quæ est flos quidam & pretium rerum, & maxima universi, naturæ, omniúmq; artium perfectio, mater admirationis & amoris, in modo consistere, qui omnium confessione est imperfectissimus & vilissimæ entitatis, & vix cadit in cognitionem) sed ut entitas ipsa absoluta, comparata tamen ad terminum ut ad *conditionem sine qua non*, perfectio illa in rebus esset: si enim lux in tot colores pulcherrimè vertitur ex sola dispositione speculi, aut vitri cui incidit, & si Genius ille à Parrhasio pictus varijs spectatoribus varius apparebat, flens, ridens, blandus, torvus, mitis, ferox, puer, senex, prout hinc, vel illinc directis, aut obliquis oculorum radijs tangebatur, cur non idem de ente absoluto dicas, quod ex varia ad suum terminum applicatione aliam & aliam perfectionem explicat, ostendítque, quam non ostenderet sublato termino. Non tamen requiritur physica termini applicatio, quia relatio à loco non pendet, sed dicit solum duorum coëxistentiam, & ideo filius distantiâ non definit esse filius, nec paries parieti similis.

Objicitur 5. Sint duo parietes similes albedine, paries *A*, & paries *B*. destructo pariete *B* manet tota albedo parietis *A*. non tamen manet similitudo, & relatio, ergo hæc separari potest ab albedine, ergo non identificatur, separatio enim est signum distinctionis realis

℞. 1. S. Thomam expressè docere, posse Relationes à fundamento proximo separari, nullâ factâ mutatione in ipso funda-

fundamento, sed solum ex parte termini, si autem non mutatur fundamentum, ergo nihil illi cessante Relatione decedit, ergo Relatio non est accidens distinctum à fundamento. Vide 3. *p. q.* 16. *a.* 6. *ad* 2. Potéstque hæc S. D. Sententia probari quamplurimis exemplis, quæ negari haud possunt. Columna eodem modo stans & immutata deambulante solùm homine aut muscâ circumvolante fit dextra aut sinistra: eadem numero comestio sub meridiem facta prandium est, quæ ad vesperam sumpta cœna fuisset: Deus jam creat, jam non creat nullâ sui mutatione: eadem actio creativa fit conservativa, variato solùm tempore: eadem entitas, idem actus in Deo est amor & odium creaturâ solùm mutatâ, &c.

Et *ratio* istorum est, quia quando aliquod nomen ita unum significat, ut alterum consignificet, destructo connotato, nomen ne principale quidem connotabit, v. g. creare significat Deum principaliter ut creantem, & creaturam; hujus productione cessante Deus non ampliùs creans denominatur, quamvis ei nihil decedat.

℞. 2. Destructo igitur pariete albo *B*, paries *A* non ampliùs dicitur similis, non quia modus aliquis aut realitas ei decessit, sed quia terminus & connotatum sublata sunt: tota ergo Relationis entitas in pariete *A* superstes est, sed effectum suum formalem & actum ac denominationem non exerit defectu necessariæ conditionis, & connotati, hoc est, termini; cùm enim ille effectus sit relativus *& ad aliud*, conditio *sine qua non* est necessariò extrinseca: exemplum est in anima rationali, quæ licèt tota sit in oculo, non tamen oculum denominat ens intellectivum & rationale: & gratia sanctificans licèt realiter & entitativè lapidi uniatur, non reddit lapidem Deo gratum. Posito termino Relationis continuò suum effectum formalem Relatio producet, & reddet parietem *A* similem parieti *B*. Sicut ergo eadem anima subjectis variè dispositis varios effectus formales & denominationes tribuit, aliud enim informat tantùm, aliud vegetat, aliud sensu, aliud ratione, aliud omnibus donat: & sicut lux in nubem aut crystallum trigonam variéque dispositam excepta alias partes aliter & aliter colorat, ita qua-

litas pro varietate termini & connotati subjectum aliter aliterque ordinat refertque, & si dispositiones sint intrinsecæ, subjectum intrinsecè perficit; si extrinsecæ: perficit extrinsecè, & hanc vocamus Relationem.

Objicitur 6. Eodem igitur modo dicemus intellectum de novo cognoscere, voluntatem amare, &c. per solas connotationes objecti, specierum, organizationis potentiæ, &c.

℞. Negando paritatem, hi enim sunt actus vitales, vita autem consistit in motu ab intrinseco, & non in sola relatione ad aliud, aut connotatione.

Negant quidem aliqui has connotationes, & dicunt Relationem v. g. patris ad filium non esse solum patrem, sed esse patrem & filium, & cum utroque identificari. Sed melior est sententia connotata statuentium; in divinis enim perfectissimæ sunt relationes, & tamen certissimum est, Patrem in divinis ut Patrem non includere Filium, sed realiter à Filio distingui, nec esse unam, sed duas relationes Patris & Filij.

Deinde si Relatio similitudinis v. g. identificatur cum albedine *A* & *B.* sequitur contra omnium Philosophorum sensum, in relatione nullum posse terminum aut subjectum assignari; non enim erit albedo *A* terminus relationis, quia ante & præter albedinem *A* nulla est relatio, quæ terminetur: *idem dicas* de albedine *B.* nec major ratio erit cur potiùs *B.* sit terminus quàm *A.* cùm utrumque sit relationi identificatum.

Denique Relatio non erit ens unum, sed essentialiter ex multis compactum, quemadmodum fascis illa sagittarum, quas Turcæ, cùm Tessalonicam obsiderent, in urbem conjecere, quæque alendo igni totum mensem suffecère: paries enim *A* non tantùm est similis *B*, sed infinitis rebus albis, ergo essentialiter in tua sententia componitur ex omnibus illis; ergo relatio non est una res, ut hactenus omnes sensêre, sed acies ex rebus infinitis composita.

Breviter suprà notavimus, ad relationes tria requiri, subjectum, fundamentum, terminum: jam de singulis dicendum.

VII. *Qua-*

VII. *Quæritur 6.* Utrum possint esse plura subjecta ejusdem Relationis?

Resp. Possunt esse plura subjecta unius Relationis, sed subordinata & diversarum rationum, v. g. Relatio similitudinis proximè est in qualitate, remotè in quantitate, remotiùs in substantia: & ita verissima est sententia D. Thomæ, relationes à subjecto distingui: propriè tamen relatio proximum subjectum afficit & adæquatum, quod est compositum ex supradictis.

VIII. *Quæritur 7.* Utrum etiam substantia possit esse fundamentum proximum Relationis?

Resp Multæ relationes fundantur immediatè in substantia, & non in accidentibus, in quo casu relatio identificatur cum substantia. Ita S. Thomas *1. p. q. 28. a. 1 ad 2. & q. 7. de pot. a. 9. ad 4.*

Et *ratio est*, quia tanta est convenientia inter duas naturas substantiales ejusdem speciei, tanta proportio, quanta inter duas albedines & quantitates: *rursus* tanta est diversitas inter duas formas substantiales specie distinctas, quanta inter nigredinem & albedinem, quantitatem palmarem & bipalmarem, ergo æquè inter substantias, præcisis etiam accidentibus, admittenda est relatio identitatis, proportionis, diversitatis, distinctionis, ac inter accidentia admittitur relatio similitudinis, dissimilitudinis, &c. Et relatio creationis formaliter sumpta est prædicamentalis, teste S. Thom. *q. 7. de pot. cit.* & tamen immediatè in substantia creaturæ fundatur, quæ à Deo dependet, ejúsque actionem terminat.

Dices: S. Thomas *q. 8. de pot. a. 2. ad 1. & 4. cont. Gent. c. 14.* negat ullam relationem creatam posse idem cum substantia esse, sed esse necessariò accidens substantiæ.

℞. Jam suprà dixi, quæ mens sit D. Th. quando dicit omnem relationem creatam esse accidens, intelligendus est vel de relationibus, quarum ibi est mentio, videl. Paternitate, Filiatione, &c. vel ut dicit in *Corp. a. cit.* quia Relatio ut talis dicit *Ad* hoc est, rem subjecto extrinsecam, & ei planè contingentem, quâ ratione verissimum est, omnem relationem creatam in suo conceptu formalissimo & specifico *Ad* semper involvere aliquid contingens & extrinsecum subjecto quod refertur: secùs est in relationibus divinis & notionalibus. IX. S.

IX. Nota. In relationibus non dari processum in infinitum: S. D. *1. p. q. 42. a. 1. ad 4.* sequitur ex dictis, & *ratio* est, *tum* quia relatio identificatur cum suo fundamento, fundamenta verò non sunt infinita, sed unum, nec enim in uno pariete v. g. sunt infinitæ albedines: *tum* quia fundamentum est causa relationis, causatum autem series non potest esse infinita, aliàs deveniri nunquam ad effectum posset, cùm infinitum pertransiri non possit.

X. *Quæritur 8.* An ratio fundandi in fundamento debeat esse distincta â ratione fundandi in termino?

Resp. Oportet rationem fundandi in utroque Relationis extremo *realiter* distingui: si ergo eadem numero albedo divinitus in duobus parietibus ponatur, non erit illic relatio realis. S. Th. *1. p. q. 42. a. 4. ad 3. Ratio est 1.* quia alioquin admittenda esset relatio æqualitatis inter divinas personas, quæ sit realis, non obstante identitate essentiæ, quod meritò negat S. Thomas citatus.

Ratio 2. Relatio non distinguitur à ratione fundandi, sed alia est relatio in pariete *A.* ad *B.* alia *B.* ad *A.* sibi enim relativè opponuntur, ergo & alia ratio fundandi. Relatio ergo ejusdem ad seipsum non est relatio realis, sed rationis: & idem dic de relatione inter duos parietes eâdem numero albedine imbutos, erit enim illic identitas, non similitudo.

XI. *Quæritur 9.* Quot sint fundamenta, ex quibus oriatur Relatio?

Resp. Bene Aristoteles *l. 5. Metaph. c. 15.* ex triplici fundamento tria genera relativorum constituit, & ad illa omnes relationes revocavit. Vide S. Thom. *1. p. q. 13. a. 7.* & *q. 25. a. 1.* & *2. contra Gent. c. 11.*

In primo genere sunt relationes, quæ fundantur in *Unitate vel Multitudine.* In unitate fundantur *æqualitas*, *similitudo*, *identitas specifica*, *præsentia*, *propinquitas.* In Multitudine seu numero fundantur omnes relationes, quæ aliquo modo ab unitate recedunt: ab unitate, *inquam*, non tantùm *quantitativa*, sed etiam *entitativa*: tales sunt relationes, & proportiones inter numeros inæquales, v. g. *excedens*, *multiplex*, *dupli*, *tripli.* Vide Aristot. *5. Metaph. c. 15.* & ibi S. Thom. *lect. 17.* Item relationes *dissimilitudinis*,

divis, *inaequalitatis*, *distinctionis*, *diversitatis*, *&c.* Relatio ergo aequalitatis v. g. in hoc fundatur, quòd unus paries v. g. non plures habeat partes quantitatis quàm alter: relatio verò inaequalitatis, quòd unus paries habeat plures, quàm alter: similitudo in hoc, quòd unus paries v. g. habeat eamdem formam specificam, quam alter, & quamvis *non habere tot partes*, sit negatio, unitas etiam specifica dicat negationem, & secundùm aliquos non sit realis, sufficit tamen fundamenta istarum negationum & unitatum esse realia. Sufficit etiam ad similitudinem imperfectam unitas generica. S. Thomas *1. p. q. 26. a. 1. ad 2.* Sicut enim diversitas individualis non tollit unitatem & similitudinem specificam, ita nec diversitas specifica tollit unitatem & similitudinem genericam. Sicut tamen unitas specifica includit genericam, ita similitudo specifica genericam. Imò & unitas analogica sufficit in analogis eamdem rationem analogam intrinsecè participantibus, habet enim similitudo suos gradus, & creatura est imago & similitudo Dei. Vide S. Thom. *1. p. q. 4. a. 3. ad 4.* & *q. 93. a. 1. ad ult.* & *de pot. q. 7. a. 6.*

In secundo genere Relationum ponuntur illae relationes, quae fundantur in potentia agendi, & patiendi, vel in actionibus earum, v. g. calefactivum & calefactibile subjectum: calefaciens & calefactum: aliae verò fundantur in praesenti, v. g. calefaciens & calefactum: aliae in actione praeterita, ut relatio patris; aliae in futuro, v. g. quod est calefacturum & quod est calefaciendum. Haec sunt exempla Aristotelis *5. Metaph. c. 15.* Caeterùm relationes, quae fundantur in actione futura, non sunt reales, sed tantùm rationis & metaphoricae, quia carent fundamento reali, actio enim futura nihil est.


Relatio Paternitatis immediatè recipitur in substantia patris, haec enim absolutè denominatur, & non potentia aut actio generandi: & si à patre omnia alia praescindas, solámque eius substantiam & filij relinquas, verè & propriè pater denominabitur. Quamvis ergo generatio activa sit ratio fundandi hanc actionem, ut docet S. Thomas multis locis, in ea tamen relatio non recipitur, quia est forma imperfecta & transiens, nec est necessaria relationi in facto esse, sed tantùm in fieri, id enim commune est


omni

omni causæ univocæ, qualis est pater respectu filij, ut ab ea effectus non dependeat, nisi tantùm in fieri. Mortuo filio velut sublato termino desinit relatio paternitatis, quod etiam commune est omnibus relationibus prædicamentalibus; non ergo est, sed fuit pater. Eadem ergo relatio, quæ in instanti generationis patrem, ut agentem, & ut patrem ad filium ut filium & effectum refert, eadem transactâ generatione perseverat, & patrem denominat non ampliùs ut agentem, sed ut patrem, quia relatio paternitatis cùm ab actione in conservari non pendeat, eâ transactâ non est ut cesset, vel in aliam mutetur.

In tertio genere Relationum ponit Aristoteles relationes mensurabilis ad mensuram, v. g. scientiæ ad scibile, intellectûs ad intelligibile, aspectûs ad spectabile, &c. Huc ergo pertinent omnes relationes creaturæ ad Deum, & objectorum ad suas potentias, habitus, actus, &c. omnium quóque specierum ad primam & perfectissimam speciem tanquam regulam & mensuram illarum perfectionis: ratio ergo fundandi in hisce relationibus est intima cujuscunque rei perfectio, secundùm quod est mensurabilis ab aliqua perfectiori; esto enim color v. g. sit qualitas imperfectior visione, ut tamen huius est causa exemplaris & specificativa, est utique perfectior, & mensura visionis, & ideo relationes hujus tertij generis ex parte tantùm unius extremi sunt reales, visio enim refertur ad colorem, color verò non refertur ad visionem tanquam mensurabilis, nam tanquam causa & simile refertur; sed ut sic dicit relationem secundi & primi generis. Hîc ergo mensura sumitur non prout est medium, quo deducimur in cognitionem alicujus ignotæ quantitatis (sic enim ratio mensuræ nihil addit reale) sed prout dicit habitudinem aliquam transcendentalem & dependentiam unius ab alio, in quo respectu transcendentali fundatur deinde relatio prædicamentalis hujus tertij generis, modò tamen terminus vel objectum, quod dicitur esse mensura, existat, aliæque conditiones relationi prædicamentali necessariæ, quod pro omnibus relationibus bene notandum est.

Ex his jam patet Divisionem Relationis in tria illa membra sufficientem & adæquatam esse, nulla enim est relatio prædica-


Prædicam
Relatio
Realis
Rationis
Realis
Creata
Secundum esse
Secundum dici
Secundum esse
Mutua
Non Mutua
Mutua
Hæc ista



dicamentalis, quæ revocari eò non possit, & desumitur ex tribus modis universalibus entis, qui sunt *idem & diversum: potentia & actus: perfectum & imperfectum.*

XII. *Quæritur 10.* Utrum ad Relationem prædicamentalem sit necessarium, terminum actu existere?

℞. Ad Relationem prædicamentalem requiritur terminus actu existens, nec sufficit possibilis. Est communis. Vide S. Thom. *1. p. q. 13. a. 7.* & *q. 28. a. 1. ad 2.* & *2. contra Gent. c. 12. ratione 3.* & *q. 3. de pot. a. 3. ad 5.*

Ratio est 1. Quia per hoc distinguitur relatio prædicamentalis â transcendentali: utraque quidem est ordo unius ad aliud: est nexus unius cum alio; sed transcendentali non repugnat esse ad aliud quod actu non est, quia potentia est ad ens possibile, & durat actu impedito, & ideo scientia est de non existentibus, & potentia de non productis.

Ratio verò *disparitatis* est, quia relatio transcendentalis non est pura relatio, sed est formativa sui objecti, non ergo ab hujus existentia pendet; relatio verò prædicamentalis non facit terminum, sed ab eo purè dependet.

2. Relatio prædicamentalis in re est ipsum fundamentum, indifferens tamen ad denominationem relativam, quam subinde habet, subinde non habet, ut verò habeat, oritur ab existentia & positione termini connotati, quo sublato perit denominatio relativa.

3. Relatio prædicamentalis ne concipi quidem, nec definiri sine termino actuali potest, & ideo est communis omnium sententia, terminum pertinere ad conceptum quidditativum Relationis, nec divinitus dari posse relationem sine termino actuali, quia relatio nihil aliud est, quàm fundamenti & termini coexistentia.

4. Denique quia relatio prædicamentalis non resultat ex fundamento, sed ex termino, fundamentum enim separari potest à relatione, ergo teuminus necessarius est: non ergo albedo actu existens dicit realem relationem ad albedinem tantùm possibilem.

XIII. *Quæritur II.* Utrum Relatio tendat ad terminum ut absolutum, vel ut respectivum?

Resp. Relationis terminus *formalis & essentialis* non est altera relatio, sed aliquid absolutum, saltem in relationibus non mutuis, v. g. creatura refertur ad Deum Creatorem, non quòd in isto sit aliqua relatio ad creaturam; nulla enim est, sed quia Deus illam creat.

Nota, terminum Relationis prædicamentalis duo dicere, unum quòd actu terminet, alterum rationem, ob quam terminat; nec enim quodlibet est aptum relationem terminare, v. g. lapis non est aptus terminare relationem paternitatis; Angelus non est aptus terminare visionem corpoream.

Primum, hoc est, actu terminate, est denominatio extrinseca à relatione, quæ in terminum tendit; sicut enim esse visum, esse amatum sunt denominationes extrinsecæ à forma, quæ non est in objecto viso, sed in oculo vidente, ita etiam termina e & respici est denominatio extrinseca à relatione, quæ non in termino, sed in fundamento est; quemadmodum à relatione servitutis, quæ est in creatura, Deus vocatur Dominus, & à relatione, quæ est in visione, color denominatur visus; sicut ergo prior est visio, quàm denominatio objecti visi, ita prior est relatio ad terminum, quàm ut terminus dicatur terminare vel respici à relatione.

Tota ergo difficultas est de ratione & causa formali, ob quam terminus est terminativus relationis, & de hac quærimus; an oporteat illam esse *formaliter relativam*, an verò *absolutam*, v. g. an pater referatur ad filium, ut est substantia genita, an verò ad filium ut dicit relationem mutuam; visio an ad colorem referatur ut color est, quod est aliquid absolutum, an verò ad colorem, ut dicit relationem objecti, adeò ut si color maneret color, & tamen relatio objecti impediretur, nihilominus terminaret relationem visionis?

Ratio Conclusionis sic explicata est 1. Auctoritas S. Thomæ, quæ saltem de relationibus non mutuis videtur certa in 5 *Metaph. c. 15. 1. p. q. 13. a. 7. ad 6. & q. 7. de pot. a. 8. ad 1. & a. 10. ad 4. & 3. p. q. 35. a. 5.*

2. In

2. In relationibus non mutuis, qualis est relatio creaturæ ad Deum, est vera & realis relatio ad Deum ut terminum; in Deo autem nulla relatio realis ad creaturam, sed tantùm rationis & extrinseca denominatio, ut eleganter S. Thomas *7. de pot. a. 10. ad 4.* ergo ea relatio terminatur ad aliquid absolutum.

Dicunt aliqui in Deo dari relationem rationis ad creaturam, aut denominationem relativam extrinsecam à relatione intrinseca creaturæ provenientem, & ad hanc terminari relationem non mutuam creaturæ ad Deum: sed hæ sunt inutiles tergiversationes; quærimus enim de relationibus, ut sunt à parte rei, non ut finguntur: sicut cùm quærimus, quis sit electus Papa, de vero Papa, non de illo, quem tu aut alius somniavit, quæstio est, nec scire est somniare, sed vigilare & res videre ut sunt, non ut delirantibus aut saltem errantibus apparent.

Deinde relationes rationis non possunt terminare relationem realem: extrinsecæ verò denominationes consequuntur ad formam intrinsecam, & supponunt jam totam relationem, & consequenter jam terminatam; non ergo terminant relationes intrinsecas, sed supponunt jam terminatas. Ex relationibus verò non mutuis bona fit consequentia etiam ad mutuas, relatio enim ut relatio non terminatur necessariò ad aliam relationem, quòd ergo terminus sit relativus, *per accidens & concomitanter*, non *necessariò & essentialiter* se habet, & ideo si paries albus *A* refertur ad album *B*, etiamsi *B* concipiatur sine reciproca relatione, adhuc erit verus terminus relationis parietis *A*, & hic verè & formaliter dicetur similis parieti *B*.

3. Terminus est conditio & origo, ex cujus positione resultat relatio, ergo est prior naturâ & origine relatione, ergo terminus non est formaliter correlativus, relativa enim sunt simul, & una relatio non est origo suæ correlationis, v. g. paries *A* albus est similis parieti *B*. & paries *B* similis parieti *A*. similitudo autem *B*, non est origo similitudinis *A*, sed hæ relationes sunt simul naturâ.

4. Relatio essentialiter *duo* dicit; *rationem formalem fundandi & terminum*: Sicut ergo ratio formalis, ob quam paries *A* refertur ad parietem *B*, est albedo, non verò relatio similitudi-

nis, ita ratio formalis, ob quam *B* terminat ſimilitudinem *A*; eſt æquè albedo, nec vera eſt hæc propoſitio: Ideo paries *B* eſt terminus ſimilitudinis parietis *A*, quia eſt ei ſimilis, ſed quia eſt albus; tota ergo ratio terminandi eſt quid abſolutum, non relativum.

Favet etiam communis loquendi modus, nec enim album dicitur ſimile alteri ſimili, ſed alteri albo: & unum quantum non dicitur æquale alteri æquali, ſed alteri quanto.

5. Etiam in relativis vitandus eſt circulus vitioſus, hoc eſt, ne idem per idem, obſcurum per æquè obſcurum, ignotum per æquè ignotum explicetur & definiatur. Ita expreſſè Ariſtoteles 5. *Metaph. c. 15.* ubi S. Thomas, & *1. p. q. 25. a. 2.* Vaſq. *1. p. q. 159. c. 6.* & ideo ſi neſcienti, quid ſit ſimilitudo, eam hoc modo explices: *Eſt ordo ad ſibi ſimile*, meritò hæc explicatio pro illuſoria habebitur: Sed ſi relatio formaliter ad relativum referatur, definienda erit per æquè obſcurum & æquè ignotum, imò per ſeipſam; dicendum enim erit: *Simile eſt quod refertur ad ſibi ſimile: pater eſt qui refertur ad filium, hoc eſt; ad eum qui refertur ad patrem, &c.*

Objicitur 1. Relativa formaliter ſunt ſibi oppoſita relativè, ergo terminus dicit formaliter relationem ad ſuum correlativum ſeu fundamentum: ſi enim in relatione & ſimilitudine *A* ad *B*, paries *B*. non dicit relationem ad *A*, quomodo ergo parieti *A* relativè opponitur?

℞. Parietem *B* relativè opponi parieti *A*. non quia dicit relationem ad *A*, ſed quia eſt terminus relationis *A*, terminus autem relationis pertinet ad relationem, nec identificatur cum eo quod terminat; nulla enim res poteſt ad ſeipſam referri tanquam *ad aliud*: & patet in relationibus non mutuis; Deus enim eſt terminus cognitionis & amoris creati, nec tamen ad hæc refertur.

Objicitur 2. In divinis Pater dicit relationem realem ad Filium formaliter ut relativum, non ut abſolutum, Patet enim realiter à Filio diſtinguitur, non autem in abſolutis & eſſentialibus, aliàs in divinis eſſent duæ naturæ, duæque eſſentiæ: ſi hoc in divinis, cur non æquè in creatis? æquè enim in creatis Pater eſt

filij

filij pater, ac in divinis. *Et si Dicas* hoc provenire ex infinitâ Dei perfectione, in quo relatio & essentia Filij sunt una res. *Contrà est*, quia terminari ad relativum, *formaliter* ad relationem, non essentiam pertinet; esse verò *infinitum, illimitatum, identificatum, simplex*, sunt proprietates essentiæ, non relationis (esse enim *infinitum illimitatum, &c.* non est ad aliud referri) ergo quòd in Divinis Pater referatur ad Filium sub ratione correlativa, provenit ex conceptu *relationis ut sic*, ergo idem in creatis locum habebit.

℞. Ideo Patrem in divinis referri ad relationem, non substantiam & essentiam Filij, quia nihil est in divinis, ad quod aliàs Paternitas referri possit; ad essentiam enim & naturam referri non potest, quia hæc cum Patre identificatur, nec ge ne ratur: & ideo etiam in creatis relatio ad relationem referri potest, quando aliàs nullus relationi terminus esset; v. g. paternitas Petri est similis paternitati, quæ est in Paulo, & proportio inter 4 & 8 est similis proportioni inter 6. & 12. hoc est, dupla.

Objicitur 3. Proprietates Relativorum sunt, ut sint *simul cognitione, definitione, natura*, hoc est, ut unum non sit origo alterius, uno posito & aliud ponatur, uno ablato & aliud auferatur, &c. sed si relativa ad absolutum referuntur: cessant hæ proprietates: v. g. similitudo parietis *A.* ad *B.* ex eo resultat, quòd ponatur albedo *B.* ergo albedo in *B.* est causa & origo similitudinis, quæ est in *A.* ergo albedo in *B.* non est simul naturâ & cognitione cum similitudine *A.* sed potiùs est ejus causa, priórque, ergo quærendum est aliquid in *B.* quod sit naturâ simul cum relatione *A.* hoc verò nihil aliud est quàm mutua relatio *B.* ad *A.*

℞. *1.* In Relationibus non mutuis æquè reperitur *simultas naturæ, cognitionis & definitionis*, sunt enim proprietates relativorum, & tamen in termino non est mutua relatio, non ergo illæ proprietates ex mutua termini relatione nascuntur.

2. Ex termino tanquam ex conditione necessaria, imò secundùm aliquos, qui modos admittunt, tanquam ex causa oritur relatio: si ergo terminus est *formaliter* relatio, sequitur, relatio-

non quæ terminat, esse causam relationis terminatæ; quomodo ergo relationes simul naturâ?

3. Dicuntur ergo Relativa simul naturâ, quia relationes mutuæ eodem tempore consurgunt, & tamen concomitanter tantùm se habent, nec una ab alia pendet; & hoc modo simul naturâ dici possunt; v. g. paries albus *A.* est similis parieti albo *B.* & *B.* similis *A.* nec tamen similitudo *A.* pendet à similitudine *B.* sicut creatura est similis Deo, non econtrà, ut docet S. Thom. in *1. p.*

Relationes verò non mutuæ ideo simul naturâ dicuntur, quia cùm relatio tota sit *ad aliud*, nec esse nec cognosci potest sine termino: terminus verò licèt in actu primo & sub formali ratione terminandi constitutus sit prior relatione, ut tamen actu terminans simul est cum relatione, & ab hac velut à forma extrinseca denominatur: sicut videre & visum esse in hoc sensu sunt simul naturâ.

Nota ergo, Pater ut homo generans est fundamentum paternitatis relativæ, & sic est prior filio ut homine genito, est enim hujus causa: filius verò ut homo genitus est posterior generante, quia huius effectus. Idem filius ut homo genitus est prior patre ut tali, quia filius genitus est terminus paternitatis; terminus verò est origo & causa vel saltem conditio relationis. Filius verò ut actu terminans relationem paternitatis, cum hac est simul naturâ, nec enim potest intelligi pater nisi filij pater, nec filius nisi patris filius.

XIV. *Quæritur 12.* Unde desumenda sit distinctio specifica Relationum?

Resp. Distinctio specifica Relationum sumitur à fundamento, & termino. S. Thomas multis locis.

Ratio est 1. Relatio identificatur cum fundamento, ergo ab isto sumit realem suam specificationem; quidquid enim est, specificatur ab eo quod est, non ab eo quod non est, hoc est, à sua forma intrinseca, quam habet, non ab ea, quam non habet.

2. Similitudo parietis *A.* ad *B.* est proportio albedinis *A.* ad *B.* proportio verò albedinis est ipsa albedo, eique essentialiter & intimè immersa.

3. Quia

3. Quia tamen tota relatio est *ad aliud*, ideo terminus concurrit per modum causæ extrinsecæ specificantis & complentis relationem; nihil enim novi, eandem rem à pluribus causis partialibus pendere. Multùm tamen differt specificatio termini relativi & objecti, quia hoc specificat actum communicando illi omnia sua prædicata in *esse intentionali* & *effectivè* concurrendo, & ideo primas partes specificandi obtinet: non ita terminus relativus, qui est purus terminus.

Objicies 1. Eadem albedo est fundamentum relationum specie distinctarum, ergo specificatio non desumitur à fundamento.

Antecedens patet, quia eadem albedo dicit relationem similitudinis ad aliam albedinem, dissimilitudinis ad nigredinem, creaturæ ad Creatorem, mensuræ ad species colorum imperfectiores.

℟. Has relationes non distingui specie reali, sed tantùm formali seu virtuali, identificantur enim cum una re, hoc est, fundamento, sed tamen aliter & aliter sumpto, ac secundùm diversas formalitates considerato; eadem enim albedo *ut est ens* ab alio totaliter & in solidum dependens, est creatura: *ut est eadem specie qualitas*, est similis alteri albedini; *ut verò habens aliam* specie qualitatem, est dissimilis; *ut colorum perfectissimus*, (oritur enim ex redundantia lucis, quæ est objectum maximè & per se visibile) est mensura aliorum colorum, &c.

Objicitur 2. Si terminus specificat relationem, ergo est hujus causa, ergo prior, ergo non simul naturâ, cùm tamen relativa sint simul.

℟. Terminum specificare non ut actu est terminus terminans (sic enim dicit denominationem extrinsecam ad relationem, & ita ab hac potiùs specificatur quàm ut eam specificet) sed ut proximè constitutus in ratione & proportione terminandi, v. g. paries albus *A.* est similis parieti albo *B.* & hic specificat similitudinem parietis *A.* non quia actu eam terminat, sed quia est albus & eâdem specie qualitate imbutus cum pariete *A.*

Objicies 3. Terminus est oppositus Relationi, non ergo specificat relationem; quod enim specificat, non repugnat, sed maximè convenit relationi, imò hanc constituit.

℟. Æqui-

℟. Æquivocationem in terminis esse, quando enim dicimus terminum opponi suæ Relationi, *sensus est*, terminum necessariò à relatione distingui, & ab alio extremo cujus est terminus: distinctio autem non repugnat specificationi, ut patet in objecto & forma, imò amicitia, & similitudo, & omnis convenientia supponit distinctionem extremorum.

Obijcies 4. Filius unicâ relatione ad patrem & matrem refertur, qui tamen sunt termini & relationes specie distinctæ, ergo relatio non sumit unitatem specificam à suo termino. *Antecedens* est S. Th. *3. p. q. 35. a. 5.*

℟. Unam esse filij relationem ad utrumque parentem, quia relatio filij habet pro termino non relationem paternam, & maternam sed naturam utriusque parentis, quam constat esse unam specie: & fundamentum quoque est unum specie, generatio videl. activa. Sed demus fundamenta & relationes patris, matrísque distingui specie, sunt tamen subordinata, & conveniunt in hoc, quòd utriusque generatio sit origo viventis in similitudinem naturæ specificæ: sub hac ergo unitate & convenientia specificant unam relationem: sicut colores & veritates specie distinctæ specificant unam potentiam visivam & intellectivam, quatenus conveniunt in una ratione visibili & intelligibili. Si verò dicamus ex sententia aliorum esse in uno filio duas relationes numero tantùm distinctas ad patrem & matrem, nihil absurdi fuerit, cùm istæ relationes à fundamento realiter non distinguantur, & ita solâ ratione inter se distinguentur: sicut in divinis relatio Paternitatis & spirationis activæ sunt unica numero relatio & tantùm ratione distinctæ. Hactenus de natura, requisitis & distinctione Relationum, nunc de speciebus agendum.

XV. *Quæritur 13.* An in Deo sint admittendæ Relationes ad creaturas?

Resp. Probabilius est, nullas in Deo dari relationes reales, nec prædicamentales, nec transcendentales ad creaturas. S. Thomas *1. p. q. 13. a. 7.* & *2. contra Gent. c. 7. & de pot. q. 7.*

Ratio est 1. Relatio est ordo unius ad aliud: Deus autem non ordinatur ad creaturas, quia non est ejusdem ordinis cum creaturis, ejusdem enim ordinis sunt, quæ se mutuò perficiunt,

com-

complent, connectuntur, conservant, ornant, &c. quæ in Deo respectu creaturarum non sunt.

2. Esse absolutum est esse non connexum cum alio, & tale ut possit esse sine alio: esse verò relativum est esse cum alio connexum, & quod dari non possit sine alio, aut dicatur quid ergo sit esse absolutum, & relativum? Sed Deus cum nulla creatura ut actu existente connexus est, ut patet: nec etiam cum ulla nreatura possibili, quia possibilitas rerum est ipsa divina essentia, et causa exemplaris, & effectiva rerum omnium: sicut possibilitas domûs nihil aliud est, quàm ars ipsa & idea architecti, quâ sublatâ domus fieri non potest.

XVI. *Quæritur 14.* Quomodo distinguantur Relatio prædicamentalis, & transcendentalis?

Resp. Multæ sunt differentiæ inter relationem prædicamentalem & transcendentalem.

1. Transcendentalis non respicit terminum ut purum terminum, sicut prædicamentalis.

2. Prædicamentalis relatio per se non intenditur, nec per se fit, sed resultat posito fundamento & termino, quia est merus respectus, nec destinatur ad aliquod peculiare officium: secùs transcendentalis, cùm enim sit rebus intima & innata, & perfectivè circa terminum versetur, ut patet in cognitione objecti, maximè intenditur à natura, nec resultat ex termino, cùm separari ab hoc possit.

3. Prædicamentalis non est activa, sed otiosa, segnísque: secùs transcendentalis, ut patet in Scientia, Potentia, Habitu.

XVII. *Quæritur 15.* An Relatio, ut Relatio dicat aliquam perfectionem?

Resp. Suppositâ sententiâ, quæ dicit relationes esse modos realiter à subjecto distinctos, dicendum omnino est, relationes *quà tales* etiam quoad conceptum *Ad* dicere perfectionem.

Nota Conclusionem procedere non solùm de perfectione transcendentali (quâ ratione illud omne perfectum est, cui nihil deest in suo genere) sed etiam prædicamentali, quæ perficit subjectum.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ, qui cum Aristotele *1. Ethic. c. 6.* docet in prædicamento relationis æquè ac in alijs prædicamentis bonitatem & perfectionem reperiri: & *1. p. q. 28. a. 2. ad 3.* & *q. 9. de pot. a. 5 ad 23.* & *opusc. 1. contra errores Græcorum.* quibus locis expressè fatetur processionem & originem in Deo, quæ sunt formalissimè relationes, ad magnam perfectionem pertinere.

2. Omnes proportiones arithmeticæ, musicæ, architectonicæ, naturales corporum, artificiales statuarum & imaginum, &c. sunt meræ relationes, & consistunt in respectu, & coaptatione ad aliud, adeò ut si v. g. imagini magnam aliquam perfectionem absolutam addas, quæ tamen prototypo non respondeat, imperfecta evadat, & pulchritudinem ac pretium amittat, quod totum in eo est, ut quàm proximè ad prototypon accedat; Quis verò neget proportiones & ordinem magnam esse universi perfectionem? turba ordinem, & videbis quid mundo decedat: imò prima pulchritudinis pars est ordo & proportio, & hæc sunt relationes.

3. Similitudo & dissimilitudo sunt formalissimæ relationes, ista delectationis, illa amoris mater, hinc sympathiæ & antipathiæ rerum: fac omnia similia, quantum erit fastidium! quanta rebus sterilitas! nihil enim agit in simile: fac omnia dissimilia, quanta hostilitas, cladé'que rerum semper in se mutuò pugnantium, séque refugientium!

Dices, perfectionem similitudinis v. g. & dissimilitudinis non versari in esse respectivo, sed tantùm in absoluto & fundamentali, v. g. perfectionem imaginis non esse in eo quòd ad prototypon referatur, sed in eo, quòd habeat quidquid habet prototypon, & non habeat quidquid istud non habet.

Contrà, eodem pacto negari omnis relatio realis poterit: sicut enim, ut tu dicis, relatio in *esse Ad* nullam dicit perfectionem, sed tantùm in *esse In*; ita ego dicam, relatio in *esse Ad* nihil est, sed tantùm in *esse In*: similitudo v. g. nihil aliud est, quàm duæ qualitates, duæ albedines, &c. quæ est sententia Nominalium olim proscripta.

Deinde

3. *Deinde* similitudo & proportio v. g. dicunt perfectionem etiam in *esse Ad*, ergo etiam in esse relativo.

Antecedens probatur, quia crescente perfectione absolutâ potest decrescere perfectio proportionis relativæ, v. g. in homine perfectæ statuæ hæc est proportio, ut longitudo ad latitudinem sit sextupla, ad crassitiem decupla, ad cubitum quadrupla, ad extensionem utriusque brachij æqualis, ad pedem exporrectum sextupla: hæc autem proportio planè exquisita est, & magnæ specimen sapientiæ non singula tantùm spectantis, sed omnia conferentis: tribue nunc singulis partibus etiam minoribus æqualem cum majoribus quantitatem, jam absoluta singulorum perfectio erit major (perfectior enim est quantitas magna, quàm parva, sicut perfectior est calor intensus remisso) & tamen relativa & proportionalis erit minor; ergo non eadem est perfectio relativa & absoluta, imò relativa subinde præfertur absolutæ, quia hæc est singulorum, illa omnium, ut patet in allato exemplo.

4. Nulla ex omnibus rebus creatis assignari potest, quæ non tantùm sit absoluta & perfecta in se, sed etiam quæ toti Universo congruat, eíque aliquam notam perfectionis addat, ut discurrenti per omnia constat, adeò ut etiam monstra & peccata, quæ absolutè sunt mala, dicant tamen aliquam perfectionem relativam respectu universi (oppositio enim mali ad bonum est causa, ut hoc magis cognoscatur, ametur, appetatur) Ob quam à Creatore permittuntur, ejúsque providentiâ in bonum ordinantur, quemadmodum & in picturis nulla est colorum gratia sine umbris, & in concentu musico perit vocum harmonia, quæ ex perfectis & imperfectis tonis contexitur, adeò ut regula Musicorum sit, ne duæ consonantiæ perfectæ se immediatè consequantur. Vide S. Thomam *1. p. q. 22. a. 2* & *3. contra Gent. c. 71.* Si ergo rebus omnibus, etiam malis, etiam peccatis aliqua perfectio relativa inserta est, cur solis relationibus, quæ malæ non sunt, eam neges?

5. Denique Mysterium SS. Trinitatis perfectionem utrique & maximam dicit, adeò ut teste S. Athanasio Deus sine verbo esset mutus, & sine Spiritu S. non viveret: Trinitas verò

ut talis dicit numerum, ergo ut talis non dicit perfectionem absolutam & essentialem (in Deo enim quidquid pertinet ad essentiam, unum & simplex est) ergo ut talis dicit perfectionem relativam.

Objicitur 5. S. Thomas multis locis docet, quòd relatio quà talis & ut dicit *Ad* non est aliquid: ex quo infert, quòd in divinis quidquid habet Pater perfectionis, habet etiam Filius: si non est aliquid, nec essentiæ addit perfectionem, ergo non dicit perfectionem.

℞. S. Thomam expressè locis pro Conclusione citatis fateri Relationem & esse aliquid, & esse bonum: & planè negari haud potest; si enim prout dicit *Ad* non est aliquid, ergo est nihil: si nihil, ergo incidimus in sententiam Nominalium toties à S. Thoma rejectam, qui negant relationes: idem verò est non esse & nihil esse.

Rursus si relatio ut dicit *Ad* est nihil, ergo subjectum non refert ad terminum; quod enim nihil est, non potest referre & ad aliud ordinare; & idem est non referre & nihil referre: cùm ergo Relatio formalissimè dicat *Ad* & respicere, respicere verò sit aliquid, non potuit negare S. Thomas relationem, *quà talem* esse aliquid. Nihil aliud ergo vult S. Doctor, quàm in divinis relationem Patris esse idem cum essentia Patris, totam verò essentiam esse in Filio, & ideo quidquid est in Patre, etiam hujus relativam perfectionem esse in Filio, mediatè videl. & eminenter, ac per circuminsessionem, sicut radius est in sole, & calor in flamma. Quòd verò Filius non sit formaliter Pater, hoc non est carere perfectione Paternitatis (sicut solem distingui à radijs non est carere radijs, & arborem distingui à floribus, non est esse infloridam) sed tantùm distingui à Patre: hæc verò distinctio necessaria est, ut Filius habeat omnes perfectiones etiam relativas Patris, quia si relationes non distinguerentur, in divinis nec origines, nec Pater, nec Filius essent. Hæc videtur mens & argumentatio S. Thomæ.

XVIII. *Quæritur 16.* Quæ sint proprietates Relativorum?

Resp. Multæ sunt proprietates Relativorum. 1. Relativa sunt simul naturâ; patet ex dictis suprà.


2. Re-

2. Relationi, *quà tali*, nihil est contrarium, relativa enim sibi relativè opponuntur, non contrariè: relativa non agunt nec corrumpunt: relativa non se mutuò expellunt etiam in eodem subjecto, idem enim subjectum est simile & dissimile respectu diversorum terminorum.

3. Relatio suscipit magis & minus, *quod intellige* non quòd relatio consistat in divisibili, habeátque latitudinem graduum, ut qualitas (Relatio enim nec per se intenditur, cùm per se non fiat aut corrumpatur, nec ad intensionem fundamenti; æquè enim sunt similia duo alba ut quatuor, & duo alba ut octo) sed quia licèt consistat in indivisibili, dicitur tamen major aut minor propter recessum aut accessum ad perfectum terminum, v. g. parieti 7 pedum paries 5 pedum, & paries 6 pedum sunt inæquales, quia æqualitas consistit in indivisibili; paries tamen 5 pedum dicitur magis inæqualis, quia magis recedit à pariete 7 pedum. Idem dicas de relatione similitudinis.

4. Relativa omnia etiam transcendentalia dicuntur ad convertentiam.





§. VII.

DE QUALITATE.

Summaria.

1. *Definitio Qualitatis ab Aristotele tradita tenenda est.*
2. *Rectè dividitur in 4. Species.*
3. *Quid sint singula ?*
4. *Et quas habeant proprietates ?*



I.



Uæritur 1. Quid sit Qualitas ? *Resp.* Aristoteles Qualitatem sic definit : *Qualitas est, quâ dicimur quales.*

Nota difficilem esse cognitionem & explicationem *Qualitatis* in genere , *tum* quia est genus summum , nec habet aliud genus , per quod definiatur : *tum* quia ut sic abstrahit à spirituali & materiali , sphæra autem nostri intellectûs pro hoc statu sunt tantùm materialia & sensibilia ; *tum* quia species subalternæ & infimæ qualitatum

sunt

ſunt penè infinitæ, unde difficultas naſcitur talem definitionem formandi, quæ omnibus aptari poſſit: artis & laboris magni eſt imaginem pingere, quæ unam faciem referat, quid ſi centum, quid ſi mille referre debeat? Suſtineri ergo poteſt Ariſtotelis definitio; nec omnino idem per idem declarat, quia *Quale* cùm ſit concretum, eſt ſenſibus magis expoſitum, magis etiam notum eſt quàm *Qualitas.*

Deinde qualificare idem eſt, quod rem indifferentem ac indeterminatam ad certum aliquem modum & menſuram revocare: hoc verò facit Qualitas, determinat enim & actuat ſubſtantiam *tum* in exiſtendo, *tum* etiam in operando ad certum genus entis, v. g. ignem ad calefaciendum, quantitatem ad certam figuram, ordinem ac pulchritudinem; &c. qui modus qualificandi in cæteris prædicamentis non reperitur; quantitas enim non perficit ſubſtantiam, nec habilitat ad agendum, ſed tantùm extendit; extenſio autem non eſt perfectio, ſed tantùm collocatio partium, nec enim ſi extendas v. g. holoſericum, aut aliud velum arte plumariâ pictum, propterea perfectius erit, aut novum gradum entis artefacti acquirit.

Relatio, Ubi Duratio, non intimè perficiunt ſubſtantiam, ſed cum ordine ad extrinſecum: nec determinant ad certum gradum entis, eſſe enim ſimile, aut in loco, aut in tempore, omni ſubſtantiæ, relationi, quantitati, qualitati, &c. convenit, non verò eſſe lucidum, eſſe calidum, eſſe ſanum, &c. Ex quo diſcurſu jam patet, bene fuiſſe Qualitatem à S. Thoma *1. 2. q. 49. a. 2.* definitam: *Qualitas eſt accidens modificativum ſubſtantiæ.* & *1. p. q. 28. a. 2. Qualitas eſt accidens diſpoſitivum ſubſtantiæ.*

II. *Quæritur 2.* Quotuplex ſit Qualitas?

Reſp. Qualitas bene dividitur in quatuor ſpecies, videlicet. *Habitum & diſpoſitionem, Potentiam & Impotentiam, Paſſionem & Patibilem qualitatem, Formam & Figuram. Ita communis* cum Ariſtotele.

Ratio Diviſionis eſt 1. Qualitas eſt quædam diſpoſitio ſubſtantiæ: vel ergo eſt diſpoſitio interior, vel exterior? ſi interior, vel eſt per ſe *primò* ſenſibilis, vel non eſt per ſe *primò* ſenſibilis, ſi primum; eſt *Paſſio* aut *Patibilis Qualitas*; ſi ſecundum?

vel

vel disponit tanquam principium innatum operandi, & sic *est potentia* aut *impotentia*: vel est principium non innatum, sed ab extrinseco veniens, & est *habitus* vel *dispositio*. Vel *denique* est dispositio exterior, nec per se primò sensibilis, & *erit figura & forma.*

2. Qualitas ordinatur vel ad ornandam substantiam, vel agendum? si ad agendum, vel advenit substantiæ ut principium, vel intrinsecum vel extrinsecum? si intrinsecum, est *potentia*, vel *impotentia*: si extrinsecum, est *habitus* & *dispositio*; si ut terminus operationis & alterationis, est *passio* & *patibilis qualitas*: si verò ordinatur ad ornandam substantiam, erit *forma* vel *figura*. Vide S. Thomam *1. 2. q. 49. a. 2.*

Nota calorem cùm essentialiter sit terminus alterationis, pertinere ad tertiam speciem Qualitatis, quatenus tamen est proprietas alicujus naturæ, ut in igne, aut concurrit ad corporis & sanitatis temperamentum, potest per accidens ad dispositionem pertinere: sicut etiam habitus propter sui imperfectionem, potest esse facile in subjecto mobilis, & ita statum passionis inducere, sed in his qualitatibus in certa specie constituendis attendi semper debet, quid *per se* qualitati, non quid *per accidens* conveniat.

III. *Quæritur 3.* Quid sint habitus, & dispositio, potentia, & impotentia, &c. & quomodo inter se distinguantur?

Resp. Habitus qui pertinet ad primam speciem qualitatis, distinguitur à potentia, *tum* quia non omnis habitus est operativus, ut patet in sanitate, pulchritudine, gratiâ sanctificante, &c. *tum* quia habitus non est principium agendi innatum; *tum* quia habitus etiam operativus non datur substantiæ aut potentiæ immediatè ut agat, sed ut potentiam in suo esse & statu naturali perfectè constituat & compleat; sicut forma, quamvis sit prima radix operandi, principaliter tamen datur ad esse, non ad operari. Vide S. Thomam *1. 2. q. 49. a. 3.* & *q. 50. a. 1.*

Ad Habitum quoque pertinent omnes species impressæ intellectûs & sensuum internorum, excepto sensu communi; omnes scientiæ, artes, &c.

Dispo-

Dispositio ab habitu distinguitur, quia hic ex natura sua est *difficile* mobilis, dispositio *facilè*: potest dispositio diu durare, sicut lux in aëre, visio actualis, &c. sed hoc est ab *extrinseco*, hoc est, à causa conservante, vel oculum applicante; ab *intrinseco* tamen nulla sunt principia fixa & immobilia, quæ lucem aëri adstringant. Potest ex adverso habitus facilè à subjecto moveri, ut si sit imperfectus, & tamen erit habitus, qui ex sua natura pendet à principijs stabilibus. Tota ergo distinctio habitûs & dispositionis non in eo vertitur quòd *facilè* aut *difficile* moveantur, sed quòd ex *sua natura* talia sint, ut *facilè* aut *difficile* moveri petant.

Sed unde hæc habitui ad subjectum alligatio?

Respondeo 1. Vel quia habitus est actus primus, dispositio actus secundus, actus verò primus (nisi aliunde deficiat causa conservans, ut in speciebus intentionalibus sensuum externorum) ex sua natura est stabilis, cùm non pendeat ab actu secundo, & potentiâ etiam cessante non ideo desinat esse. *Vel* quià Habitus nititur principijs ex sua natura perennibus & mutationis expertibus; sicut habitus scientiæ, qui à principijs evidentibus & æternæ veritatis: habitus virtutis, qui à principijs cum lege naturali & divina connexis oriuntur: Habitus verò opinionis & erroris habent quidem *statum* & *superficiem* habitûs, non verò *essentiam*, quia nituntur principijs ex sua natura falsis aut fallibilibus, & quotidie mutantur, aut mutari possunt. *Vel* quia Habitus in fieri tantùm à causa efficiente & mutabili pendet, non verò in conservari, ut sunt species intellectuales, Dispositio verò etiam in conservari, ut sunt actuales cognitiones, sensationes, &c. Vide S. Thomam *1. 2. q. 49. a. 2. ad 3.* & *1. 2. q. 51. a. 3.* & *53. a. 1. & q. 7. de malo a. 2.*

Resp. 2. Potentia; quæ ad secundam speciem Qualitatis pertinet, accipitur pro solo principio proximo innato & accidentali operandi, quódque principaliter à natura institutum est, & adscriptum operationi: tale principium operandi proximum sunt intellectus, voluntas, sensus interni, externíque &c.

Excluduntur ergo ab hac specie 1. omnes *habitus acquisiti*, quia non sunt principia *innata*, nec dant *simpliciter posse*.

2. *Habitus infusi*, quia nec ipsi ab intrinseco sunt, sed maximè ab extrinseco, & quamvis dent *simpliciter* posse, supponunt tamen potentiam naturalem.

3. *Species sensibiles* & *intelligibiles*, nam & istæ ab extrinseco sunt, & licèt necessariæ, supponunt tamen potentiam proximam, eámque complent & perficiunt, & ideo ad Habitus revocantur.

4. *Primæ qualitates*, v. g. calor, frigus, &c. quamvis enim sint principia activa, immediatè tamen non ordinantur ad agendum, sed ut sint proprietates formam consequentes, eiúsque unionem cum materia conservantes, & ideo nec suam specificationem & perfectionem intrinsecam ab effectu, & actu recipiunt, ut aliæ potentiæ.

5. *Qualitates objectivæ*, quæ videlicet sunt objecta sensuum, quamvis enim species activè producant, non id tamen eorum primarium officium & munus est.

Gravitas & *Levitas*, sicut etiam *Impulsus*, constitui solent in hac specie. Ad hanc etiam speciem Qualitatis pertinet *potentia passiva accidentalis*, qualis reperitur in potentijs immanenter operantibus & species intentionales recipientibus.

Impotentia hoc loco non accipitur pro privatione & carentia potentiæ, sed pro potentia, quæ est debilis, imbecilla, hebésque, v. g. intellectus *positivè* segnis, torpénsque, complexio & temperamentum invalidum: sic etiam potentia videndi est impotentia audiendi, &c. hinc patet, potentiam & impotentiam non esse species distinctas.

Resp. 3. Patibilis Qualitas hoc loco accipitur pro qualitate sensibili, quæ ex alteratione oritur, v. g. color, sonus, odor, sapor, calor, frigus, molle, durum, &c. Si hæ qualitates habent *statum permanentem*, propriè *patibiles qualitates* vocantur: *si transeuntem*, ut rubor ex verecundia, frigus ex metu, sonus & lux in aëre, *passiones* vocantur: non tamen semper specie differunt, idem enim est rubor ex verecundia, qui subitò vanescit: & rubor ex temperamento sanguineo, qui radicem figit diúque: & quando qualitas aliqua ex sua natura nec statum permanentem, nec transeuntem exigit, sed alterutro natura-

turaliter contenta est, patibilis qualitas & passio specie non distinguentur: eadem enim lux in sole durat, in aëre & luna variat, fugitque, vide S. Thomam *1. 2. q. 5. a. 1.* & opusc. *48. c. 5.* & *5. Metaph. Lect. 16.*

Resp. 4. Figura nihil aliud est, quàm *modus & dispositio resultans in corpore ex terminatione quantitatis.* Et hæc est aut interna, quæ partes quantitatis per se afficit, & mutato quantumlibet situ semper manet invariata (quantumcunque enim manum contrahas, aut explices, sub quovis situ manet sua manui figura, ovalis videl. nec eam corpus Christi etiam in Eucharistia amittit) & hæc pertinet ad qualitatem. *Alia* est figura externa & situalis in ordine ad locum, quæ hujus Prædicamenti non est. Distinguitur figura à forma, quòd hæc dicat figuram physicè & in concreto sumptam, cum alijs videl. accidentibus coloris, proportionis, &c. figura verò magis abstractè, quo modo Mathematici figuram omnibus alijs accidentibus nudam in varias species dividunt.

IV. *Quæritur 4.* Quæ sint proprietates Qualitatis?

Resp. Proprietates Qualitatis sunt istæ.

1. Propria Contrarietas in qualitatibus reperitur v. g. calor & frigus; contraria enim sunt quæ se mutuò expellunt, expellere autem ad qualitates spectat, quæ solæ sunt operativæ. Non tamen hæc proprietas omnibus qualitatibus competit; non figuræ, non medijs coloribus, &c.

2. Qualitas *propriè intenditur & remittitur*; sola enim qualitas gradus habet, & ideo intendi potest etiam in eadem parte subjecti, ut patet in calore. Quantitas verò habet partes, non gradus, & ideo extendit solùm, nec possunt plures partes quantitatis in eadem subjecti parte penetrari. Sunt tamen aliquæ qualitates, quæ non intenduntur, v. g. potentia, figura, &c.

3. Secundùm qualitatem *simile* aliquid aut *dissimile* dicitur; unitas enim formæ substantialis & specificæ causat identitatem, unitas quantitatis æqualitatem, unitas qualitatis similitudinem. *Intellige* autem de similitudine *aptitudinali*, & propria; similitudo enim *actualis* est relatio, & metaphorica non est solius qualitatis. Hæc verò proprietas *soli* & *omni* & *semper* qualitati convenit: non

tamen sufficit ad similitudinem unitas gradualis aut generica; aliàs nigredo ut 4 & albedo ut 4 essent qualitates similes; sed necessaria est convenientia naturæ specifica, intra quam quo major est proportio & convenientia graduum, eo etiam major erit similitudo; albo enim ut 6 magis est simile album ut 4 quàm album ut 2.

Arbor Qualitatis.




§. VIII.


DE ACTIONE ET PASSIONE.


Summaria.


1. *De concurrentibus ad actionem creatam.*
2. *Inter agens & effectum non necessariò intermediat causalitas ab utróque distincta.*
3. *Quod tamen non est universaliter intelligendum.*
4. *Actio formaliter non consistit in relatione extrinsecùs advenientе.*
5. *Sed est modus specialis ab effectu modaliter distinctus.*
6. *Et quoad differentiam suam numericam æqualiter a principio, & termino pendet.*
7. *Specificatur non à sola distinctione principiorum.*
8. *Nec ex solo modo agendi,*
9. *Sed ex terminis specie distinctis.*

10. *Qua*


Qualitas
Intima
Extima
Intima
Sensum fugiens
Sensu perceptibilis.
Insensibilis
Acquisita
Innata
Habitus
Naturalis vel Acquisitus
Supernaturalis vel infusus.
Naturalis
Animæ vel Spiritualis
Corporis vel Corporea
Verus
1 Sapiẽtia
2 Intelligẽtia seu Intellectus.
4 Ars
Scientia
5 Prudẽtia





Tabula
Qualitas
Intima
Extima
De hâc
Intima
Sensum fugiens
Sensibilis.
De hâc
Specie
Sensum fugiens
Innata
Acquisita
De hâc
Specie
Naturalis potentia vel facultas
Rerum Animatarum
Rerum inanimatarum
Rerum Animatarum
Generica
Specifica
Exterior
Interi
1 Visus
2 Auditus
3 Olfactus
4 Gustus
5 Tactus
Individua.
Hic Iste.




Tabula tertiæ Speciei Qualitatis.

- Qualitas
  - Intima
  - Extima } De hac in 4. Specie.
- Intima
  - Sensu perceptibilis
  - Insensibilis } De hâc in 1ma et 2da Specie.
- Patibilis qualitas
  - A. Visibilis
  - Alio sensu perceptibilis
    - Audibilis B
    - Olfactilis C
    - Gustabilis D
    - Tactilis E
- A. Visibilis
  - Color
  - Lumen
    - Cœleste } Proprio Cœlis ac Syderibus
    - Elementare } Proprius Igni
    - Mixtorum } Proprio Chrystallo et Corporib. Lucidis.
- Color
  - Extremus
  - Particeps Extremorum
    - Unius tm particeps } ut Flavus albedinis, fuscus nigredinis
    - Medius } Rubeus, Viridis, Cœruleus, purpureus.
- Extremus
  - Disgregativus visus
  - Congregativus visus — Nigredo
- Albedo


Hæc ista


B
Audibilis sonus
Animatorus
Inanimatorus
Artificiosus
Naturalis
Sonus tympani
Vt
sonus lapilli ad alium lapidem
Animatorum
Inarticulatus
Articulatus
Vt in homine
in Pica
vt
Psytaco
Inarticulatus
Proprius homini
Brutis proprius
Proprius homini
Musicalis
Orationalis
Musicalis
Multisonus
Unisonus
Multisonus
Consonus
Dissonus
Consonus
Hic, iste
C
Olfactilis odor
Suavis
Molestus
nominatae.
D
Gustabilis Sapor
Gratus
Ingratus
E
Tactilis
Non motiva
Normotiva
Prima
Secunda
Molle, durum,
Stipatum,
Prima
Calor
frigus
Humiditas
Siccitas




Tabu
Qualitas
Extima
Intima
De
Extima
Mathe. matica
Natura lis
Figura
Perfecta
Imperfe. ta
Perfecta
Plana
Solida
Regula. ris
Irregu. laris
Rhombo Rhomboides Quadrato

10. *Qua sit differentia inter Specificationem actionis, & habituum, cognitionis. &c.*
11. *Actio* inchoativè *est in agente*, consummativè *in termino.*
12. *Et posteriori modo sumpta realiter à passione non distinguitur, sed tantùm distinctione rationis.*
13. *Quam solam etiam inter motum, actionem & passionem agnoscimus.*



I.



Uæritur 1. In quo consistat Actio creata?

Resp. Dari aliquas creatas actiones, nemo est qui dubitet, quid enim in hoc mundo non agit? non patitur? sed quæ sit actionis & passionis natura, major labor est & difficultas explicare.

Multa sunt in creatis agentibus, quæ ad productionem alicujus effectûs necessaria sunt, ut v.g. calorem ignis producat, 1. substantia ignis requiritur. 2. Vis ipsa & potentia productiva seu calefactiva. 3. Effectus seu calor productus. 4. Motus, mediante quo lignum transmutatur & transit de non calido in calidum. 5 Relatio transcendentalis, quo agens refertur ad effectum vel passum non ut ad purum terminum, sed ut ad effectum productum & subjectum transmutatum. 6. Relatio prædicamentalis, quâ agens refertur ad effectum & passum ut purum terminum, & quæ resultat ex illa transcendentali; omnis enim actio & productio est alicujus productio.

De his omnibus dubitari potest, an illorum aliquid sit actio

 Se-

Scotus actionem constituit in respectu seu relatione extrinsecùs adveniente, quâ agens & producens refertur ad productum. Vocat relationem extrinsecùs advenientem, quæ positis fundamento & termino non resultat necessariò; sicut posito igne & ligno non sequitur semper actio, sicut sequitur relatio intrinseca similitudinis, positis in quacunque distantia duobus albis, & hoc maximè patet in agente libero, quod positis omnibus ad agendum necessariò requisitis potest agere & non agere, & sæpè non agit; & in agentibus necessarijs de potentia Dei absoluta, cùm tamen in relationibus intrinsecis, positis fundamento & termino nulla potentia relationem morari possit. *Ocbamus* cum Nominalibus dicit, actionem nihil addere distinctum ab agente & effectu producto, illuminationem v. g. nihil esse præter solem, & lucem productam.

II. *Quæritur 2.* Utrum inter Agens, & effectum semper intermediet causalitas aliqua distincta?

Resp. 1. Non semper est necesse inter causam agentem ejúsque effectum dari actionem aliquam mediam ab utroque distinctam, sed potest effectus immediatè ab agente sine alia causalitate distincta prodire.

Ratio est 1. Ita fit in emanatione proprietatum & ipsius actionis, quæ utique est à causa, & tamen immediatè.

2. Ut causa, quæ antè non agebat, dicatur agere, & effectus, qui antè non egrediebatur, dicatur nunc egredi, non opus est entitate aliquâ mediâ, ut patet de ipsa actione & causalitate, quæ immediatè ab agente pendet: sicut ergo actio potest immediatè denominationem agentis tribuere, cur non effectus?

3. Deus creans dicitur verissimè agere, & tamen non agit per actionem creativam à termino distinctam; actio enim creativa cùm sit ex nihilo, non potest educi ex subjecto, & tanquam modus à subjecto pendere, hoc enim ipso non esset ex nihilo.

III. *Resp. 2.* Omnis effectus, qui ita pendet à causa secunda, ut potuerit ab alia causa secunda vel *immediatè* à Deo pendere, indiget mediâ & distinctâ actione; v. g. calor in ligno productus ita est ab igne, ut idem potuerit esse à sole, multò magis à solo Deo, ergo hic calor indiget mediâ actione, per quam

ab igne & non aliunde procedat: calor verò qui est proprietas ignis, non potuit ab alio, quàm igne, cujus proprietas est, prodire, non ergo mediâ actione opus habuit. Vide S. Thomam 2. contra Gent. c. 35. & 1. p. q. 25. a. 1. ad 3.

Ratio est 1 Calor ab igne productus non pendet *necessariò* & *essentialiter* ab igne, ergo pendet *accidentaliter*, ergo dependentia caloris in ligno est aliquid calori superadditum, ergo & actio est aliquid superadditum, nihil enim aliud est actio, quàm dependentia effectûs à sua causâ.

Dices: Relatio non distinguitur realiter à fundamento, & tamen hoc denominatur jam relatum, jam non relatum, ex sola positione termini, ergo etiam actio denominabit causam agentem ex sola positione termini & effectûs, & terminus denominabitur productus ex sola applicatione circumstantiarum.

Contrà. Applicatis omnibus circumstantijs potest causa libera adhuc non agere, ergo ut agat, debet determinari formaliter per aliquid à circumstantijs distinctum, & hoc vocamus actionem.

Deinde cùm dicis causam denominari agentem à termino, quæro à quo termino? producto an improducto? non ab hoc, quia calor ab igne non productus non potest igni denominationem producentis tribuere: à calore producto? ergo priùs oportet terminum produci ab igne, quàm ut hunc denominet producentem, ergo productio præcedit terminum, ergo non identificatur cum termino: imò potest totus terminus permanere sublatâ actione, & dependentiâ, quam dicebat ad causam producentem; ergo non est eadem res terminus & actio productiva.

2. Impossibile est novam aliquam denominationem realem provenire absque reali forma, quæ illius sit causa: cùm ergo ignis lignum calefacit, à qua forma, vel intrinseca, vel extrinseca ea denominatio nascitur? ab igne solo? à calore solo? ab utroque simul? at verò potest ignis *A* & calor *A* simul existere, quin ignis *A* denominetur agens, si videlicet calor *A* ab alia causa, v. g. sole vel igne *B* productus fuisset; si enim potest

test calor *A* conservari sine igne *A*, cur non produci ? & saltem eumdem numero calorem *A* potuisse à solo Deo produci non est dubium , cùm Deus omnes virtutes operativas tam numericas quàm specificas *eminenter* complectatur : sicut ergo fieri non potest , ut quod antè non erat visibile, postea fiat realiter visibile : quod antè non erat lucidum , postea fiat lucidum nullâ factâ mutatione reali ; ita etiam fieri non potest , ut quod antea non erat agens, postea fiat agens sine aliqua mutatione & nova forma reali : nulla verò assignari potest præter actionem à termino distinctam , ut modò dictum.

Dices 1. Potest actio immediatè ab agente prodire, cur non effectus ?

℞. Quia actio est essentialiter dependentia ab hoc agente, v. g. calefactio ignis *A* est immediata dependentia caloris ab igne *A*. quod autem essentialiter & determinatè est tale, non potest non esse tale : calor v. g. non essentialiter pendet ab igne *A*, sed potest pendere ab igne *B*, à sole, à solo Deo, &c. ergo ut pendeat ab igne *A*, indiget aliquâ formâ realiter distinctâ, & hanc dicimus actionem esse.

Dices 2. Posito sole in omnibus suis circumstantijs connaturalibus (inter quas præcipua est Decretum Dei volentis cum sole ad agendum concurrere) impossibile est aërem v. g. non illuminari, ergo sol jam est sufficienter determinatus , ut positis omnibus necessarijs agat ; ergo præter circumstantias necessarias non est opus aliâ actione, quæ solem ad agendum determinet ; si enim Deus voluerit concurrere cum sole ad illuminationem *A*, v. g. jam & agens & effectus sunt determinati, & illuminatio *A* non potest à sole non pendere.

℞. 1. Eodem argumento probari potest ignem nihil aliud esse quàm calorem , & ex Dei volitione posse ignem esse calidum sine calore , parietem album sine albedine , &c. Quodsi naturaliter saltem fieri non potest, cur possit causa denominari agens sine actione distincta ? nec enim agere est minùs denominatio realis, minúsque separabilis à subjecto , quàm album aut calidum esse.

℞. 2.

℞. 2. Hoc ipso quòd Deus vult concurrere cum sole ad lumen *A*, necessariò etiam vult concurrere ad aliquam actionem distinctam à sole & lumine: sicut cùm vult concurrere ad dealbandum parietem, vult necessariò concurrere ad aliquam qualitatem, quæ sit à pariete distincta.

Probatur hoc; quando enim lumen *B* in aëre productum dependet à sole, necessariò hîc datur aliqua dependentia luminis à sole, ergo datur aliquid, quod sit essentialiter dependentia (sicut cùm datur album, datur aliquid, quod essentialiter est albedo) sed neque sol est essentialis dependentia à calore *B*, nec calor *B* est essentialis dependentia à sole (cùm potuisset ab alia causa pendere quàm sole, modò Deus voluisset; nec enim hujus voluntas potest essentias mutare) ergo assignandum est aliquid aliud, quod essentialiter sit dependentia, & hoc dicimus esse actionem.

IV. *Quæritur 3.* An Actio consistat in Relatione extrinsecâ?

Resp. Actio non consistit in relatione extrinsecùs advenientе, qualem constituit *Scotus*.

Ratio est 1. Relatio extrinsecùs adveniens ex doctrina Scoti positis fundamento & termino non resultat necessariò (aliàs ab intrinsecis non distingueretur) sed relatio quam dicit actio, positis fundamento & termino necessariò resultat; fundamentum enim proximum est ipsa actio, quâ positâ continuò effectus ad causam, & causa ad effectum refertur.

Quodsi dicas, actionem non esse fundamentum, sed ipsam relationem, *primò* gratis hoc dicis & petis principium: *deinde* quodnam ergo erit hujus relationis fundamentum proximum? non effectus, quia hic est terminus: non virtus productiva, quia hæc est fundamentum remotum, quid ergo?

2. Cùm dicis Actionem esse Relationem, quam relationem intelligis? *prædicamentalem* an *transcendentalem*? si hanc? verum dicis, sed relatio transcendentalis fundatur in aliquo absoluto, dicendum ergo superest, quodnam sit illud absolutum, in quo ea relatio fundatur? Si verò dicas esse relationem prædicamentalem, *obstat*, quòd actio nec ad effectum nec causam agentem referatur tanquam ad puros terminos: non ad effectum, quia hunc facit, non verò supponit, nec ab effectu re-

 sul-

sultat, sed potiùs ab illa effectus: non ad causam, quia & hujus est effectus, saltem *ut quo*, & incompletus.

3. Si actio est relatio extrinsecùs adveniens, & ab alijs relationibus intrinsecis distincta, cui ergo hæc relatio magis extrinsecè advenit, quàm relationes aliæ quas Scotus intrinsecas vocat? æquè enim similitudo parieti albo extrinsecè advenit, quàm actio agenti: & sicut similitudo ideo est relatio prædicamentalis, quia fundamento & termino positis necessariò resultat, ita actio ideò non potest esse relatio, quia posito agente termino sive effectu non necessariò actio resultat.

Dices: Actio essentialiter dicit respectum ad agentem, ergo actio essentialiter est relatio, & ideo definitur, quòd sit *actus agentis*.

Contrà: etiam visio & cognitio quælibet dicit essentialiter respectum ad objectum, nec ideo tamen visio est mera relatio prædicamentalis; sic nec Actio, quia non respicit causam agentem ut purum terminum, sed ut causam, à qua resultat effectivè, secùs ac aliæ relationes prædicamentales à suis terminis. Actio ergo dicit respectum transcendentalem ad causam agentem, & posito effectu resultat quoque relatio prædicamentalis inter effectum & causam, quæ tamen relatio cùm ex effectu resultat, supponit actionem, & naturâ est multò actione posterior, & ideo nec potest esse constitutivum actionis.

V. *Quæritur 4.* Utrum Actio sit modus ab effectu distinctus?

Resp. Actio ergo est specialis modus *modaliter* ab effectu distinctus, quo effectus redditur ab hac & non ab alia causa formaliter dependens; positâ enim hâc dependentiâ & præcisis alijs omnibus causa dicitur actu agere, & effectus actu à causa egredi.

De Actionibus immanentibus, quæ nullum terminum extra sinum causæ effundunt, quales sunt actus vitales, negat S. Thomas esse prædicamentales *l. 1. contra Gent. c. 100.* & *opusc. 48. c. 1.* & *1. p. q. 54. a. 1. & 3.* sunt enim potiùs qualitates, quæ immediatè sine alia origine, processu, motúque à potentijs pendent,

ent, & ideo vocantur actiones tantùm *grammaticales*, aut etiam virtuales, quia cùm immediatè à potentia egrediantur, actionem imitantur; in hoc tamen ab actione deficiunt, quòd actio sit transitus ad aliud: actus verò immanentes sunt in esse quieto, nec tendunt ad alium terminum, sed in illis potentia acquiescit.

Suar. *Metaph. d. 48. sect. 2. n. 12.* agnoscit etiam in actionibus immanentibus veram & prædicamentalem actionem, verúmque terminum, sed res est parvi momenti.

VI. *Quæritur 5.* Unde Actio differentiam suam numericam sumat?

R.sp. Actio quoad individuam & numericam suam differentiam æqualiter à principio agendi, & à termino pendet, adeò ut variato vel principio, vel termino, variari quóque actionem numericam oporteat.

Ratio est, Actio essentialiter à principio pendet (actio enim est *actus agentis*) & æquè essentialiter à termino, est enim *fieri ipsius effectûs*, nec potest dari actio productiva sine effectu producto, ergo factâ mutatione in alterutro oportet actionem mutari, nec esse unam, eamdémque; *probatur consequentia*, quia actiones numericè distingui nihil aliud est, quàm in una actione esse aliquem respectum & notam essentialem, saltem ex parte materiæ, quæ non est in alia; & unitas numerica cùm sit maxima, maximè etiam consistit in indivisibili, & mox corrumpitur sublato quovis charactere, & respectu essentiali; sic v. g. non potest eadem numero actio esse hominis *generatio & creatio*, quia sunt à diversis principijs, creatio à Deo, generatio ab homine.

VII. *Quæritur 6.* Unde actio differentiam specificam sortiatur?

R.sp. 1. Distinctio specifica actionis non potest desumi à sola distinctione principiorum, si terminus sit idem, ejusdémque rationis; potest ergo eadem specie calefactio à sole, ab igne, à Deo esse. S. Th. *1. p. q. 25. a. 1. & q. 45 a. 1.*

Ratio est 1. Quia nullæ actiones ostendi possunt, quæ à solis principijs specie distinguantur, siquæ enim essent, utique *creatio &* *gene-*

generatio hominis essent: sed hæ non distinguuntur ex solis principijs, sed etiam ex parte termini, in creatione enim totus terminus, totúsque homo creatur; in generatione anima creatur, sed non materia, non unio; hæc generatur, illa creationi animæ supponitur. Eodem modo creatio & generatio ignis distinguuntur, quia in creatione sola causa efficiens concurrit ad productionem ignis: in generatione verò etiam materia, ex qua forma ignis educitur. Multò minùs aliqua specifica & notabilis differentia in calcfactionibus advertitur, quæ à sole, ab igne, à Deo proveniunt: & quis dicat motum & gyrationem primi mobilis ab Oriente in Occidentem, si fiat ab Angelis specie distinctis, specie distingui?

2. Lux & calor corporum cœlestium & sublunarium est ejusdem speciei, ut docet S. Thomas *in 4. d. 44. q. 2. a. 4.* vide Conimb. de Cœlo *l. 2. c. 6. q. 3.* ergo & actio illuminativa & calefactiva, & ideo tam calor, quàm calefactio Cœlestis easdem habent cum sublunari calore & calefactione proprietates.

3. Quando sol & ignis v. g. eundem specie calorem producunt, ideo producunt, quia illum *eminenter* continent, ergo jam agunt non ut *duo formaliter*, sed *ut unum* principium, utraque enim causa habet hanc eminentialem virtutem, & secundùm hanc eundem specie effectum producunt, eandémque actionem, nam & hanc eminenter continent.

4. Idem specie principium diversissimas specie actiones producit, ut patet in Intellectu, voluntate, alijsque causis materialibus; ergo principium *à quo* non specificat, sed instar materiæ se habet, quæ una specie distinctissimas formas admittit: sicut ergo distinctio specifica non potest à sola materia desumi, ita, &c.

5. Etiam in artefactis nemo dixerit circulos perfectè rotundos, tetragonum perfectè quadratum, ideo specie distingui, quia unum ab homine, aliud ab Angelo descriptum est.

6. Specifica effectuum distinctio nec sumi potest à duobus principijs & causis univocis, quia hæ sunt ejusdem speciei, & eundem specie effectum producunt: nec ab æquivocis, quia istæ

istæ sunt indifferentes & indeterminatæ ad plures specie effectus: ab indeterminato autem quà tali non sumitur determinata specificatio; ergo illa ipsa virtus productiva causæ æquivocæ à termino determinatur, quia istum non se totâ producit, sed prout *eminenter* terminum continet, & huic proportionatur.

Dices: Actio vitalis à non vitali, v. g. locutio & comestio Angeli in corpore assumpto à locutione & comestione hominis per hoc unicè distinguuntur, quòd vitalis sit à principio intrinseco, non vitalis ab extrinseco.

℞. 1. Actiones immanentes ex sententia communi non esse propriè dictas actiones.

℞. 2. Actionem vitalem non ut actio est, sed ut vitalis est, ab intrinseco principio pendere; vivere enim est ab intrinseco, non extrinseco moveri.

℞. 3. Imò actio vitalis etiam ex termino distinguitur, quia hæc terminum sibi, & intra se gignit.

VIII. *Resp. 2.* Ex solo modo agendi, si termini actionum sint ejusdem speciei, non potest actio specie distingui.

Ratio est 1. Ab inductione: Motus rectus & circularis ad idem punctum specie non distinguuntur; sicut enim linea recta & circularis *accidentaliter* tantùm differunt, ita, &c. nec enim major est ratio, cur curvitas, & rectitudo non inducat specificam distinctionem in substantiam, v. g. virgam, quàm in quantitatem, aut motum, aut actionem. Frigefactio quoque, quæ in aqua se ad nativum frigus recipiente est ab intrinseco, & per modum emanationis, non distinguitur à frigefactione aëris, quæ est ab extrinseco: *idem dicas* de luce & calefactione instantanea, & successiva, quæ modo quidem, sed non specie differunt.

Nec refert quod objici solet, posse creationem & generationem ad eandem specie substantiam, diminutionem & augmentationem ad eandem quantitatem terminari, & tamen esse actiones specie distinctas: nam de creatione jam suprà dixi. De Diminutione verò dicendum est, eam maximè ex termino distingui; quando enim quantitas tripalmaris ad bipalmarem decre-

 scit

ſcit, terminus hujus actionis non eſt quantitas bipalmaris, ſed privatio & corruptio quantitatis palmaris.

Dices. Datur in igne potentia obedientialis ad producendum idem ſpecie frigus, quod naturaliter ab aqua producitur: at in hoc caſu terminus eſt unus ſpecie, habétque omnes proprietates frigoris naturalis, & tamen ea productio cùm ſit ſupernaturalis, ſpecie diſtinguitur à productione & actione naturali; ſpecificatio igitur non eſt à termino, ſed à modo in terminum tendendi.

℞. In hoc caſu productionem illam ſupernaturalem ſpecie diſtingui non formaliter *ut actio eſt*, ſed *ut ens eſt*; cùm enim eſſe hujus actionis egrediatur à potentia, & concurſu ſupernaturali, eſt eſſe ſupernaturale; nec enim cauſa poteſt aliud eſſe dare, quàm id quod habet.

Cæterùm hæc ſupernaturalitas non conſtituit actionem. Idem ſuprà de actione vitali diximus: idem omnes fateri debent; omnes enim fatentur, actus voluntatis & intellectus ab objecto ſpecificari, & tamen idem omnino objectum, quod actu naturali attingitur, poteſt attingi actu *quoad modum* ſupernaturali (cur enim non poſſim viribus & auxilio Dei, quod poſſum viribus naturæ? v.g. amare Parentes?) qui tamen actus *Materialiter & entitativè* diſtinguuntur, non *formaliter* in ratione cognitionis aut volitionis, cùm habeant idem objectum.

2. Qui dicunt actiones per modum tendendi in terminos diſtingui, difficultatem non expediunt; nam de ipſis modis in terminum tendendi redit quæſtio, unde iſti diſtinguantur? à terminis? ergo etiam actio immediatè diſtinctionem à terminis accipit, cur enim iſta minùs quàm modus ille tendendi? maximè cùm & actio ſit modus termini, & in termino receptus: ſi verò modus tendendi à principio ſpecificatur, obſtant argumenta ſuperiùs facta.

3. Cùm dicis actiones ſpecie diſtingui per modum attingendi terminum, de quo modo intelligis? de modo *accidentali* actionis, an verò *eſſentiali*? non accidentali, quia hic ſpeciem non variat: non eſſentiali, quia redit quæſtio, quis modus ſit habendus pro eſſentiali & ſpecificativo, & novum eſt modum ad eſſentiam pertinere; videmus enim in rebus ferè omnibus modum

ope-

operandi ad essentiam nec operis, nec finis, nec operantis pertinere, ut suprà demonstratum, cur ergo pertineat ad essentiam & speciem actionis?

IX. *Resp.* 3. Actiones specificantur ex terminis specie distinctis, ubi ergo termini actionum specie distinguuntur, etiam ipsæ actiones. S. Thomas *q. 6. de pot. a. 8.*

Ratio est 1. Actio dicit essentialiter ordinem ad principium, *à quo* est, & ad terminum *ad quem* est, sed ordo ad principium, & est materialis & genericus (cùm plures actiones specie distinctæ ab eodem principio egrediantur, & à diversis specie principijs eadem specie actio) ergo ordo ad terminum *ad quem* erit formalis & specificus.

2. Principium non est origo actionis secundùm totam latitudinem suæ virtutis, sed tantùm quâ parte terminum producendum *eminenter* continet (v. g. sol secundùm latitudinem virtutis suæ est principium calefaciendi & illuminandi, non tamen ut calefactivus illuminat, sed ut *formaliter* lucidus est; econtrà calefacit non ut *formaliter* est lucidus, sed ut *eminenter* calidus) ergo specificatur, hoc est, determinatur ad certam speciem actionis à suo termino, non quidem *effectivè*, sed *formaliter extrinsecè*, sicut quælibet potentia à suo actu; ergo terminus, qui specificat potentiam, multò magis specificat actum: quamvis enim potentia producat actum eique speciem *effectivè* tribuat, actus tamen cùm sit *prior intentione* & *finis* ipsius potentiæ, hanc per modum *causæ finalis* specificat, imò & per modum *causæ formalis*, quia virtus activa in tantum est causa actûs, in quantum cum actu proportionatur, & ideo S. Thomas fatetur actionem priùs à termino, quàm principio specificari *1. p. q. 105. a. 5.* & hoc modo idem S. Doctor intelligendus est, cùm dicit actionem aut à principio & termino specificari, ut *1. p. q. 77. a. 3.* aut à solo principio, ut *1. 2. q. 1. a. 3.*

3. Quando duæ causæ ad effectum aliquem concurrunt, una *universalis & illimitata*, alia *particularis & limitata*, huic, non illi specificatio effectûs tribuitur: quando enim sol & planta aliquid producunt, effectus plantæ, non soli in specie assimilatur, nec sol, sed planta producitur: sed principium actionis

est

est illimitatum & universale ad plures specie actiones, terminus verò limitatus, quique universalitatem causæ restringit, ergo terminus, non principium specificabit actionem.

4. Actio nihil aliud est, quàm forma & terminus in fieri, v. g. calefactio nihil aliud est quàm calor in fieri, ergo implicat terminos esse specie distinctos, & non actiones, alioqui daretur aliquid factum, quod nunquam erat in fieri.

5. Ab eodem species, & proprietates sumuntur; hæ siquidem formam specificam comitantur: sic etiam denominatio rerum propria à forma specifica, non generica derivatur: homo v. g. à forma hominis, non animalis: calidum â forma caloris, non elementi, aut qualitatis denominantur: sed actio sortitur proprietates termini, non principij, nec ab hoc, sed à termino denominatur; v. g. ignis est principium caloris, nec habet contrarium, bene autem calor, & ideo actio calefactiva & ipsa habet contrarium, videl. frigefactionem, & quamvis sit ab igne, non tamen vocatur ignitio, sed calefactio, à suo videl. termino; si ergo non à termino specificatur, cur à termino denominationem, cur proprietates accipit? Vide Aristot. *5. Physic. t. 4.* & *48.*

X. *Resp. 4.* Aliter actionem â terminis, aliter *potentias, habitus, cognitiones* ab *objectis* specificari, *cognitiones* enim tendunt in objecta non ut sunt, sed ut apparent, & per media ac rationes repræsentantur, & ideo objectum specificat cognitiones non ut est, sed ut repræsentatur, sicque potest idem objectum materiale ad diversos specie actus pertinere, v. g. idem color ut per species visibiles & oculo proportionatas exhibetur, ad actum visionis, ut verò per species cognoscibiles & oculo improportionatas, ad actum intellectionis & scientiæ, &c.

Actio verò quia respicit terminum non solùm ut cognoscibilem, sed ut producibilem, ideo specificatur à termino in suo esse reali & naturali, sic enim illum, & non aliter producit; & hæc est differentia inter producere & cognoscere: productio *non est præcisiva*, sed dat effectui totum suum esse, nec potest homo produci qui sit animal, nec sit rationale: cognitio verò est *præcisiva*, quia pendet à speciebus, species verò fiunt ab objecto; sicut ergo non omnis causa effectum sibi adæquatè similem pro-

du-

ducit, ita nec objectum species, & ideo potest in homine cognosci animal non cognito rationali.

Falluntur ergo, qui dicunt actiones distingui quidem per terminos, non tamen *materialiter* & *in esse rei* spectatos, sed *formaliter*, hoc est, ex modo quo attinguntur, sed hoc jam suprà refutavi, & refutari adhuc potest hâc ratione: Sicut ratio *formalissima*, *sub qua* color specificat actum, aut potentiam visivam, est ratio *visibilis*: & *ratio sub qua* idem color specificat potentiam aut actionem intellectivam, est formalissimè ratio *intelligibilis*, ita *ratio formalis*, *sub qua* terminus specificat productionem, est ratio producibilis: sed terminus est producibilis secundùm suum esse *reale & specificum*, ergo *ut sic* specificat productionem; modus verò agendi est ipsa actio, aut aliquid ad actionem pertinens, ergo modus agendi non est producibilis, sed ipsa productio, ergo non specificat productionem, sed specificatur, & ideo licèt eodem modo & leo, & equus, & elephas producantur, eodem etiam modo frigus, & calor, istæ tamen productiones omnes specie distinguuntur, ut de frigefactione & calefactione Philosophus testatur 5. *Phys. c. 3.*

Dices: Communis est Philosophorum sententia, scientias & habitus ex modo tendendi in objecta specificari, idémque de motu circulari, & recto ad eumdem terminum.

℟. De habitibus jam supra responsum, & data disparitas, imò modus tendendi distinctus jam supponit in ipso objecto variationem ex parte motivi operandi, aut medij assentiendi. Sic etiam motus rectus & circularis ex parte termini proximi diversificantur, aliud enim & aliud *Ubi proximum* utrique motui respondet.

XI. *Quæritur 7.* In quo subjecto recipiatur Actio?

Resp. Actio transiens *inchoativè* & per modum *originis* est in agente; *consummativè* tamen & *principaliter* est in termino producto; nec enim causa denominatur agens, nisi effectum producat, ut patet in Deo, cui cùm sit idem esse & agere, non tamen dicitur ab æterno agere, sed in tempore, effectu jam erumpente.

Actio igitur ex duobus entibus modalibus integratur, quorum unum est in principio agente, alterum in termino producto: *primum* denominat causam agentem, *alterum* effectum dependentem.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ & Philosophi. Actionem esse in agente docet S. Doctor in *2. d. 1. a. 5. ad 11.* & *1 p. q. 54. a. 1.* & *l. 2. contra Gent. c. 35* & *l. 3 c. 19.* & *q. 7. de pot. a. 10. ad 1.* & *ad 7.* Ac etiam esse actionem in passo docet *1. p. q. 54. a. 2.* & in *2. d. 40. q. 2. a. 4. ad 1.* & *l. 2. contra Gent. c. 1.* ubi Ferrar. *& opusc. 48. Tract. de action.* & *in 3. Phys. lect. 5.* & *in l. 2. de Anim. c. 2. textu 24.* & *26.* & *l. 3. c. 3. text. 139* & *text. 141.* & *l. 9. Metaph. c. 9.*

2. Actio duo dicit: *Primò* reducere virtutem activam de actu primo ad actum secundum, de otio in motum, de statu indifferentiæ, ad statum determinatum & actualem, quæ omnia important aliquam perfectionem agentis intrinsecam; & ita videmus in actionibus artificialibus priùs Artificem moveri & intrinsecè mutari, quàm opus prodire.

Secundò, Actio est dependentia termini ab agente, oportet ergo in termino recipi, nam terminus intrinsecè dependet ab agente.

3. Negari non potest, dari in agente realem relationem ad passum, & ad terminum productum, ècontra hunc ad illum referri, ergo oportet fundamentum hujus relationis in agente reperiri (ubi enim relatio, ibi fundamentum relationis, ut inductione patet) sed fundamentum est actio, ab hac enim & non à potentia agendi denominatur agens.

4. Actio à Philosopho *3. Phys. c. 2.* definitur: *Actus, & forma agentis ut agens*: si est forma agentis, ergo est in agente, & non tantùm in passo: nec dicas esse formam extrinsecè denominantem, quis enim credat dari definitionem à Philosopho per extrinseca omissis intrinsecis?

5. Patiens non denominatur tale, nisi per modum intrinsecum supperadditum, nec effectus denominatur dependens, nisi à modo intrinseco & superaddito, per quem ab hoc agente dependeat, idque propterea, quia effectus poterat non dependere ab hoc agente; ergo eodem modo, & ob eamdem ratio-

tionem agens non denominatur tale, nisi à modo intrinseco & superaddito dicatur *formaliter actúque* agere, nec enim minor perfectio intrinseca est agere, quàm pati, influere, quàm dependere, & cur potiùs denominatio patientis sit intrinseca, quàm agentis?

6. Forma extrinseca dat denominationem patientis, non agentis, visio v.g quæ in oculo est, denominat parietem visum, non videntem: amor qui est in amante, denominat objectum amatum, non amans; non ergo potest causa denominari *agens* à forma & actione extrinseca, quæ sit in passo.

7. Cùm ignis actu calefacit, vel aliter se habet intrinsecè quàm antè, quando non calefaciebat, vel intrinsecè se aliter non habet? si aliter se intrinsecè habet, ergo in illo aliquid est, quod antè non erat, & quid hoc, nisi modus ille actionis? si aliter se intrinsecè non habet? cur ergo calor modò ab igne dependet, qui antè non dependebat? circumstantiæ enim non faciunt calorem *formaliter & actu* dependere, sed tantùm disponunt: & si agens agendo intrinsecè non occupatur, nec laborat, effectus perinde à causa egredietur, ut aqua per portam, aut canalem: & quis vidit statuam à sculptore, annulum ab aurifice somno, aut otio solutis, nec intrinsecè aliquid agentibus prodiisse? & tamen effectus magis à natura, quàm arte pendet, hæc enim applicat tantùm naturam, sed natura opus elaborat.

8. In divinis certum est, actionem & originem activam Generationis in Patre & generante esse, non in Filio genito; idem ergo dicendum in creatis, nisi ratio aliqua, aut manifesta disparitas appareat; optima enim philosophandi est ratio, quæ creata Increatis accommodat, maximè in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, quod aliis explicatu est difficillimum, & ideo exemplo rerum creatarum ejus difficultas mollienda est.

Dices: Ideo Generatio activa in divinis est in Patre, passiva in Filio, quia aliàs Pater & Filius realiter non distinguerentur.

Contrà, Imò adhuc distinguerentur, sicut ex tua sententia agens & terminus productus necessariò distinguuntur, licèt actio sit in solo termino, & non in agente.

Objicitur 1. Dependentia creaturarum à Deo optimè intelligitur, etiamsi nulla in Deo ponatur actio intrinseca, per quam denominetur *agens*: ergo etiam dependentia lucis à sole optimè intelligitur, nullâ actione in Deo positâ.

℞. 1. Si à divinis ratio petatur, jam dictum est, generationem activam esse in generante, non in genito, ergo idem de creaturis dicendum.

℞. 2. Etiam in Deo datur aliquid, per quod constituitur actu *agens*, efficax videlicet Decretum operandi ad extra; actu enim agere in Deo est perfectio maxima & pertinens ad rationem actûs puri; & si in Deo non esset aliquid, quod haberet rationem actionis, sequeretur non dari in Deo ideam, & exemplar actionis creatæ, cùm tamen constet omnes creaturas esse imitationes Creatoris: quòd verò in divinis actio realiter à natura non distinguatur, hoc provenit ex infinita perfectione & simplicitate Dei, in quo concurrunt duæ illæ summæ perfectiones, *esse Omnia* & *esse Unum*; nec ideo tamen tollitur per hanc identitatem ratio actionis, sicut non ideo non est in Deo voluntas, quia identificatur cum intellectu: & in homine non ideo non est anima vegetativa, quia identificatur cum rationali.

℞. 3. Demus in Deo non dari actionem, per quam ab illo creaturæ dependeant, non ideo neganda est in creaturis ob disparitatem rationis, ut patet examinanti, quæ superiùs allegata sunt.

Objicitur 2. Omnis actio habet suum terminum, cùm enim sit modus termini, separari ab eo non potest: sed illa actio quam dicis esse in agente, nullum terminum habet; calefactio enim, quam dicis in igne calefaciente recipi, quem terminum habet? calorem in ligno productum? at iste est terminus calefactionis in passo receptæ, non ergo est terminus alterius actionis; & actio cùm sit modus termini producti, non potest alibi esse, quàm ubi est terminus.

℞. Ca-

℞. Calefactionem ut est in igne, duo dicere, perfectionem videl. agentis, quem reducit in actum, & perfectionem termini, quem producit: cùm verò duæ illæ partiales actiones subordinentur, unámque actionem ingenerent, sufficit, si unum terminum habeant, ut patet in alijs causis subordinatis: & cùm actio ut est in agente, sit modus agentis, non opus est, ut in passo, aut termino recipiatur.

XII. *Quæritur 8.* Quomodo Actio distinguatur à Passione?

Resp. Actio *consummativè* & *ultimatè* sumpta ut est in termino tanquam fieri ipsius termini, & id per quod terminus *formaliter* ab agente dependet, non distinguitur *realiter* à passione, sed tantum *ratione*. Expressè S. Thom. *l. 11. Metaph. lect. 9.* & *2. contra Gent. c. 9.* & Aristot. *3. Physic. c. 3.*

Ratio est, tum quia nulla necessitas distinguendi; tum quia actio calefactiva v. g. ut ex subjecto realiter educitur, & realiter in subjecto recipitur, eique terminum imprimit, necessariò est *actus subjecti patientis ut patiens est*, ergo necessariò & realier est passio.

Passionem multò magis, quàm actionem à terminis specificari certum est, & videri potest S. Thomas *1. 2. q. 1. a. 3.* nam passio nihil aliud est, quàm *fieri ipsius termini*: ex qua etiam ratione alijsque suprà allegatis constat, passionem à termino modaliter tantùm distingui.

XIII. *Quæritur 9.* Quomodo Actio, & Passio distinguantur à motu?

Resp. Nulla videtur esse distinctio, nec *realis*, nec *modalis*, inter motum ac passionem & actionem, sed *tantùm rationis*. Negant hanc Conclusionem aliqui Thomistæ, qui agnoscunt distinctionem modalem, sed à mea sententia stat S. Thomas *1. 2. q. 1. a. 5.*

Nota Motum alium esse *successivum*, alium *instantaneum* (qui potiùs mutatio) alium *perfectivum*, alium *corruptivum*, *&c.*

Dico igitur Passionem successivam non distingui à motu successivo, Passionem instantaneam à motu instantaneo, &c.

Ratio est 1. quia nihil reale in motu assignari potest, quod non æquè sit in passione & *econtrà*; utrumque enim dicit es-

 sen-

ſentialem reſpectum ad ſuum terminum; utrumque modaliter à termino diſtinguitur, utrumque in aliquo ſubjecto exiſtit, motus enim eſt *actus mobilis*, & paſſio *actus patientis ut patiens eſt*, & ſicut ubi eſt Paſſio, eſt aliquod ſubjectum, quod patitur, ita ubi eſt motus, eſt aliquod ſubjectum, quod movetur; utrumque ſe habet ad formam pro hujus & ſubjecti capacitate; ſi enim ſubjectum eſt capax totius ſimul formæ, aut ſi hæc partes non habet, tam motus quàm paſſio erit ſimultanea & non ſucceſſiva, ut in generatione ſubſtantiæ: Si verò forma habeat partes & ſubjectum paulatim formam admittat, tam motus, quàm paſſio erit ſucceſſiva, ut in aëris illuminatione. Quid ergo eſt in motu, quo realiter à paſſione diſtinguatur? Solùm ergo motus à Paſſione per rationem diſtinguitur, quatenus conſideratur ut merus fluxus & tendentia, præſcindendo reſpectum, quem dicit ad terminum *à quo*, *ad quem*, & *in quo*.


2. Paſſio dicit realem acquiſitionem formæ, nec enim patimur ab eo quod non eſt. Mutatio verò poteſt etiam eſſe in forma merè privativa, aër enim cùm ex lucido obſcuratur, utique mutationem ſubit.

3. Motus ut merus fluxus & *præciſivè* conſideratus, eſt quid imperfectum, & reducitur ad Prædicamentum ſui termini, & ideo nec habet proprium Prædicamentum.

4. *Motus* eſt vox & res analoga, nec enim æqualiter de ſucceſſivo, & inſtantaneo dicitur, principaliùs enim de ſucceſſivo.

Paſſio de omnibus formis æquè dicitur, pati enim dicit tantum recipere. Sunt tamen, qui etiam Paſſionem formæ ſubſtantialis & accidentalis analogicè dici velint, & ſolam Paſſionem accidentalem hujus Prædicamenti eſſe. Ubi etiam adverte Paſſionem ſucceſſivam & momentaneam ex ſolo hoc capite ſpecie non diſtingui, ſed ſolùm quando termini ita ſunt eſſentialiter conſtituti, ut unus petat ſimul produci (ut in Generatione ſubſtantiali, volitione, illuminatione) alter verò ſucceſſivè, ut in motu locali. Illuminatio ergo ſucceſſiva non diſtinguitur ſpe-

cie



Prædicamentum Actionis et

1

Actio

Naturæ — Artis { ut: Pulsatio Cytharæ.

Naturæ

Animæ — Corporis { Hæc pro variis corporis viribus varia est.

Animæ

Rationalis — Alterius

Vegetativæ: Nutritio { Cui inserviunt alimenti { Attractio, Retentio, Concoctio, Distributio }; Augmentatio; Generatio

Sensitivæ: Sensatio { varia pro sensuus varietate }; Motio Spontanea { varia }; Appetitio

Appetitio: Circa bonum — Amor, Desiderium, Spes, Audacia, Gaudium; Circa malum — Odium, Fuga, Desperatio, Timor, Ira, Tristitia

Rationalis

Voluntatis — Intellectus: Appresensio; Judicium { Enuntiativum, discursivum }

Voluntatis

Volitio — Nolitio { Quæ itidem versatur circa bonum vel malum, quemadmodum volitio }

Volitio

Circa finem — Circa media: Consensus, Electio, Usus

Voluntas, Intentio, Fruitio

Hæc, ista

Hæc Divisio fit ratione Principij, à quo oritur. Secundum quod etiam dividitur.


in { Naturalem, Violentam, Præter naturam } { Motus ignis sursum, Vt Motus ignis deorsum, Motus Sphæræ ignis circa Sphæram. }

NB. Passio eodem modo dividi potest; quo Actio: nam cuivis Actioni R. Sua Passio.




Hæc Divisio fit ratione termini ad quem tendit Actio.

1. *Simpliciter, ut motus ignis, vel Secundùm quid, ut motus aëris.*
2. *Simpliciter, ut motus terræ, vel Secundùm quid, ut motus aquæ.*



Hæc Divisio fit ratione Subiecti, in quo recipitur.



Hæc Divisio fit ratione Durationis.

cie à momentanea, quia sicut est eadem specie lux, quæ momento & quæ tractim producitur, ita & eadem illuminatio.

Arbor Prædicamentalis Actionis.



§. IX.

De Prædicamento Ubi & Sitûs.

Summaria.

1. *Ubicationem non esse modum intrinsecum rei Ubicatæ, sed solam denominationem extrinsecam, auctoritate & ratione probatur.*
2. *Diluuntur potissima objectiones.*
3. *Divisio Ubicationis.*
4. *Quid sentiendum de Situ?*



I.



Uæritur 1. An, & quomodo Ubi distinguatur à re ubicatâ?

Resp. Ubicatio non est modus aliquis intrinsecus rei locatæ superadditus, sed sola denominatio

tio extrinseca à loco proveniens. *Negant* multi, etiam Thomistæ, hanc Conclusionem. Scotistæ dicunt, Ubicationem esse relationem extrinsecam. Alij esse modum resultantem in corpore locato, motúque locali.

Ratio Conclusionis nostræ est 1. Auctoritas S. Thomæ 5. *Metaph lect. 9. & 3. Phys. l. 5. Sex ultima prædicamenta significant formas extrinsecùs denominantes. & 2. contra Gent c. 13. Aliquando denominatur aliquid ab eo, quod est extra ipsum, ut à loco dicitur esse aliquid alicubi.*

Nec dicas, S. Thomam nihil aliud velle, quàm locum extrinsecum necessarium esse, ut quis dicatur alicubi esse; non verò locum extrinsecum sufficere sine aliquo modo formalis & intrinsecæ ubicationis: nam *contra est*, quòd S. Thomas expressè comparat *Ubi* cum *Relatione*, & hanc dicit esse denominationem intrinsecam, quamvis necessariò ab aliquo extrinseco resultet: *Ubi* verò esse denominationem merè ab extrinseco, & per hoc distingui à Relatione. *& q. 6. de pot. a. 3. Motus localis est primus & perfectissimus motuum, utpote qui non variat rem, quantùm ad intrinseca rei, sed solùm quantùm ad exteriorem locum.* & *in 4. d. 11. q. 1. a. 3. Invenitur aliqua mutatio, in qua nihil variatur de eo quod est intrinsecum rei, sed solùm hoc quod est extra, puta locus, & hoc contingit in motu locali, unde aliud est subjectum motûs localis, aliud termini, qui per illum acquiritur, cùm tamen in cæteris motibus idem sit subjectum motûs & termini.* En S. Thomas apertè docet motui locali nullum terminum intrinsecum respondere, qui sit in subjecto mobili, sed tantùm extrinsecum, hoc est locum. & *1. p. q. 110. a. 3. Mobile secundùm locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum hujusmodi* (ergo nec ubicationem intrinsecam) *sed tantùm ad aliquid extrinsecum, scil. ad locum.* Habes ex his locis mentem S. Thomæ, quidquid Joannes à S. Thoma, Complutenses, alijque Thomistæ dicant.

2. Nulla est necessitas ponendi modum Ubicationis realiter à corpore locato distinctum, ut ex solutione objectionum, & ex dictis de Relationibus constat.

3. Quis producit infinitos hos ubicationum cumulos toties fugientium, ac redeuntium? *Non locus extrinsecus*, hic enim est ultima superficies corporis ambientis; & consequenter quantitas, hæc verò non est activa. *Non corpus locatum*, quia si corpus lo-

cat

catum producit ubicationem, ergo prius est naturâ, quàm Ubicatio; ergo jam priùs est loco extrinseco applicatum (ex hac enim applicatione determinatur ad productionem suæ ubicationis) ergo jam priùs est in loco, quàm suum *Ubi* producat; ad quid ergo *Ubi* distinctum, si ante hoc sum in loco?

Nec dicas, me ante ubicationem in loco esse *materialiter* tantùm, non *formaliter*: miserum hoc & vanum effugium! si enim ante modum ubicationis distinctæ jam sum in loco, nihil ampliùs habet ubicatio quod addat, ut sim ibi *formaliter*.

4. Si ubicatio est res distincta à corpore locato & loco extrinseco, ergo potest Deus nolle concurrere ad productionem illius modi; quis enim Deum cogat? non ergo concurrat, an ideo corpus non erit in loco, in quo priùs fuerat? an erit, & nullibi erit? aut si alicubi erit, & in eodem loco, quo priùs, non ergo necessaria est distincta ubicatio, cùm sine ista corpus æquè in loco sit.

5. Probatur ad hominem contra Thomistas. Tota & summa ratio, ob quam modum ubicationis distinctum admittunt, est, quia dari potest & locus & corpus locatum, nec tamen corpus in eo loco esse, v. g. possunt Rex Galliæ, & Parisij esse, nec tamen Rex Parisijs esse. *Rursus* corpus locatum est indifferens, ut sit in hoc, vel illo loco, ergo corpus locatum non est suum *Ubi*. Cæterùm hæ rationes probarent contra communem Thomistarum, non esse unam relationem Paternitatis v. g. quæ ad plures filios extenditur; non esse unam scientiam, quæ cùm priùs ad unam tantùm Conclusionem pertineret, postmodum perficitur, & secundam, tertiam, quartam, & paulatim omnes Conclusiones complectitur: non esse unam & simplicem qualitatem, quæ modò intenditur & remittitur: non unam existentiam omnium partium, quæ modò existunt, modò non existunt, modò conjunguntur, modò separantur; in his enim omnibus æquè urgeri potest, quòd relatio v. g. quam pater dicit ad filium *A*. possit separari a relatione ad filium *B* si natus non sit, aut si extinctus: quòd relatio ad filium *A* sit indifferens ad filium *B*, &c. Quòd si eadem & immutata relatio absque nova entitate, quæ ante nòn erat ad *B*, potest essentialiter esse ad *B*, cur nòn etiam & multò

magis idem & inmmutatum corpus, quod priùs non erat in loco *B*, possit constitui in loco *B*! minus est enim esse in novo loco, quod tantum accidentale est, quàm respicere novum terminum, quod relationi est essentiale; difficiliùs verò essentialia sine mutatione intrinseca, quàm accidentalia variantur.

6. Esse in loco nihil aliud est, quàm loco includi & circumscribi: atqui ad hoc sufficit sola denominatio extrinseca, tam enim est realis denominatio colorem videri, sonum audiri, quàm corpus loco includi: atqui ad illas denominationes sufficit sola forma extrinseca visionis, &c.

II. *Objicitur 1.* Potest hoc corpus, & hic locus esse, quin tamen corpus sit in hoc loco, ergo esse in hoc loco est aliquid realiter ab hoc corpore, & ab hoc loco distinctum.

℞. *1.* Hoc Argumentum etiam contra Thomistas urget, ut paulò antè notatum.

℞. *2.* Utique esse in hoc loco dicit aliquid præter locum & corpus locatum, motum videl. localem, aut aliàs positionem, quá hunc locum occupem, quibus positis velut connotatis extrinsecis continuò corpus locatum sine alia modali entitate, & ubicatione dicitur esse in hoc loco; sicut enim forma intrinseca non informat, nec denominat, nisi corpore & materiâ dispositis, ita nec forma extrinseca.

Objicitur 2. Destruatur tota universi machina, erunt utique omnia, quercus v. g. turres, domus, homines, &c. in eodem loco, poteruntque animalia viciniùs ad se invicem accedere, aut etiam recedere; & tamen in hac hypothesi nullus erit locus extrinsecus, à quo denominentur esse in loco, ergo hæc denominatio non est merè extrinseca.

℞. *1.* In hac hypothesi negant Thomistæ motum localem fieri posse, à quo ergo corpora determinabuntur, ut hanc vel illam ubicationem subeant? quidquid ipsi dixerint determinare corpus ut sit hîc, dicam & ego determinare corpus, ut denominetur esse hîc.

℞. *2.* Sublato omni loco non dicentur corpora esse in loco, sicut sublatâ omni domo non posset aliquis domum inhabitare. Dicerentur tamen sibi propinqua, aut distantia, & hæc denomi-

denominatio resultaret ex alio corpore vicino, & spatijs imaginarijs, seu virtualibus, ac possibilibus, quæ duo illa corpora interiacent.

Objicitur 3. Motus localis est motus verissimus & realissimus, ergo verum aliquem & realem terminum habet, quem verò alium, nisi ubicationem intrinsecam? locus enim extrinsecus non fit per motum localem, sed supponitur.

℞. Terminum motûs localis esse conjunctionem, contactum & contiguitatem corporis locati cum loco; vel superficie locante, ex quo contactu resultat utriusque indistantia, & determinata distantia à punctis finis seu polis Mundi; motus enim localis non producit aliquid, sed corpus loco conjungit, & ad hanc conjunctionem est impertinens ubicatio modalis & resultans; hæc enim ubicatio, quâ *formaliter* constitueris in loco *A*, vel resultat ex te ut es in loco *A*, vel non ut es in loco *A*? non hoc, quia si non es in loco *A*, non habebis ubicationem *A*, sed aliam: si verò resultat ex te ut es in loco *A*, ergo priùs ibi es, quàm resultet hic modus, ergo etiamsi non resultet, nihilominus eris in loco *A*, & per se ridiculum sit, non posse turrim, aut altissimam quercum immobiliter terræ immersam aliter esse in loco. v. g. in campo, in silva, quàm ut ibi ubicatione aliquâ detineatur, fac enim ubicationis hunc modum divinitùs impediri, ne ex quercu aut turri resultet, num ideo turris illic non erit? aut quò migrabit?

Objicitur 4. Locus extrinsecus, hoc est, ultima superficies corporis ambientis sæpè mutatur loco immutato, ergo non potest ubicatio esse contactus locati cum loco extrinseco: *Antecedens probatur*; arbor enim terræ defixa semper in eodem loco est, & tamen superficies aëreæ, quibus ambitur, continuâ ventilatione mutantur.

℞. Locum mutari *materialiter*, non verò *formaliter*, quoad certam distantiam à polis Mundi.

Objicitur 5. Motus localis est distinctus à corpore mobili & loco per quem movetur, ergo & quies in loco (hæc enim est perfectior motu, & hujus finis) ergo & ubicatio fixa, quæ nihil aliud est, quàm quies in loco.

℞. 1. Non ſequitur, eſt perfectior, ergo eſt diſtincta; diſtinctio enim potiùs obeſt perfectioni, & ideo nulla in divinis præter relationes eſt diſtinctio.


℞. 2. Eſſe in loco eſt uniri loco, & quidem loco contactûs: unio verò & contactus non requirunt medium, ſed potiùs tantò perfectior unio & contactus, quantò immediatior, non ergo ex natura ſua medium requirunt. Motus vero eſt ſucceſſivus, ergo dicit eſſe, & non eſſe, ergo non poteſt identificari cum corpore locato, hoc eſt, cum ente permanente, & quod dicit tantùm eſſe.

Objicitur 6. Angelus verè ac realiter de loco in locum movetur, ergo hic motus localis eſt in Angelo, ergo producit aliquem terminum in ipſo Angelo, ergo intrinſecam ubicationem, nec enim alius terminus intrinſecus oſtendi poteſt; nec enim in Angelo datur contactus cum loco externo; *idem dicas* de anima cùm ſeparatur à corpore, & in infernum, aut paradiſum movetur.

℞. Terminum motûs localis eſſe id, ad quod localiter movemur, ſicut terminus calefactionis eſt id, ad quod acquirendum ſubjectum calefactibile movetur: non autem movemur ad aliquid intrinſecum (alioqui moverer localiter ad me ipſum) ſed ad extrinſecum, hoc eſt, ad locum: terminus ergo motûs localis eſt ipſe locus non quidem *ut producendus*, ſed *ut attingendus* & *occupandus*, quæ occupatio eſt intima vicinitas & conjunctio loci ad locatum, ita ut nullum medium corpus interjaceat, ſive jam hæc conjunctio fiat per attactum *materialem*, *extenſivum* & *commenſurativum*, ut in rebus materialibus; ſive per attactum *Spiritualem* & *indiviſibilem*, ut in rebus immaterialibus: ea verò intima conjunctio locati cum loco fieri non poteſt per modum ubicationis intrinſecæ, quæ cùm ſoli locato inhæreat, non unit & conjungit, imò ſupponit rem eſſe in loco.

Objicitur 7. Si Ubicatio non diſtinguitur à corpore & reubicata, quot ergo erunt in uno corpore ubicationes? nam præter materiam eſt etiam forma & diverſa accidentia, quæ utique extra locum non ſunt.

℞. Tot




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE




Situs.

ıis

n.

ı.


Vbi et esse in lo, co
Respectivum
absolutũ
Comune
Proprium
Comune
In aëre
Extra aere vel alibi
In aëre
Extra urbem
In urbe
In urbe
In templo
D. Petri
D. Galli.

℟. Tot esse partiales Ubicationes, quot sunt res aut partes in uno corpore: sicut autem ex omnibus partibus fit unum ens totale, ita ex omnibus partialibus ubicationibus una totalis ubicatio.

III. *Quæritur* 2. Quotuplex sit Ubi?

Resp. Ubi dividitur in *Definitivum*, *Circumscriptivum*, *& Sacramentale*. *Definitivum* est, *quo res ita certo spatio concluditur, ut tamen sit tota in toto spatio seu loco, & tota in qualibet parte loci*, & hoc convenit rebus spiritualibus. Punctum licet non habeat partes extensas, est tamen principium quantitatis & extensionis. Substantia materialis de se quidem partes non habet, sed tamen petit extendi quantitate; nec puncto igitur nec substantiæ materiali competit Ubi Definitivum.

Ubi Circumscriptivum est, *quo res aliqua certo loco continetur; ita tamen, ut sit tota in toto, & pars in parte loci.* Hoc convenit substantijs & rebus materialibus, quæ partes habent, & mensurantur quantitate.


Ubi Sacramentale est, *quo res certo loco non definitur, quin possit in pluribus locis esse, in quolibet verò istorum locorum tota est in toto & tota in qualibet parte loci*; hæc competit Christo Domino sub speciebus Eucharisticis.

IV. *Quæritur* 3. Quid sit Situs, & quomodo distinguatur ab Ubi?

Resp. Situs definitur: *Positio, seu ordinatio partium in ordine ad locum*, v. g. *sedere, stare, cubare, &c.* Differt ergo ab Ubi, quia hoc dicit tantùm esse in loco, non verò esse in loco cum tali, aut tali partium dispositione, ita videlicet ut, caput v. g. sit sursum, pedes deorsum, &c. Et ideo licèt res incorporeæ sint in loco, non tamen habent situm.

Situm alij realiter ab Ubi distinguunt (possum enim eodem corporis situ locum variare, ut si jacens navigem) alij ratione tantùm. Vide Suar. *Metaph. d.* 52. S. Thom. *1. 2. q. 49. a. 1. ad 3.* & *opusc. 48.* Res est parvi momenti.

  § X.



§ X.

Prædicamentum Quando & Habitûs.

Summaria.

1. Quando, 2. & Habitus, *sunt tantùm denominationes extrinsecæ.*





I.



Uæritur 1. Quid sit Quando?

Resp. Quando definitur, *id quod relinquitur ex adiacentia temporis* : hoc est, Quando est accidens, quo res est in tempore. Nihil ergo aliud est *Quando*, quàm duratio rei intrinseca (quæ à re durante non distinguitur) prout connotat tempus extrinsecum, cui res temporales subduntur. *Quando* igitur nec est tempus, nec duratio, sed duratio ut connotans tempus, sicut similitudo parietis *A* ad parietem *B*, non est paries *A*, nec paries *B*. sed est paries *A*, ut con-


Prædicamentum Quando.
Quando est esse in
1 Æternitate, ut Deo
2 Ævo ut Angeli
3 Tempore
Generatim sumpto
Speciatim sumpto
ut esse in
Sæculo
Anno
Mense
Die Horâ
Generatim sumpto
Circumstanti
Præsenti
Ut Nunc.
Circumstanti
Præterito
futuro
brevi
post mensem
post aliquot annos
Præterito
Olim
Nuper
Olim
à Sæculo
à lustro
à Sæculo
Hoc, Illo


Prædicamentũ Habere.
Habitus
Indumenti
Ornamenti
Vt { Esse coronatũ, Mitratũ vel coronatio ꝯ. Esse annulatum ꝯ
Indumenti
Domestici
Militaris
Secundũ totum
Vt Armatũ esse ꝯ.
Secundũ partẽ
Vt Galeatũ esse ꝯ.
Domestici
Secundũ totum
Secundũ partẽ
Vt { Pileatum esse, Calceatum esse
Secundũ totum
Tunicatio
Palliatio
Tunicatio
Hæc, ista.

connotans parietem B. & ita S. Thomas locis suprà de loco allegatis docet, *Quando* pertinere ad denominationem extrinsecam. Quæ verò de duratione & tempore scitu digna sunt, in Physicis tradentur.

II. *Quæritur 2.* Quid sit Habitus?

Resp. Eodem modo Prædicamentum Habitûs nihil aliud est, quàm denominatio extrinseca, proveniens ex adjacentia vestium; veste enim homini circumpositâ, omníque alio modo præciso, dicitur homo vestitus. Vide S. Thom. *opusc.* 48. ubi etiam docet, pilos, plumas, squammas, &c. quibus animalia vestiuntur, ad hoc prædicamentum non spectare, quia sunt partes integrales animalium.

Arbor Prædicamentalis Quando & Habitûs.



§. XI.


DE POSTPRÆDICAMENTIS.

DE OPPOSITIS.

Summaria.

1. *Definitio repugnantium.*
2. *Divisio oppositorum.*
3. *De contrarijs, & conditionibus ad illa requisitis.*
4. *Et 5. Quid circa privativè & contradictoriè opposita advertendum?*

I. *Quæ-*





Oſtprædicamenta ſunt explicationes quarundam vocum, quæ in Categorijs frequenter occurrunt; ſunt verò hæc: *Oppoſita*, *eſſe priùs*, eſſe *ſimul*, *motus*, *mutatio*, & *Habitus*.

I. *Quæritur 1.* Quid ſint Repugnantia, & Oppoſita?

Reſp. Repugnantia ſunt, *quæ de eodem ſingulari verè affirmari non poſſunt*, v. g. *album* & *nigrum*. Repugnantia alia ſunt diſparata, alia oppoſita. *Diſparata* ſunt, quæ *ita uni repugnant, ut æquè alteri*, v. g. lignum repugnat lapidi, ſed æquè ferro. *Oppoſita* verò *ita uni repugnant, ut nulli alteri æquè adverſentur*, v. g. album ita repugnat nigro, ut nulli colorum æquè repugnet, non viridi, non flavo, non rubro, &c.

Oppoſitio igitur inter duas formas ſunt ipſæ realiter formæ; quæ ut ſeipſis ſunt, ita ſeipſis una non eſt alia; à nobis tamen explicari non poſſunt, niſi per relationem, aut negationem.

Definiri oppoſita poſſunt: *Oppoſita ſunt duo extrema repugnantiæ ſimplicis, quæ in eadem re ſingulari ſimul, ac ſecundùm eamdem partem, ac reſpectu ejuſdem eſſe non poſſunt.* Vide Conimbr. *hi. q. 1. a. 1.*

II. *Quæritur 2.* Quotuplicia ſint Oppoſita?

Reſp. *Oppoſita* dividuntur in *Relativè*, *Contrariè*, *Privativè* & *Contradictoriè* oppoſita: eſt *communis*.

Ratio; Oppoſitorum extremorum vel utrumque eſt *poſitivum*, vel alterutrum non eſt *poſitivum*: ſi utrumque poſitivum, aut utrumque eſt *abſolutum*, & habemus *contrariè* oppoſita; aut utrumque *reſpectivum*, & habemus *relativè* oppoſita. Si alterum non

non est positivum, aut ergo erit merè *negativum*, & sunt *contradictoria*: aut erit *privativum*, & erunt *Privativa*. Isti termini: *Cæcus non cæcus*, *surdus non surdus*, dicunt oppositionem privativam; non cæcus enim idem est, quod videns: non surdus idem quod audiens; cùm enim *surdus* sit terminus privativus, si ei negationem addas, evadet positivus.

Nota, in omnibus oppositis, v. g. in contrarijs semper aliquam relationem reperiri (contrarium enim est alteri contrarium) sed tantum accidentalem; nam ut suprà dixi, formæ oppositæ seipsis opponuntur, & *accidentaliter* tantùm resultat relatio.

Relativè verò opposita sunt *essentialiter* relata, nec dicunt tantùm genericam relationem oppositionis, sed specificam & talis oppositionis.

Hæc divisio, ut notat S. Thomas *Opusc. 37.* est analoga, non univoca, quia oppositio *contradictoria est simpliciter* talis, reliquæ verò in quantum aliquid de contradictione participant; si enim non aliquid negarent aut tollerent, non essent opposita.

Relativa Oppositio est minima; licèt enim exigat diversitatem extremorum, hæc tamen se mutuò respiciunt, se inferunt, simul cadunt, & plus habent amicitiæ, quàm simultatis & oppositionis. De Relativis jam suprà dictum, nec pluribus opus.

III. *Quæritur 3.* Quid sint Contraria?

Resp. Contraria definiuntur, *quæ sub eodem genere maximè distant, eidem subjecto vicissim insunt, & ab eodem se mutuò expellunt, nisi alterum insit à natura, v. g. album & nigrum.*

Prima ergo conditio contrariorum est, ut sint sub eodem genere, *vel proximo*, ut albedo & nigredo sub genere qualitatis; *vel remoto*, ut habitus virtutis & vitij, &c.

Ratio hujus conditionis est, *tum* quia contraria se mutuò expellunt & subjectum transmutant, transmutatio autem cùm sit transitus de una forma in aliam, non fit ad *omnino*, & *simpliciter* diversa, ut inductione patet & exemplo motûs, ac distantiæ localis: *tum* quia contraria vicissim eidem subjecto insunt, ergo

 con-

conveniunt in genere physico, hoc est, materia, & in aliqua proportione ad subjectum cui insunt; *tum denique* quia per hanc conditionem voluit solùm Aristoteles, *Contraria à Contradictorijs & Relativis* distinguere; *Relativa* enim possunt esse extrema ejusdem speciei, ut patet in Relationibus similitudinis, non verò *Contraria*, aliàs secum non pugnarent. *Rursus* potest uni relationi *reali* alia relatio correspondere, quæ sit *rationis* (creatura enim dicit relationem *realem* ad Creatorem, hic ad creaturam tantùm *rationis*) relatio verò *realis* & *rationis* non sunt sub uno genere. Sic etiam opposita *contradictoriè* & *privativè* toto genere differunt, cùm dicant ens, & non ens, sub nullo ergo genere conveniunt.

Secunda conditio est, ut contraria sub eodem genere maximè distent; quod intellige de distantia non locali, sed naturali & entitativa, sive dissimilitudine; item de distantia sub eodem genere & positivâ; magis enim distant calor & color, quàm calor & frigus, sed illa distantia est sub diverso genere: magis etiam albedo & non albedo, quàm albedo & nigredo, sed prima est oppositio & distantia *negativa*.

Ratio hujus conditionis est, quia contraria se mutuò expellunt, ut mox dicetur: sed nisi maximè distent, non se expellunt, qualitates enim remissæ, & mediæ possunt in eodem subjecto simul esse, v. g. in eadem aqua calor *ut 2* & frigus *ut 4.* Nec alia videtur fuisse mens Aristotelis in assignanda hac conditione. *Prodigalitas* sub genere vitij maximè pugnat cum *avaritia*; sed sub genere remoto habitûs magis pugnat cum liberalitate, ab hoc enim toto genere differt. *Opinio* vera sub genere opinionis maximè distat ab opinione erronea, sed sub genere habitûs aut assensûs intellectivi magis distat à scientia. *Qualitates mediæ* non pugnant *contrariè*, nisi quatenus aliquid habent de contrario extremo, v. g. color viridis non est contrarius albo, nisi quatenus aliquid de nigro habet. *Virtus* & *vitium* propriè non sunt contraria, nisi ratione inferiorum, quia si spectentur contrariè, non insunt subjecto.

Tertia conditio est, ut contraria se mutuò expellant, quod intellige de expulsione non *effectiva* (multæ enim qualitates contrariæ non sunt activæ) sed *formali*, repugnat enim naturaliter

sum-

summam albedinem summæ nigredini in eodem subjecto consociati: neque hæc formalis repugnantia in eo est, ut duæ qualitates idem subjectum intrent, & tunc demum se expellant, sed potiùs, ut nunquam eidem subjecto inesse possint simul & semel. Frigus aquæ non expellit calorem ab igne (quamdiu enim ignis est, calet) non quia non habeat vim expellendi, sed quia calor est proprietas inseparabilis. Contraria posse in gradibus remissis naturaliter eidem subjecto inesse, docet S. Th. *1. p. q. 76. a. 4. ad 4.* & *Quodlib. 1. a. 6. ad 3.* & patet experientiâ, aqua enim cùm calefit, non amittit totam frigiditatem, ergo retinet cum calore aliquos gradus frigoris, ergo calor & frigus in gradibus remissis & in eodem subjecto misceri possunt.

Dices, aquam frigidam v. g. ut *8.* cùm unum gradum caloris recipit, hoc ipso totam qualitatem frigoris amittere, & aliam qualitatem recipere, quæ sit media & *virtualiter* frigida ut 7. calida verò ut 1. sicut color viridis *formaliter* non est nigredo aut albedo, sed color medius, *virtualiter* nigredinem & albedinem complectens.

℟. 1. Ignis, qui aquam calefacit, quomodo potest qualitatem producere quæ sit *virtualiter* frigida, cùm ipse ignis ejúsque calor *virtualiter* non sit frigidus?

℟. 2. Sequitur contra communem sensum & experientiam, nullam qualitatem remitti, sed totam destrui: nullam intendi, sed totam amitti.

℟. 3. Experimur tactu in aqua calefacta ut *6.* verissimum & *formalem* calorem, *virtualis* enim non cadit in tactum, ut patet in pipere, junipero, pulvere tormentario.

℟. 4. Falsò hæc sententia supponit qualitates contrarias, v. g. frigus & calorem ex vi formarum essentialium se mutuò expellere, cùm tamen se tantùm expellant *formaliter* in gradibus intensis, quia subjectum se extendit ad certam tantùm latitudinem graduum recipiendam, ita ut ejus capacitas vel unâ qualitate, si perfectè intensa sit, expleri possit, vel duabus contrarijs, intra tamen, non supra latitudinem v. g. graduum 8. ut si subjectum calidum sit ut *6.* habere possit duos gradus fri-

goris, si calidum ut 5. tres gradus frigoris, &c. Denominatio tamen fiet à qualitate denominante, aut illa quæ sensum magis afficit.

De potentia Dei absoluta non est dubitandum, posse duas qualitates contrarias in gradu intenso eidem subjecto inhærere, nulla enim hic repugnantia; magis enim repugnat unum corpus in duobus locis esse (cùm naturaliter unum corpus, ne quidem quoad aliquam sui partem possit in duobus locis esse, bene autem unum corpus duabus qualitatibus contrarijs incompletis & partialibus, ut ita dicam, hoc est, in gradibus remissis affici) quàm duabus contrarijs qualitatibus subdi, & tamen fieri illud potest.

Hæc albedo & *hæc nigredo formaliter ut* qualitates *individuæ*, non sunt *contrariæ*, sed *disparatæ* potiùs, quia non magis repugnat albedini nigredo *A*, quàm nigredo *B*.

IV. *Quæritur 4* Quid sint privativè opposita ?

Resp. Privativè opposita *sunt Habitus seu forma & ejus opposita privatio.*

Prima conditio hujus oppositionis est, ut subjectum sit aptum non tantùm juxta gradum genericum, sed etiam specificum recipere formam, quâ dicitur privatum esse, v. g. homo dicitur cæcus, quia illi ut homini debetur visio : talpa verò non dicitur cæca, quia ut talpæ visio non debetur, sed ad summum ut animali: sic etiam catulus ante septimum diem & homo dormiens, quamvis non videant, cæci tamen propriè non sunt, nec privati visione, quia nec homini dormienti, nec catulo ante septimum diem visio debetur.

Est commune Philosophorum axioma, *de privatione ad habitum non dari regressum*, quod intellige de privatione, quæ non solum actum, sed etiam potentiam tollit (ut si oculo læso evadas cæcus) aut etiam si potentia duret, non tamen datur regressus de privatione ad eumdem numero actum; si enim somno v. g. actus videndi cesset, poteris excusso somno ad eamdem specie visionem, non ad eamdem numero redire. Idem dicas de aëre tenebris inumbrato, de aqua calefacta, &c. Vide S. Thom. *9. Metaph. lect. 4. & opusc. 37. c. 1. & q. de malo a. 12. ad 3.*

V. *Quæ-*

V. *Quæritur* 5. Quid sint Contradictoria?

Resp. Contradictoria sunt *forma & ejus pura negatio respectu cujuscunque subjecti, v. g. visio non visio, lapis non lapis, &c.* Differt à Privata oppositione, quia privatio tollit quidem totam formam seu totum actum, non tamen potentiam; imò hanc supponit, & ita relinquit *virtualiter* aliquid de forma: Contradictoria verò oppositio dicit puram negationem, nec supponit potentiam; quamvis enim negatio visionis possit esse in subjecto, cui potentia videndi praestò est, id tamen se habet ad puram nagationem merè per accidens; nam etiam subjectum potentiâ videndi destitutum, v. g. lapis, potest dici *non videns*, non tamen *cæcus*.

Oppositio ergo Contradictoria ut sic tollit totam entis rationem. Et ideo in privativis datur medium, v. g. datur aliquid quod nec est cæcum, nec est videns, videl. lapis. Et *ratio est*, quia cæcitas connotat aliquid positivum, potest autem fieri, ut sicut lapis nec est canis, nec est arbor, quia hæc dicunt formam positivam, ita nec sit videns, nec cæcus, quia etiam hæc dicunt formam positivam. At verò in Contradictorijs non datur medium; sicut enim inter ens & non ens non datur medium, & *quodlibet est vel non est*, ita, &c. & ideo lapis necessariò aut videt, aut non videt. vide Aristot. *l. 10. Metaph. c. 6. & 10.* & Suar. *d. 54. Metaph. sect. 5.* De alijs Postprædicamentis videndi Summulistæ, & Conimbricenses. De speciebus Motûs in Physica dicetur.

FINIS LIBRI PRIMI.





LIBER II.

DE SECUNDA MENTIS OPPERATIONE, HOC EST, JUDICIO.



A Gigmus in hoc ſecundo libro de ſecunda Mentis Operatione & inſtrumentis, quæ judicio dirigendo ſervire poſſunt. *Judicium nihil alud eſt, quàm cognitio complexa, quâ de objecto, aut re aliqua negamus aliquid, aut affirmamus.* Voces externæ, quibus internum hoc judicium ſignificamus, Propoſitio, aut Enuntiatio appellantur. Propoſitio definitur: *Oratio verum vel falſum ſignificans.* Objectum ergo hujus ſecundi libri eſt Propoſitio, præſertim mentalis, cujus primò elementa partésque, tum eſſentiam, proprietates, qualitatem, quantitatem, ſpecies & alia explicabo. Inſcripſit hunc librum Ariſtoteles titulo Perihermenias ſeu de Interpretatione: ſicut enim ſimplices & apprehenſivi conceptus non ſunt propriè loquendo ſermones, ita nec de illis datur propriè dicta interpretatio, hæc enim enuntiat aliquid eſſe, vel non eſſe. Vide S. Th. *Prol. in 1. Periherm.*

§. I.



§. I.

DE SIGNIS.

Summaria.

1. *Signorum usus ab ipso signatorum Authore commendatus.*
2. *Quotuplex,* 3. *& Quid sit signum.*
4. *Significare formaliter non in efficiendo, sed repræsentando consistit.*
5. *Signa etiam brutis usitata.*
6. *Rationali tamen animali quoad sensus externos nullus est signorum usus.*
7. *Signum formale est signum propriè dictum.*
8. *Sicut & illud quod dicitur signum ex consuetudine.*
9. *Voces non conceptum, sed rem ipsam significant.*
10. *Quem tamen ex mente Doctoris Angelici non excludunt.*
11. *Voces humanæ societati necessariæ ex quasi pacto in propria significatione sunt usurpandæ.*
12. *Non repræsentant naturaliter res significatas.*
13. *Perfectius possunt rem audienti significare, quàm loquenti sint notæ.*
14. *Locutio non importat intelligentiam verborum in audiente.*

I. To-



I.



Ota rerum natura signis abundat, idque summâ Creatoris prudentiâ & bonitate curatum est, ne videlicet subitis & improvisis casibus homines ferirentur; Duo enim sunt, quæ communiter ignorantur, & in quæ imparati incidimus, *occulta* & *futura*, utrisque tamen notæ quædam & characteres dati, nec tamen tam clari, ut ab omnibus cognosci possint, nec tam obscuri, ut sapientes lateant, nec tam certi, ut semper eventum promittant: sic ergo & ignorantiæ & sapientiæ, & spei & timori locus est datus, pulcherrimâ varietate, nexúque rerum se mutuò juvantium. Ergo in hoc Mundo velut in amplissimo illo templo versamur, quod Fortunæ Nero dicaverat. Erat id ex marmore candido flavísque venis distincto, aç instar speculi pellucente, quod propterea phengitem seu speculare appellabant; illic inclusa velut luce dies etiam in nocte perpetua. Sic in toto hoc Mundo omnia signis & speculis pellucent, ex quibus etiam occulta & futura, quæ alioqui tenebris involvuntur, deprehendas licet.

Signa in sole; qui si occidit pridie serenus, & oritur, certissimam prænuntiat serenitatem: si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ diei spondent: si in occasu ejus pluat, aut radij in se nubem trahant, asperam in proximam diem tempestatem significabit: si nubes solem circumcludant, quantò minus luminis relinquunt, tantò turbidior tempestas erit: si verò etiam duplex orbis fuerit, eò atrocior: si oriens cingatur or-

orbe, ex ea parte ventus expectetur: si circa occidentem candidus circulus sit, noctis levem tempestatem, si nebula, vehementiorem portendit; si ater circulus fuerit, ex qua regione is se ruperit, ventum magnum.

Idem sol auget & comprimit ventos, auget exoriens, occidénsque, comprimit meridianus æstivis temporibus, itáque medio diei ac noctis venti plerumque sopiuntur, quia aut nimio frigore aut æstu solvuntur.

Flores ac herbas dum in se convertit, rapítque, temporis ac horarum spatia metitur. Lupinum quotidie cum sole circumagitur, horásque agricolis etiam nubilo demonstrat.

Occiso Julio Cæsare sol toto anno palluit, civile bellum præuuntians. Constantino Imperatore jussu Matris Irenes, quæ imperium ambiebat, excæcato, septemdecim dies sol latuit, velut Matris crudelitatem lugeret; tanta verò obscuritas fuit, ut mari navigantes aberrarent. Joannes Jonstonus in sua Thaumatographia: *Certum est*, inquit, *nunquam solis eclypses fuisse, quin aliquid denotaverint.*

Anno 3350. eclypsis fuit, quam septuaginta annorum captivitas secuta. Anno 3360. Templum & Hierosolyma à Nabuchodonosore exscinduntur. Sub anni 3619. eclypsi stellæ circa meridiem conspectæ & bellum Peloponnense cum Atheniensibus incipit. Anno 592. sol in meridiem usque deliquium patitur, & secuta Phocæ tyrannis. Anno 622. Mahometes nefandæ doctrinæ semina spargit. Anno 812. Ante Caroli M. obitum nigri coloris per septem dies apparuit macula. Anno. 1415. septimâ Julij tam horrenda solis defectio fuit, ut aves in terram prociderint, quo tempore Joannes Huss Constantiæ combustus. Sed illa maximè fatalis, quæ Passionem Dominicam vidit, plenilunio contigit, duravitque trihorium. Dionysius de illa: *Aut Deus natura patitur, aut Mundi machina subvertetur:* hic dein communicato cum Philosophis consilio aram *Ignoto Deo* extruxit. Relatam in acta publica Romæ testatur Tertullianus in Apologetico, sed ne spargeretur prohibitum.

Plures soles in cœlo visi magni aliquid portendêre. Christo nato tres soles in Hispania conspecti in unum coëuntes. Anno

no 1514. visi tres soles, singulis cruentus inerat gladius, & secuta Lutheri reformatio. Jonstonus *c. 4. a. 1.* Anno 1520. visi iterum tres Tiguri, & ingens fames oborta. Anno 1314. ante bellum Ludovici Bavari cum Friderico Austriaco visa solis parelia Electorum dissidia & partium studia significârunt.

Notat Plinius nunquam plures quàm tres soles in Cœlo conspectos.

Signa etiam in Luna. Quarta Luna si candida fulserit, serenitatem, si rubicunda, ventos, si atra & subpallida, pluvias portendit. Si quartam orbis rutilus cingit, ventos & imbres præmonebit. Si plenilunio, pura erit, dies serenos significabit, si rutila, ventos, nigrescens imbres; si gemini orbes cinxerint, majorem tempestatem, & magis si tres erunt. Si plena circa se habebit orbem, ex qua parte is maximè splendebit, ex ea ventum ostendet.

Signa in stellis. Cùm discurrere videntur, venti sequuntur: Si stellarum errantium aliquam orbis incluserit, imbres. Sunt in signo Cancri duæ stellæ parvæ, Aselli appellatæ, exiguum inter illas spatium obtinente nubeculâ, quam præsepia appellant: hæc cùm cœlo sereno apparere desierit, atrox tempestas sequitur.

Cometæ nunquam aut rarò impune visi, & ideo à S. Augustino *Cœli lingua* appellantur. *Serm. 30. de tempore.*

Signa in aëre. Iris pacem annuntiat: cæruleo, rubróque colore pingitur, isto futurum orbis incendium, illo præteritum aquarum diluvium significat. Matutina promittit tempestatem, vespertina serenum. Seneca *1. Natur. quæst. Arcus à Meridie ortus magnam vim aquarum vehit: si circa occasum fulsit, rorabit.* Plin. *l. 8. c. 35.* Arcus cùm sunt duplices, pluvias nuntiant. Ipsa iridis figura divinam clementiam notat; quamvis enim arcus sit, sagittis caret, quibus feriat. Vide S. Thom. *Quodlib. 3. a. 30.*

Fulicæ aves matutino clangore tempestates præcinunt. *Mergi, anatésque* rostro purgantes pennas, ventum, *Mergi* stagna, aut maria fugientes, *grues* silentio per sublime volantes serenitatem. *Graculi* serò à pabulis recedentes imminentes imbres. Item cùm terrestres volucres contra aquas clangores dabunt perfundentes

se

ſeſe, ſed maximè *cornix*. *Hirundo* etiam juxta aquas volitans ut pennâ ſæpè percutiat; *anſeres* continuo clangore intempeſtivi: *ardea* in medijs arenis triſtis, *Apes* cùm ſe continent tectis, prædivinant ventos, imbréſque: cùm ad mellilegium progrediuntur, temperatum aërem.

Signa in terra. *Trifolium* cùm inhorreſcit & folia ſubtegit, tempeſtati præludit. Lucentes veſpere per arva *cicindelæ* maturationem hordei annunciant. Ruinis imminentibus *muſculi* præmigrant, *aranei* cum telis primi cadunt. *Viola* alba prima florum ver annunciat, *Galli* cum ſole eunt cubitum, nôrunt ſidera, & ternas interdiu horas cantu diſtinguunt, diem venientem cantu præſagiunt, & cantum alarum ſtrepitu. *Gallina* Liviæ Druſillæ ab aquila in ſinum dejecta cum lauri ramo baccas ferente nuptias cum Auguſto prædixit.

Signa in aquis. *Mare* ſi tranquillum in portu ſtabit & murmuraverit intra ſe, ventum prænuntiat: litora ripæque ſi reſonabunt mari tranquillo, aſperam tempeſtatem: *pulmones* marini in pelago plurium dierum hyemem portendunt. *Delphines* tranquillo mari laſcivientes flatum ex qua veniunt parte: item tranquillitatem, ſi turbato mari appareant ſpargentes aquam. *Nilus* cùm exundat, fœcunditatem Ægypto promittit, ſterilitatem cùm ſtagnat: Pompeij Magni cædem maximè ſubſidens & inareſcens, teſte Plinio, portendit.

Sed nullibi major quàm in homine ſignorum confluxus: quidquid animo condit, tegítque, in fronte velut in theatro panditur. Inſanis Mome, dum rerum Conditorem incuſas, quòd humano pectori cryſtallum non adjunxerit, unde intima & arcana paterent: frons homini pro ſpeculo eſt, illic animus proditur. Dabo aliqua tantùm, in quibus videas, quantùm & Natura & Deus providerint, ne homini ſigna deeſſent, quibus noxia & præſertim extrema præſentiret caveretque, ſi vellet. *Mula* partus (quæ aliàs ſemper ſterilis eſt) prænuntius Babylonicæ captivitatis fuit. Fugam Xerxis editus ab equa lepus oſtendit. Pridie quàm interficeretur Cæſar, alitum pugna & victimæ abſque corde ſæpiùs repertæ necem prædixêre. Scribunt cùm regulus avis Pompeianam curiam intrâſſet, ſurculum virentis lauri roſtro

ferens, globo aliarum volucrum decerpente cinctam, discerptámque signum Cæsari dedisse cædis imminentis. Quo anno superatus Annibal, in arboribus nata sunt frumenta. Numeriæ in luco Junonis ulmus (cui cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat) sponte restituta est, ac protinus floruit, à quo deinde tempore Majestas Populi Romani, quæ antè vastata cladibus fuerat, resurrexit.

Circa bella civilia palma ad basim statuæ Cæsaris Dictatoris enata victoriam, triumphósque portendit. Idem bis in Capitolio Persei bello factum, sed palmâ tempestatibus prostratâ eodem loco ficus erupit, à quo tempore pudicitiam in urbe subversam prodit Plinius *l. 17. c. 25.* Paulò ante Pompeij M. bella cædémque arbor in agro Cumano subsidit, paucis ramis eminentibus.

Alexandro super mare diadema excussum mortem denuntiavit. Statua D. Pauli, quam Andronicus Imperator auro exornaverat, ante cædem Imperatoris (quâ nulla unquam turpior fuit, atrociórque) abundè lachrymis immaduit. Vide Baron. ad annum 1185. Hispanorum in Mexicum adventum & sævitiam avis prævivit magnitudine & colore gruis, sed capite fastigiato; apex enim non plumeus, sed speculorum more pellucens milites ab Oriente armatos & irruentes exhibuit. Vide Nieremb. hist. an. *l. 1. c. 4.*

In oppido Hispaniæ Vilillæ ad Iberum amnem sito haud procul Cæsaraugusta campana est, quæ cùm magni aliquid, insolitique instat, nullo movente pulsatur: pridie quàm capti sunt Reges, sponte insonuit. Quo die composito Mediolani fœdere Rex Arragonius in libertatem est restitutus, ter sponte mota est, sonuítque. Res testatissima est, & Joannis Nierembergij tempore quater aut quinquies audita, insigni semper eventu. Vide Nieremb. *l. 1. de Mirabil. Europæ c. 8.* Similis campana apud Japones memorabilis est. Alia campana est in Monasterio Camorensi Patrum Prædicatorum, quæ ubi ultrò sonuit, post triduum, etsi nemo decumbat, mors aliqua Religiosorum sequitur.

In

In Monasterio Corbeiensi, cujus in Choro scamnum rosa impleverit, mors indicatur. Duravit hoc miraculum, donec Monachus adolescens rosam in suo repertam in senem, velut morti aptiorem conjecit; senex paulò pòst extinctus, & senem secutus Juvenis improvisâ morte sublatus, ab eo tempore vaticinium cum rosa cessavit.

Linzij Galassio Cæsaris armorum Præfecto post longum dentium dolorem dormienti dens, quo laborabat, sponte defluxit, & in dente, qui molaris erat, figura sandapilæ mortuali velo intectæ, albâ cruce nigrum distinguente, nec multò pòst Viennæ decessit. Narrat Stengelius *in ovis Paschal. Emblem. 75.* viro nobilissimo & prædiviti in Alsatia, dum à meridie somnum in lectulo captat, crystallinum, quod vino plenum in mensula stabat, crepuisse, morte denuntiatâ, idque secundo & tertio scypho, quos repleri jusserat, evenit, famulus pro Confessario in equo Brundrutum mittitur, sed totâ nocte in proxima silva vagatus redijt hero defuncto, & jam frigente. Barbaræ Bavariæ Principi quatuordecim ante, quàm obiret, dies grandis amaraci arbor derepentè exaruit; nocte alterâ volucres omnes, quas in cavea alebat, concidêre: tertiâ nocte medius torques ex auro, quo nudum corpus stringebat, medius se rupit, nec diu post annos decem & septem nata vitam absolvit, eámque viginti sacræ virgines secutæ, quot videlicet in cavea volucres.

Quo tempore Carolus V. Imperator ultimo morbo conflictatus est, in domestico horto lilium quasi jam emersurum se aperuit, partum tamen totâ æstate continuit: sub Autumnum caliculum rupit, plenóque flore, & cùm minimè credebatur, se ostendit: hoc signum morituro Cæsari tunc maximè florenti, cùm Mundo sibíque defloruit. Arbor quæ in regia Parisiensi diu virénsque steterat, subitò concidit. Reginæ dormienti visi per somnum imbres unionum ex oculis depluere, visus quoque auriga admissis, concitatísque equis currum velocissimè agere, & quò rogatus? in Hispanias, inquit, Regis mortem nuntiaturus: post quæ ostenta Henricus IV. Galliæ Rex à sicario percussus est.

Infinitus sim, si persequi omnia velim, quæ homini aut læta, aut tristia denuntiant, adeò verissimè à Regio Propheta dictum: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs.* Quod etiam Plinius notavit *l. 7. c. 51.* ubi *Cùm innumerabilia sint,* inquit, *signa mortis, salutis tamen securitatisque nulla sunt.*

Alia quædam hominum signa ex Aristotele, Trogo & Plinio adjungam. Aristoteles vitæ brevis hæc signa prodit, raros dentes, prælongos digitos, plumbeum colorem, plures in manu incisuras, nec perpetuas. Econtrà longam promittunt vitam, qui incurvis sunt humeris, qui plures quàm 32. dentes habent, qui auribus sunt amplis.

Varia quoque in ægrotis signa mortis imminentis Galenus alijque notârunt. *In furoris morbo* signum lethale risus. Plinius *l. 7. c. 51. Præter consuetudinem aliquid facere & velle aliquid priùs non consuetum, aut contrà, pravum ac delirio proximum.* Galen. *aph. 10. vel 47.* Nullum animal nisi æstu maris recedente expirat, & hoc prætertim in homine compertum, diúque in Gallico Oceano observatum. Aristot. apud Plin *l. 1. c. 91.* In homine moderato ferox & audax responsio malum. Hippocr. *aph. 14. vel 51.* Qui à febre acuta, aut pulmonis aut capitis dolore manus ad os fert, aut frustra venatur muscas, aut colligit festucas, aut de pariete stipulas carpit, aut de veste avellit pilos, id omne malum, exitialéque. Hippocr. *aphor. 23.* In febribus insaniæ vehementes silente ægro, sed non privatâ voce, lethale est. Hippocr. *aph 3. seu 66.* Somnus, si in morbo laborem afferat, mortiferum est. *aph. 1.* In somno siquid non exactè commissis palpebris de albo appareat (modò id non ex alvi profluvio aut medicamento proveniat) malum, valdéque periculosum. *Aph. 52.* A medicamenti potione convulsio mortifera est. *l. 7. aph. 25.* Convulsio quóque à vulnere perniciosa est. *l. 5. aph. 1.* Si spiritus frigidus de ore & naribus spiratur, lethale est. Non sitire in calidis, & ardentibus morbis, perpetuò malum. Nasus acutus, cavi oculi, adstricta tempora, aures frigidæ, contractæque, cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultûs virdis aut niger, maximum malum. Hanc vo-

vocant faciem Hippocraticam. *l. 1. Prognost. aph. 6. & 7.* Oculi ut valent, ita corpus, atque in primis caput. *in 6. Epid. text. 28.* Quibus in febribus aut alijs morbis præter voluntatem illachrymant oculi, absurdum. *l. 4. aph. 52.* (certam enim virtutis retentricis debilitatem indicat) si pervertitur, aut livida est palpebra, aut nasus cum aliquo alio signo, mortem propè esse sciendum est. *1. Prognost. 6.* (malorum enim humorum copiam in cerebrum elevari, nativúmque calorem extingui signum est.)

Trogus apud Plin. *l. 11. c. 52.* hæc de moribus signa habet. Frons ubi est magna, segnem animum subesse significat, quibus parva, mobilem, quibus rotunda & globosa, iracundum. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant; quibus juxta nasum inflexa sunt, austeros. Oculi quibuscunque sunt longi, maleficos esse indicant. Auricularum magnitudo loquacitatis & stultitiæ nota est. Natura igitur in bonum Mortalium signis abundat.

II. *Quæritur 1.* Quotuplex sit Signum?

Resp. Signum aliud est *naturale*, aliud *artificiale*. Signum naturale est, *quod independenter ab humana voluntate aliquid significat*; sic v. g. fumus est signum ignis, vestigium signum animalis, hirundo in sublime volans signum serenitatis, Iris matutina signum pluviæ, vermes sponte nec medicamentis compulsi, si ab ægri corpore dilabantur, signum mortis, morus germinans signum veris.

Signum naturale dividitur in *certum* & *probabile*, hoc fallit; illud nunquam; v. g. visa solis eclypsis certò significat lunæ interpositionem, sed probabiliter tantùm morbos & corporum alterationem.

Rursus Signum naturale aliud est *formale*, *quod non cognitum ducit in alterius cognitionem*, ut species impressa & expressa: *Instrumentale*, *quod non ducit in alterius cognitionem nisi prius cognitum.*

Instrumentale naturale signum dividitur in signum *à priori*, *à posteriori*, *à proportione*; ignis est signum à priori caloris & lucis; fumus est signum ignis à posteriori: statua & imago hominis signum à proportione.

Si-

Signum *artificiale* eſt, *quod habet connexionem aliquam cum re ſignificata, non ex natura ſua, ſed arbitrio & voluntate hominum.* Vocatur etiam *ſignum ad placitum*, & hoc vel eſt *ſignum ex pacto*, v. g. voces: vel *ex quaſi pacto*, v. g. Sacramenta, quæ ſunt ſigna gratiæ; vel *ex mera conſuetudine*, *ut* veſtis muliebris ſignum mulieris, corolla florea ſignum virginitatis, &c.

III. *Quæritur 2.* Quid ſit Signum?

Reſp. Signum bene definitur: *Quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat.* Signum ergo duplicem dicit habitudinem, *tum* ad rem, quam repræſentat, & cujus vices agit, *tum* ad potentiam cui repræſentat, ut patet in fumo, qui eſt ſignum ignis reſpectu oculi, non verò reſpectu auris, huic enim non ſignificat; quia ad hanc nullam proportionem habet.

Hæc verò habitudo, quam dicit ſignum tum ad rem ſignatam, tum ad potentiam cognoſcentem, non videtur eſſe relatio prædicamentalis *1.* Quia nec ad potentiam nec ad rem ſignificatam refertur, ut ad purum terminum; potentiam enim excitat ad cognoſcendum, rem verò ſignificatam unit & repræſentat potentiæ.

2. Signum non requirit exiſtentiam rei ſignificatæ, imago enim Cæſaris etiam mortuum repræſentat; & ſol in occaſu rubens futuram ſerenitatem.

3. Si ſignum dicit *formaliter* relationem prædicamentalem ergo ſignum non ſignificat niſi mediâ hâc relatione, ergo nec ducit in cognitionem rei ſignificatæ, niſi cognoſcas hanc relationem (ſicut quia paries non eſt *formaliter* albus niſi per albedinem, non poteſt videri paries albus albedine non viſâ) hoc verò eſt falſum, quis enim aut ruſticus aut ſapiens, cùm videt imaginem Cæſaris aut veſtigium leporis, & ex his ſignis Cæſarem & leporem cognoſcit, quis, *inquam*, eorum de relatione cogitat?

4. Significare eſt poſſe rem aliquam cognoſcenti manifeſtare, hæc verò manifeſtatio fit cognitâ ſolâ relatione tranſcendentali *cauſæ*, v. g. *effectûs*, *imaginis*, *proportionis*, *voluntatis hominum*, al quod ſignum inſtituentium, &c. Sicut enim nummus aureus tanti valet, non quia dicit relationem aliquam prædicamen-

mentalem aut rationis, sed quia Princeps voluit, aut consuetudo sic habet, quâ Principis voluntate aut consuetudine cognitâ jam mihi de valore nummi constat; ita in signo.

Dices: Esse signum non tantùm est potentiæ aliquid repræsentare, alioqui Deus erit signum omnium creaturarum, omnes enim repræsentat, cùm sit omnium exemplar & idea, ergo signum præter vim repræsentandi dicit subjectionem aliquam, quæ vice objecti substituitur, eíque deservit; hæc autem subjectio videtur relatio realis.

℞. Signum præter vim repræsentandi dicere aliquam imperfectionem & defectum, signum enim nunquam habet perfectionem rei significatæ, v.g. imago Cæsaris non est Cæsar, quem significat: substantia ignis non est illa perfectio lucis, quam significat: Deus autem nec dicit ullam connexionem ad creaturas, nec in istis aliqua est perfectio, quæ non sit in Deo, Deus ergo non est signum creaturarum. Patet ergo, signum *formaliter* consistere in relatione transcendentali, non prædicamentali, quamvis hæc consequi ad illam possit. Vide S. Thomam *1. p. q. 13. a. 7. ad 1.* Causas verò esse signa suorum effectuum & è contrà, docet & videri potest S. Thomas *1. p. q. 12. a. 2.* & *3. p. q. 12. a. 3.* & *1. contra Gent. c. 29.* Sic nubes gravidæ nigræque signa sunt & causa pluviæ: cometa signum & causa calamitatum: Sacramenta signa & causa gratiæ. Magis tamen effectus dicitur signum causæ, quia effectus nobis magis noti, & consequenter magis manifestativi.

Tota ergo ratio signi in hoc consistit, quòd signum habeat connexionem cum re significata; *quòd* dicat similitudinem vel *formalem vel virtualem* ad significatum; *quòd eam* potentiæ cognoscitivæ manifester; *quòd* signum se teneat ex parte objecti, ejúsque vices suppleat: Unde licèt species impressæ & intellectus concurrant ad cognitionem objecti, solæ tamen species & non intellectus sunt signa objecti, quia species se tenent ex parte objecti repræsentati, hoc uniendo & proportionando potentiæ. Vide S. Thom. *1. p. q. 12. a. 2. Quòd* sit *notius* significato *quoad nos*: *quòd* sit inferius seu imperfectius significato, & consequenter non omnino simile, & ideo una imago non est signum alterius, nec ovum ovi, nec

filius patris, &c. quamvis ergo unum ſimile ſemper ad aliud re feratur, non ſemper tamen unum eſt ſignum alterius.

Sic etiam aliud eſt *imago*, aliud *ſignum*; imago enim procedit ab alio, & quidem in ſimilitudinem ejus (Vide S. Thom. *1. p q. 35.* & *q. 39.*) & poteſt tanta eſſe ſimilitudo, ut procedat uſque ad identitatem naturæ, quo modo in Divinis Filius eſt imago Patris: ſignum verò nec procedit neceſſariò, nec dicit ſimilitudinem ſpecificam, ſed tantùm connexionem cum ſignificato.

IV. *Quæritur 3.* Quodnam ſit officium primarium Signi?

Reſp. Significare *formaliter* non eſt aliquid *efficere*, ſed tantùm aliquid *repræſentare*, v. g. hedera ſignificat vinum vendibile, non verò ſignificaret, niſi ipſa videretur & cognoſceretur, ut verò videatur, & cognoſcatur, emittit efficítque ſpecies cognoſcibiles, & per ſpecies concurrit ad productionem viſionis & cognitionis, verùm hæc ſpecierum emiſſio & influxus effectivus in cognitionem *per accidens* ſe habet ad rationem ſigni, & ideo ſi hedera nec ſui ſpecies emitteret, nec effectivè concurreret ad cognitionem, ſed tantùm repræſentaret vinum, adhuc ſignum eſſet.

Ratio eſt. Signum eſt vicarium objecti, ſed objectum non efficit neceſſariò aliquid, ſed tantùm terminat actum cognitionis, *tum* quia eſſe cognoſcibile non eſt agere, ſed objectum ut ſic nihil aliud dicit, quàm eſſe cognoſcibile: ergo, &c. *tum* quia Angeli cognoſcunt objecta per ſpecies infuſas, ergo in hoc caſu objecta cognoſcuntur, & tamen nihil agunt: *tum* quia objectum ſe habet ut forma extrinſeca, ſpecificat enim actum, eúmque ad certam ſpeciem determinat, nec permittit aliò ferri: forma verò ut forma non agit, aut ſi agit, non ut forma.

V. *Quæritur 4.* Utrum Bruta utantur Signis?

Reſp. Bruta utuntur ſignis, non quidem conferendo, vel comparando ſignum cum ſignato (hoc enim eſt diſcurrere) ſed ſimpliciter ex cognitione unius deveniendo in cognitionem alterius, v. g. ovis audito lupi ululatu in fugam vertitur, quia vox & ululatus lupi aure acceptus ovem excitat, ejúſque potentiam æſtimativam ad lupum apprehendendum tamquam animal ſibi nocivum & inimicum.

Ratio

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *1. 2. q. 40. a. 3.* & *l. 3. contra Gent. c. 49. & q. 8. a. 5.* & *q. 9. a. 4. ad 10.* & *q. 24. a. 2. ad 7. de Verit.*

2. Significare nihil aliud est, quàm *deducere in cognitionem alterius*: sed ululatus v. g. lupi ab ove auditus eamdem ovem deducit in cognitionem lupi, cur enim aliàs fugit? & cur potiùs ululatu, quàm cantu pastoris, aut latratu canum perterretur?

3. Experientia docet, bruta æquè ac homines signis moveri: sibilo basilisci omnes circùm serpentes in fugam aguntur: columbæ dum lavantur, umbrâ accipitris in fonte relucentis volatu se proripiunt: tigrides imagine sui in speculo refulgente detinentur, venatore interim cum catulis evadente: canes heros suos & feras odore agnoscunt: leo non aspectu tantùm, sed cantu etiam Galli terretur: hîc planè manifestum est, bruta unum ex alio agnoscere, quod omnino est uti signis.

4. Bruta sunt modici & imperfecti discursûs capacia, ut alibi dicetur: atqui ut ex signo significatum aliquis intelligat, sufficit imperfectus discursus, quis enim est tam rudi, segnique intellectu, qui viso fumo non cognoscat ignem illic esse? audito cantu non intelligat cantantem lætari?

VI. *Quæritur 5.* Utrum sensus externus utatur Signis?

Resp. Sensus externus non videtur uti signis. *Ratio est 1.* Quia species sensibiles repræsentant tantùm objectum, cujus sunt species, non verò alia cum objecto connexa, ergo species sensibiles non sunt aptæ ut significent, significare enim est unum & aliud, quod connexum est, repræsentare.

Antecedens probatur. Species enim fumi non repræsentant oculo nec faciunt ignem videri, ut patet; si ergo ignis in fumo non videtur, quomodo per fumum oculo repræsentatur cognoscendus? nihil enim oculus cognoscit, nisi videndo.

Secùs est in æstimativa brutorum, quæ cùm sit imperfectè discursiva, ex cognitione unius ducitur in cognitionem alterius, quam rationem tangit S. Thomas *2. 2. q. 110. a. 1.* & *q. 9. de verit.*

Deinde species sensibiles in bruto elevantur per sensum internum ad altiorem & perfectiorem gradum, & ideo etiam u-

niverſaliorem manifeſtativi, quod in ſenſu externo non eſt.

Ratio 2. Imago Cæſaris eſt ſignum Cæſaris abſentis, aut etiam mortui, ſed oculus non fertur in abſentia, multò minùs in non exiſtentia, ergo non fertur ex ſigno in ſignificatum.

Dices 1. Cæſarem oculo præſentem eſſe, non quidem in eſſe reali, ſed in eſſe ſignificato, aut picto.

Contrà, petis principium: *nego enim* rem ſignificatam per ſignum in ſenſum cadere; *deinde* res per imaginem Cæſaris ſignificata non eſt eſſe pictum, ſed eſſe reale; pictura enim eſt ſignum, non res ſignificata, nec imago picta eſt ſignum Cæſaris picti (aliàs eſſet ſui ſignum) ſed Cæſaris veri.

Dices 2. S. Thomas *q.* 8 *de Verit. a.* 5. dicit, viſum aſſimilari dupliciter Socrati, & cùm Socratem videt, & cùm ejus imaginem videt, & Herculem in ſtatua Herculis ab oculo videri.

℟. Verum eſt, quòd oculus & Socratem videre poſſit, & imaginem Socratis, ſed cùm videt imaginem, *nego* præter hanc aliquid aliud videre: videt Herculem in ſtatua, quia videt ſtatuam, quæ non Socrati, non Ariſtoteli, ſed Herculi ſimilis eſt.

VII. *Quæritur* 6. Utrum ſignum formale ſit propriè dictum ſignum?

Reſp. Signum formale, hoc eſt, cognitiones & conceptus objectorum repræſentativi ſunt vera & propriè dicta ſigna. S. Thomas *q.* 4. *de verit. a.* 1. *ad* 7. & *q* 9. *de verit. a.* 4. *ad* 4.

Ratio eſt, quia cognitio & objectum repræſentat, & ejus vices agit, cùm ſit imago; & eſt imperfectior objecto ut ſic, cùm ejus perfectiones tantùm *intentionaliter* habeat, non *realiter* (& ideo in Divinis Verbum Patris eſt imago, non ſignum Patris. S. Thom. 1. *p. q* 27. *a.* 1. quia ejusdem naturæ & perfectionis, nec magis notus quàm Pater) & eſt notior objecto, cùm reddat objectum *formaliter* cognitum. Cognitioni ergo ſuppetunt omnes notæ veri ſigni. Illud tamen verum eſt, ſigna externa & ſenſibilia *quoad nos* magis dici ſigna, quia omnis noſtra cognitio ab externis incipit, quæ ſub ſenſum cadunt,

&

& à sensibus velut per totidem ostia intellectum subeunt, & ita intelligendus est S. Thomas *3. p. q. 60. a. 4. ad 1.* & *q. 9. de verit. a. 4. ad 4.*

VIII. *Quæritur 7.* An signum ex consuetudine sit propriè dictum signum?

Resp. Signum ex consuetudine est verum signum: sed aliquando est signum *ad placitum*, aliquando *naturale*. Ad placitum, si consuetudo illa sit placito & approbatione totius Reipubl. acceptata, ut videlicet res aliqua aliud significet; talis enim consuetudo vim habet legis. Sic corolla floribus intexta puellarum capitibus imposita signum est virginitatis ex consuetudine apud Helvetos recepta. Aliquando erit signum naturale. Sic præcursio canis significat Dominum secuturum, quia hæc præcursio & adhæsio est naturalis cani, qui naturaliter herum amat & comitatur.

IX. *Quæritur 8.* Utrum voces significent res, vel conceptus?

Resp. 1. Voces ut sunt signa ad placitum, non tantùm conceptum loquentis, sed etiam rem ipsam significant, v. g. cùm dico: *Phœnix vivit trecentis annis*, non solùm significo me ita sentire de Phœnice, sed etiam rem ita se habere.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 13. a. 1.*

Ratio 2. Genes 2. Adam imponit nomina omnibus animalibus: *Gen. 17. & 32.* Deus Abræ imponit nomen Abrahæ, Jacobo nomen Israëlis, & *Joan. 1.* Cephæ imponitur nomen Petri. Si ergo nomina rebus imponuntur, non solis conceptibus, ergo nomina res significant, & non solos conceptus; cùm enim nomina significent ex impositione & institutione, id significant, cui imponuntur, & ad quod instituuntur.

3. Hæc propositio *Homo est animal rationale*, si solum conceptum significat non rem ipsam, hunc sensum habebit: *conceptus hominis est conceptus animalis* (dicis enim has voces, *homo*, *animal*, *rationale*, *est*, cadere supra meros conceptus) quod tamen est apertè falsum, & ita omnes æquè propositiones falsæ redduntur.

 3. Vo-

4. Voces id significant, quod communiter omnes audientes percipiunt (signa enim dantur, ut intelligamus, non ut ignoremus) sed qui audiunt has voces, *Tigrides cantu efferantur*, non percipiunt, nec cogitant, me ita sentire, sed rem ita esse; quidsi enim aliter sentiam? an ideo voces aliter significabunt? Siquis mentiens dicat, *Papa est mortuus*, licèt non sit mortuus, certum est, eam propositionem significare mortem Papæ, quamvis loquens sciat, & cogitet non esse mortuum, & voces avium perfectè significant, nec tamen habent aves conceptus, qui vocibus respondeant. Cardinalis Ascanius in ædibus Romæ psittacum habuit totum Symbolum Apostolicum recitare doctum; hæ igitur voces à psittaco prolatæ, *Tertiâ die resurrexit à mortuis*, utique signa erant, nec tamen conceptum aliquem psittaci significabant.

Dices, voces avium non esse signa, quia non intelligunt, & ita non significant conceptum loquentis.

℞. Peti principium, nego enim voces solis conceptibus significandis institutas, nec opus est significationem signi ab eo intelligi, qui signum dat: fumus est signum ignis, abscessus & migratio ciconiarum est signum ingruentium morborum, & tamen nec ignis fumi significationem, nec ciconia morborum intelligit, sufficit intelligere, quibus signum datur.

5. Si voces tantùm significant conceptum loquentis, non rem ipsam, ergo qui conceptum loquentis non intelligit, nec vocis significationem, ergo si rusticus Latinæ ignarus dicat *Petrij*, tu qui Latinam intelligis, nescies quid dicat, nec significationem illius vocis capies.

X. *Resp.* 2. Voces præter rem significant etiam conceptum loquentis. Expressè S. Thomas *1. p. q. 84. a. 2. & 85. a. 5. & in c. 1. Periherm.* nec dubitari potest esse Aristotelis sententiam, qui sæpè tanquam axioma illud statuit repetitque, *Voces esse signa, & notas earum, quæ in anima sunt passionum.* Et S. Aug. *l. 15. de Trinit. Verbum quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Nyssen. *de homin. creat. c. 9. Humana mens sonis intelligentiæ suæ occulta manifestat.* Damasc. *l. 1. fidei. c. 17. Vox est Angelus, hoc est, internuntia intelligentiæ.*

Pho-

Photinus *de Virtute c. 3. Vox interpres est animi.* Philo *in L. quod deter. potior. Vox est Frater, & Propheta ac interpres mentis.* Vide illum eleganter. S. Aug. *serm. 2. de Nativ. S. Joann. Bapt. vox est vehiculum mentis & verbi interni.*

Ratio est 1. Quia natura voces dedit, ut latentes in animo conceptus alijs aperirent, & ideo Angeli vocibus non utuntur, quia sine istis sibi suas cogitationes exhibere possunt.

2. Tota & intrinseca mendacij culpa & malitia in eo est, quòd pervertat finem naturalem verborum, qui est significare alijs, quæ nos sentimus, & ideo qui mentitur, alium decipit, & turbat naturæ fines, mutuámque societatem, ac commercium tollit. Vide S. Thomam *2. 2. q. 110. a. 3.* Si ergo natura voces hominibus dedit, quibus res signarentur non ut absolutè sunt (id enim in nostra potestate non est, qui tam multa ignoramus (sed ut in nostro animo & intellectu sunt, & in hoc communis societas, & commercium stat (in commercium enim cadunt, quæ in nostra sunt potestate) ergo voces non significant res solas, sed ut conceptas.

3. Negari non potest, voces esse imagines rerum; sicut ergo qui Cæsaris imaginem pingit, non pingit Cæsarem ut est, sed ut in mente & idea Pictoris est, & ideo una pictura est melior, aut peior alterâ; & imago non solùm Cæsarem repræsentat, sed etiam ideam, artémque Pictoris; sic in verbis.

4. Duo sunt, quæ hominum respublica vocibus institutis consequi voluit.

Primò mutuam societatem & commercium, adeò ut sine vocum commercio nulla sit ferè societas, & tristissima vita; & notavit S. Augustinus, homini jucundius accidere, cum cane suo vivere, quàm cum homine, cui colloqui non possit: hunc finem assequimur per communicationem mutuam nostrarum cogitationum, nam, ut dixi, commercium & societas est de rebus, quæ in nostra potestate sunt.

Secundò Ut rerum notitia vocibus compararetur, si enim Plinio v. g. aut Livio voces externæ, & characteres defuissent, quis ab illis rerum naturalium & Romanarum historiam didicisset?

Ad hunc finem consequendum oportuit res ipsas vocibus significari. Voces ergo utrumque significant, & rem & conceptum, sed utrum ex duobus principaliùs, aut immediatiùs, res parvi momenti est. Volunt alij conceptum significari tantùm ut conditionem, alij remotè, alij proximè, alij naturaliter tantùm, & non ex instituto, alij conceptum & rem æqualiter. Objectiones leves sunt, & quæ facilè ex dictis solvuntur.

XI. Ex dictis *colliges*: Voces prout sunt ad communem humani generis societatem institutæ, involvere *pactum*, aut *quasi pactum*, de vocibus non in alia significatione usurpandis, quàm quæ conceptui respondet, v. g. qui alteri seriò dicit, *Petrus ægrotat*, tenetur ex communi quodam pacto sentire, quòd Petrus ægrotet; aut si sentit non ægrotare, non potest dicere, *ægrotat.*

Ratio est 1. Qui seriò loquitur, vult sibi credi, ergo vult se pro veraci haberi (non veraci enim credi non potest) ergo vult dicere, quod in animo sentit, nam si dicat quod non sentit, non est verax, sed mendax.

2. Voces sunt institutæ ad conservandam humanam societatem, ergo non ad decipiendum: atqui aliter sentire, & aliter loqui, est eum quocum loqueris, quantùm in te est, decipere.

Ex hoc jam apparet, cur mendacium intrinsecè malum; quia videlicet pervertit finem naturalem vocum, quia pugnat cum communi pacto & societate generis humani, & ideo ob nullum privatum bonum licere potest, cùm privatum bonum publico cedat: & bonum societatis exigit, ut nullo casu liceat, si enim aliquo liceret, nemo jam non aliquam sibi privati & publici boni causam persuaderet mentiendi, eversâ humanâ societate, & mendacijs exundantibus. Sicut ob eandem periculi rationem non permittuntur venena vendi, aut arma noctu gestari, quamvis justæ causæ deesse aliàs non possint.

XII. *Quæritur 9.* An Voces naturaliter significent?

Resp. Voces non significant naturaliter res significatas; Fumus v. g. naturaliter significat ignem, sed vox solis non significat naturaliter solem.

Ra-

Ratio est, quæ naturalia ſunt, ubique & ſemper ſunt talia; nec variantur arbitrio hominum, habéntque naturalem connexionem cum eo, cui naturalia ſunt, nec ſunt indifferentia ad duo oppoſita, quæ omnia vocibus competunt, ſi præſcindas ab humana inſtitutione. Quodſi vox ſolis naturaliter ſolem ſignificat, ſicut naturaliter pictura aut ſtatua ſolis, quam rogo habet illa vox proportionem, aut ſimilitudinem naturalem cum ſole?

Poſſent tamen aliquæ voces dici ſigna rerum naturalia, *aut* quia imitantur ſonum naturalem, v. g. mugitus, taratantara, aut quia voces homini datæ â natura ſunt, ut ſuos conceptus exprimant; *aut* quia ſignificant voluntatem eos proferendi, ſunt enim effectus voluntarij, quia nemo loquitur, niſi volens: *aut* quia *ex abundantia cordis os loquitur*, & ita verba amatoria amantem, vana ſuperbum animum indicant; ut enim avis ex cantu, ita animus ex verbis proditur: *aut denique* quia hominem etiam in tenebris ex voce diſtinguimus.

Obijcitur 1. Dedit natura voces animantibus, quibus ſuos affectus indicarent, cur non homini, qui omnium maximè eſt animal ſociabile? *Serpentibus*, inquit Plinius *l. 11. c. 51. ova parientibus ſibilus, & ſerpenti quidem longus, teſtudini abruptus: avibus alijs in pugna vox, ut coturnicibus, alijs ante pugnam, ut perdicibus, alijs cùm vicere, ut gallinaceis.* Nierenbergius ſcribit, fuiſſe qui dicerent ſerpentem ſuâ linguâ cum Eua collocutum, ab eáque omnium linguarum periciſſima intellectum. Porphyrius cenſuit omnia inter ſe bruta ſermocinari. Apollonius Thianæus Epheſi paſſerum ſermonem interpretatus eſt, idémque in Sicilia fecit quidam ex S. Franciſci familia vir religioſus teſte P. Bonaventurâ Barone *de ſignis act. 3. n. 1.* Salomonem quoque animalium ſermones calluiſſe Hebræorum ſententia eſt.

℞. 1. Homini rationem pro natura eſſe, & ideo quod animalibus à natura provenit, v. g. natare, texere, veſtiri, canere, mederi, tempeſtates prænoſcere, &c. hoc homini à ratione eſt, quam cùm ei natura dedit, longè plus, & univerſaliùs, ac perfectiùs, quàm brutis dedit; non ergo ſequitur, voces animalium naturaliter ſignificant, ergo & hominum.

℞. 2. Passiones & affectus brutorum ordinantur solùm ad conservationem sui esse, idque paucissimis medijs & simplicissimis: affectus verò hominis, ejúsque conceptus cùm habeant pro objectis Verum & Bonum universale, & ad hæc pro arbitrio suo & voluntate diversissimis medijs & maximè contingentibus ferantur, ideo etiam sunt penè infinitæ, & vocibus penè infinitis indigent, quæ proinde natura liberæ electioni & institutioni hominum reliquit.

℞. 3. Quæ de Apollonio Thianæo & sermocinatione brutorum dicuntur, aut fabulæ sunt, aut magia, aut superstitio: serpentis voces, quibus cum Eva locutus est, humanæ fuerunt, Dæmone illas efformante, qui serpentem intraverat. Nec Evam latuit has voces serpentis non esse, sed alterius & supernaturalis virtutis, sed nesciebat se illis peti, hinc incauta audit, credit, decipitur.

Objicitur 2. Attis Crœsi filius à nativitate mutus erat, & consequenter etiam surdus, & tamen milite in patrem stricto gladio irruente clamavit: *Miles ne occide Crœsum*: quis surdum has voces docuit, quas nunquam audierat, nunquam didicerat, nisi natura? nam teste Aristotele ne ipsæ quidem aves modulatè canere possunt, nisi inter alias alantur, quarum voces, cantúmque audiant. Narrat etiam Herodotus *lib. 1.* jussu Psammitichi Ægyptiorum Regis duos pueros inter belluas biennium educatos fuisse, nullámque humanam vocem toto eo tempore audîsse, postea homine viso *beccus beccus* exclamâsse, quod apud Phryges panem significat; natura ergo eas voces pueros docuit.

℞. 1. Ab effectibus rarissimis, & prodigiosis, imò & incertis malè ducitur argumentum. Equus Seianus arduâ cervice, puniceo colore, comantibus jubis omnes dominos, ad quos transibat, infelices reddebat; nemo illum emit, qui non miserè perierit Vide Gell. *Noct. Att l. 3. c. 9.* quis propterea inferat, omnes equos punicei coloris naturaliter fatales esse?

℞. 2. Attim mutum fuisse, non tamen surdum: muti plerumque surdi sunt, quia nervi qui auditui & loquelæ inserviunt, in unum truncum coëunt, ubi si vitium sit, & auditus, & locutio impediuntur; si vitium sit in lingua, potest quis

mutus

mutus esse, nec surdus. Surdus tamen à nativitate semper etiam est mutus, quia nescit formare voces, quæ solo auditu discuntur. De pueris inter belluas educatis quidquid sit, illud tantùm probatur, eam solam vocem *beccus* naturalem esse.

Objicitur 3. Si voces significant non naturaliter, sed ex instituto, quid est hoc institutum, & quomodo reddit voces significativas?

℞. Institutionem esse denominationem moralem, cujus fundamentum est communis hominum voluntas, & perseverans acceptatio, per quam voluerunt hâc voce hanc rem significari; ut enim voluntas Principis huic monetæ dat hunc, non alium valorem, ita etiam communis hominum voluntas huic voci dat hanc, non aliam significationem.

XIII. *Quæritur 10.* An voces perfectiùs rem audienti significent, quàm loquens intelligat?

Resp. Dubitari vix potest, quin vox aliqua perfectiùs rem audienti significet, quàm sit loquenti nota. Si rusticus dicat: *homo audit*, perfectiorem conceptum de homine & auditu format Philosophus audiens, quàm rusticus loquens. Qui Romam nunquam vidit, si illi qui vidit, diúque Romam habitavit, dicat: *Roma est pulchra civitas*; audiens utique perfectiorem format de Romanæ civitatis pulchritudine, amænitate, amplitudine, palatijs, hortis, &c. conceptum, quàm loquens, qui Romam non vidit: &

Ratio est, quia conceptus Romanæ civitatis v.g. non pendet à sola voce Romam significante (vox enim corticem tantùm tangit desígnátque, nec aliter Romam significat, quàm sub illa communi, & omnibus notissima ratione, quam de Roma vulgus habet) sed à perfectione intellectûs in audiente, & à speciebus quas jam comparavit de Romana urbe, quæ species eâ voce excitantur, & excitatæ conceptum aut perfectiorem aut imperfectiorem in animo pariunt; sicut ergo non omnes perfectionem & artificium imaginis capiunt, æstimántque, sed illi maximè, qui artem pingendi callent, ita non omnes æqualiter significationes vocum.

Nota ergo, quòd hæc vox *leo* v. g. non ſignificet *aquilam*; quia ſignificat ex inſtituto & voluntate, non verò eſt inſtituta, ut aquilam ſignificet: poſtquam tamen ea vox vim ſignificandi accepit, poterit perfectiùs leonem ſignificare audienti aut legenti, quàm ſignificaverit inſtitutori & auctori, quia poteſt conjungi cum perfectioribus ſpeciebus & intellectu, & ita ex conjunctione cum cauſis perfectioribus perfectiorem effectum, & notitiam producet; ſicut ſol in ſigno caniculæ perfectiùs calefacit, quàm in ſigno Aquarij; ille tamen exceſſus perfectionis & majoris notitiæ non tam voci ſignificativæ *ut ſic*, quàm intellectui, aut ſpeciebus intelligentis adſcribetur.

Advertit etiam Caramuel, voces & alia ſigna, cùm ad ſignificandum aſſumuntur, *tranſubſtantiari* in rem ſignificatam *moraliter & intentionaliter*, & hinc eſſe ut voci, aut imagini JESUS, reverentia & cultus latriæ adhibeantur, non verò aſino, nec cruci, quæ nummis imprimitur, quia hæc non aſſumuntur ad ſignificandum, nec moraliter in Chriſtum tranſubſtantiantur.

XIV. Quæritur *II.* Utrum ad hoc, ut loqui dicamur, requiratur audientem intelligere ſignificationem verborum, quibus loquimur?

Reſp. Negativè. Unde ſiquis Germanus per Italiam proficiſcens Germanicè cum Italis loquatur, nec iſti intelligant, loqui tamen dicitur.

Ratio eſt I. Chriſtus imperat ventis, maledicit ficui, mortuum alloquitur, & tamen nec venti, nec ficus, nec mortuus loquentem intelligunt.

2. Qui infantem Latinè baptizat, aut ruſticum peccatorem Latinè abſolvit, utique loquitur, nec tamen intelligitur. *Si dicas*, non propriè loqui. *Quæro* quam ob cauſam? quia non intelligitur? at hîc principium petitur, nego enim neceſſarium eſſe, ut quis loquentem intelligat; ſicut enim videre poſſum, etſi non videar, ita & loqui, etſi non intelligar. Pſittaci & alia bruta propriè non loquuntur, quia loqui involvit dignitatem naturæ.

Siquis Latinè loquatur nec intelligat, adhuc ea verba ſunt ſignificativa *in actu primo*, imò & *in actu ſecundo*, ſi audiens intelligat, *tum* quia ſignificatio vocum non dependet à volun-

tate

tate loquentis, sed instituentis; *tum* quia excitant species rerum, quod est significare: *tum* quia Apelles imaginem Dianæ dormiens pinxit, & natura in Achate Pyrrhi Apollinis imaginem, & novem Musarum ac Parnassi ad vivum sculpsit, an ideo imago Apollinis non erat, quia natura quod sculpserat ignorabat? & si imago Apollinis non erat, quî ergo omnibus eam spectantibus Apollinem exhibebat? aut quid minus, quàm imagines aliæ à peritis ductæ habebat? sicut ergo ignis nesciens calefacit, & sol nesciens illuminat, ita & rusticus & fæmina, latini sermonis nescia, & loqui aliquid latinè, & significare, ac orare potest.



§. II.

DE PROPOSITIONE.

Summaria.

1. *Duplex Propositionis definitio ab Aristotele tradita.*
2. *Veritas Propositionis realiter identificatur cum veritate actûs, sive judicij.*
3. *Propositio in materia necessaria de vera in falsam transire non potest.*
4. *Sed quid si versetur circa materiam contingentem?*
5. *Idem actus & verus & falsus esse potest, si supponas objectum* virtualiter *multiplex.*

6. *Indivisibile dividit, qui veritati propositionis* magis & minus *adscribit.*
7. *Etsi prima mentis apprehensio veritatem admittat,*
8. *Excludit tamen, si sit incomplexa, propriè dictam falsitatem.*
9. *Propositio mentalis est una simplex qualitas unitate physicâ, non ordinis duntaxat.*
10. *Divisio propositionis in categoricam, hypotheticam, &c. est univoca.*
11. *Sicut & illa, quâ dividitur in affirmativam & negativam.*





Uppono ex Summulis, quid sit *Verbum*, *Nomen*, *Oratio*, & transeo ad Propositionem.

I. *Quæritur 1.* Quid sit Propositio?

Resp. Propositio dupliciter ab Aristotele definitur, 1. *Propositio est Oratio perfecta aliquid affirmans, aut negans.* 2. *Propositio est Oratio verum, vel falsum significans.* Aliquid affirmare vel negare pertinet ad essentiam, & quidditatem propositionis: quamvis enim etiam simplex Apprehensio circa objectum complexum, & enuntiativum versari possit, v.g. *astra sunt paria*, judicare tamen & assentiri huic veritati, & determinatè illam asserere pertinet ad judicium, non apprehensiotnem; & quamvis omne judicium sit verum aut falsum, non amen sequitur, veritatem, aut falsitatem esse essentiam propo-

positionis; nam & corpus necessariò est in aliquo loco, & nix est necessariò alba vel non alba, nec tamen esse in loco est essentia corporis, &c. sic & propositio *ut sic* nec est vera nec falsa, nec ideo tamen veritas, aut falsitas illius essentia est. Ut ergo intelligamus essentiam propositionis, inquirendum est de ejus veritate.

II. *Quæritur 2.* In quo consistat veritas Propositionis?

Resp. Veritas propositionis, aut judicij non addit aliquid distinctum realiter ipsi actui vero, sed est ipsamet entitas actûs, connotans tamen objectum ita se habere, ut per actum repræsentatur.

Ratio est: Propositio est cognitio judicativa, & consequenter essentialiter repræsentativa objecti: sed adhuc per solam repræsentationem non potest dici vera (potest enim ea repræsentatio falsa esse & dissimilis objecto, hoc est, plus dicere, aut minus, quàm in objecto est: sicut imago, quæ equum cum cornibus repræsentaret, falsa esset) ergo debet aliquid addi, videlicet repræsentare objectum sicuti est, sive objecto similem esse, similitudo autem duo dicit, & fundamentum, & terminum.

Hæc tamen similitudo judicij non est relatio prædicamentalis, *tum* quia non est ad objectum ut purum terminum, sed ut imago & expressio termini, per quam cognitio *intentionaliter & virtualiter*, in objectum transformatur. *Tum* quia judicium est de rebus & objectis etiam non existentibus.

Objicitur 1. Actus verus ex natura sua perfectior est falso, & non tantùm ex objecto; ergo ex sua natura, & non ex objecto est verus aut falsus.

℞. Actum verum ideo esse perfectiorem falso, quia intellectum objecto assimilat, & facit cognoscere, ut est; hæc verò est magna perfectio, nam qui rem aliter, quàm est, cognoscit, dicitur errâsse, deceptus fuisse, ignorâsse, quæ omnes sunt magnæ imperfectiones: cognoscere verò aliquid, ut est, dicit utique connotationem, & concomitantiam objecti.

Objicitur 2. Hæc propositio: *Petrus cras peccabit*; est determinatè vera, aut falsa, ergo habet determinatam veritatem, aut

aut falsitatem; sed non habet ab objecto (hoc enim non est) ergo à se, & intrinsecùs sine respectu ad objectum.

℞. Ad veritatem sufficere, ut objectum sit pro eo tempore, quod propositione explicatur, hoc est, in propositionibus de futuro pro tempore futuro, & multæ res denominantur à non existentibus, v. g. domus antiqua, Petrus prior Antichristo, hora prima secundâ &c. maximè cùm objecta futura jam sint in mensura Æternitatis.

Objicitur 3. Saltem propositiones in materia necessaria erunt intrinsecè veræ, sine respectu ad objectum verum, v. g. *Petrus est animal.*

℞. *Negando consequentiam*, habent enim veritatem necessariam, quia objecta sunt necessaria. In actibus divinis eorum veritas de objectis creatis semper quidem conjungitur cum veritate objecti creati, sed tamen ut causa & exemplar veritatis creatæ: secùs in nobis, nec enim verum judicium & cognitio est causa, ut sol verè luceat.

III. *Quæritur 3.* Utrum eadem Propositio possit transire de vera in falsam, aut econtrà?

Resp. 1. Actus intellectûs, & propositiones, quæ versantur circa materiam *necessariam*, v. g. circa essentias rerum, &c. mutari non possunt de veris in falsas.

Ratio est, quia veritas formalis propositionis est ipsa propositio, ut connotans objectum; si ergo mutatur de vera in falsam, aut ipsa propositio mutari debet, & tunc non erit eadem, sed alia; aut objectum, at hoc, ut supponimus, est necessarium, nec mutari potest.

Potest quidem, qui priùs judicaverat Deum v. g. existere, postea Atheus fieri, & judicare Deum non existere, sed tunc prius illud judicium non durat, & in falsum mutatur, sed penitus obliteratur, & falsum vero succedit; nec enim propositio est instar speculi, quod immutatum alias & alias facies recipit, exhibétque; aut instar ceræ, quæ una eadémque in alias, & alias figuras effingitur, sed instar verbi (imò est ipsum verbum internum, quo anima secum, & cum alijs loquitur, & exemplar verbi vocalis) non potest autem idem verbum (vel potiùs

potiùs eadem locutio immutata) jam verum jam falsum esse, præsertim objecto immutato: hæc enim propositio vocalis: *Petrus currit*, semper vera est, quamdiu currit, & si semper currat, semper est vera.

IV. *Resp. 2.* Probabilius est, posse eamdem, & immutatam propositionem in materia contingente transire de vera in falsam, ut quæ semel est vera, non semper sit vera, quæ semel falsa, non semper falsa. Expressè S. Thomas *1. p. q. 14. a. 15. ad 3.* & Aristoteles *c. de Subst.*

Ratio est 1. Quia veritas formalis ita est intrinseca propositioni, ut tamen dicat concomitantiam & connotationem objecti: atqui hoc est commune hujusmodi perfectionibus connotantibus, ut mutato connotato, & ipsæ alias, & alias denominationes accipiant sine intrinseca mutatione, v. g. idem paries albus jam est alteri similis jam dissimilis, solâ mutatione factâ in connotato; ergo etiam eadem propositio immutata poterit esse similis objecto, hoc est, vera, aut dissimilis, hoc est, falsa, objecto tantùm variato.

2. Hæc propositio *Petrus currit*, vel *Papa vivit*, hæc tria dicit, & repræsentat, *Petrum*, *cursum*, *unionem cursûs cum Petro*; continuetur ergo uno quadrante, & Petrus primo medio quadrante currat, erit vera: altero medio quadrante non currat, erit falsa, & tamen erit eadem, quia idem secundo quadrante repræsentat, quod primo, *Petrum* videlicet, *cursum*, *& unionem cursûs cum Petro*; ab ijsdem etiam speciebus impressis conservatur, quibus producta fuerat, videlicet ab objecto, quod erat *Petrus currens*: nam ab alio objecto *Petrus non currens*, ejúsque speciebus utique non dependet, ista enim non pariunt notitiam Petri currentis.

Dices: Illa propositio: *Petrus currit*: repræsentat cursum Petri non pro quocunque tempore, sed pro primo medio quadrante; atqui semper est, fuit, eritq; verum, Petrum primo medio quadrante currere vel cucurrisse.

Contrà. Non est dubium, quin si illa propositio, *Petrus currit*, repræsentabat Petrum, cum illo determinato tempore semper sit vera, nunquam falsa, quia semper est verum, Petrum

primo ſemiquadrante cucurriſſe. Sed pono caſum, ut non repræſentetur Petri curſus cum determinato tempore, loco, colore, hoc utique fieri poteſt, & ſicut propoſitio vocalis, ita mentalis abſtrahere ab ijs circumſtantijs poteſt, imò nec imago picta aut ſculpta repræſentat omnia, quæ in re ſunt; hoc, inquam, caſu hæc propoſitio, *Petrus currit*, toto quadrante idem omnino objectum repræſentat, *curſum*, *Petrum*, & *unionem curſûs cum Petro*, ergo eſt eadem propoſitio, & tamen primo ſemiquadrante, quo Petrus currit, eſt vera, alio ſemiquadrante, quo non currit, eſt falſa.

Si tamen cognitio & propoſitio ſit intuitiva, non poterit tranſire de vera in falſam mutato objecto, quia cognitio intuitiva eſt de objecto præſenti, ut præſens eſt, ergo objecto mutato, & facto abſente, & ipſa intuitio ceſſat. Sic viſio coloris albi ſemper eſt vera coloris albi cognitio, quia objecto & colore mutato ceſſat viſio albi, quæ à ſpeciebus albi pendebat, & ſpecies albi ab ipſa albedine. *Idem dicas* de cognitione comprehenſiva, hæc enim omnes & minutiſſimas circumſtantias loci & temporis attingit, & ita mutatâ vel unâ circumſtantiâ jam mutatur repræſentatio, & conſequenter cognitio.

Objicitur 1. S. Thomas *1. p. q. 16. a. 8. ad 3.* ubi dicit, hanc propoſitionem, *Sortes ſedet*, eſſe veram & cùm ſedet & cùm non ſedet, & ita non tranſire in falſam mutato objecto quantùm ad conformitatem propoſitionis cum objecto, vocari autem & eſſe falſam, quia ſignificat opinionem falſam, ſignificat enim quòd concipiam, *Sortem ſedentem*, cùm tamen non ſedeat, ſed jam ſurrexerit.

℞. S. Thomam loqui de propoſitione, quæ non ſolùm dicit, *Petrus ſedet*, ſed quæ dicit, *Petrus de præſenti ſedet*, hoc eſt, in inſtanti *A*, & hæc ſemper eſt vera, ut ſupradictum; ſemper enim eſt verum, Petrum in inſtanti *A* ſediſſe: quodſi Petrus in inſtanti *B.* ſurgat, hæc propoſitio, *Petrus jam in inſtanti B. ſedet*, eſt falſa quidem, ſed non eſt eadem cum prima, habet enim aliud objectum, nam prima habet pro objecto ſeſſionem in *A*, quæ eſt; ſecunda habet pro objecto ſeſſionem in *B*, quæ non eſt, ut ſuppono.

Obj.

Objicitur 2. Nulla res mutate poteſt eſſentiam ſuam, nec enim albedo v. g. poteſt fieri nigredo, & tamen adhuc eſſe albedo: ſed eſſentia propoſitionis mentalis, cùm ſit cognitio, eſt objectum repræſentare, ergo eſſentia hujus cognitionis eſt repræſentare hoc objectum, non aliud (ſicut eſſentia hujus hominis eſt eſſe hoc animal rationale, non aliud) ergo ſi aliud objectum repræſentet, jam erit alia propoſitio (ſicut imago, quæ repræſentat aliud, quàm antè, non eſt eadem, ſed alterius rei imago) ſed propoſitio vera habet aliud objectum, quàm falſa, ergo propoſitio vera non poteſt eadem eſſe cum falſa.

Minor probatur: Demus *Petrum currere*, hæc propoſitio vera, *Petrus currit*, habet pro objecto curſum Petri: hæc verò propoſitio falſa, *Petrus non currit*, habet pro objecto negationem curſûs: atqui curſus & negatio curſûs ſunt objecta diſtinctiſſima, cùm ſibi contradictoriè, hoc eſt, maximè opponantur.

℞. Falſam & veram propoſitionem poſſe idem objectum exprimere; ſed falſa exprimet objectum quando non eſt, & ideo objecto non erit conformis: vera exprimet quando eſt, & erit conformis. Sic iſta propoſitio: *Petrus currit*: eſt vera, Petro currente, falſa non currente, & tamen idem objectum exprimit, curſum videlicet Petri; imò ideo eſt falſa, quia idem objectum exprimit quod vera; nam ſi diceret Petrum non currere, eſſet vera.

Objicitur 3. Petrus currat primo ſemiquadrante, & non curat ſecundo ſemiquadrante, hæc propoſitio: *Petrus currit*: vel dicit Petrum primo ſemiquadrante currere, & ita ſemper eſt vera, vel toto quadrante currere, & ita ſemper eſt falſa: vel indeterminatè aliquo tempore currere, & iterum ſemper eſt vera, ſemper enim verum eſt, etiam cùm Petrus non currit, aliquando cucurriſſe. Quodſi illa propoſitio dicat Petrum etiam poſt ſemiquadrantem currere, propoſitio eſt quidem falſa, ſed non eadem, quia mutat objectum, repræſentat enim curſum Petri pro ſecundo ſemiquadrante, cùm prima propoſitio repræſentaverit eumdem curſum pro primo ſemiquadrante tantùm;

non ergo poteſt oſtendi, quomodo eadem propoſitio tranſeat de vera in falſam.

℞. Ut ſuprà, in hac propoſitione : *Petrus currit* : nullum tempus ſignificari, poteſt enim curſus ut ab omni loco, ab omni ſubjecto, ita & ab omni tempore præſcindi, ſicut etiam in iſtis : *Petrus eſt animal* : & quamvis verbum in *actu exercito* tempus ſignificet (nec enim curri poteſt niſi in aliquo tempore) non tamen in *actu ſignato*, quia tempus eſt accidens, ſine quo res concipi poteſt, ſicut nec imago Cæſaris (eſt autem propoſitio imago intentionalis) exprimit tempus, quo Cæſar vixit.

℞. 2. Et meliùs, concedendo, quòd hæc propoſitio : *Petrus currit* : ſignificet tempus præſens, & inſtans *A* quo currit; ſicut enim idem eſt dicere : *Petrus ſcripſit* : & *Petrus aliquando ſcripſit*, ita idem eſt dicere : *Petrus currit* : & *Petrus nunc currit* : ſi ergo in inſtanti *B* non currat, falſa eſt propoſitio, quia difformis objecto, dicit enim curſum ſub tempore præſenti exiſtentem, cùm tamen nullus in præſenti exiſtat, & tamen eſt eadem, quia circumſtantia temporis eſt merè accidentalis, nec ejus adventu aut deceſſu mutatur unitas numerica propoſitionis & imaginis; ſicut ergo imago in ſpeculo relucens eadem eſt numero, etiamſi accidentaliter mutetur, & accidentalem aliquam qualitatem repræſentet, quam ante non repræſentabat, v. g. nævum à muſca prætervolante in facie relictum, ita, &c. Veritas ergo & falſitas in indiviſibili conſiſtit, ſed non repræſentatio, quæ relucet in propoſitione : Sic etiam circumſtantia temporis, & intentionis addit aliquid actui voluntatis v. g amoris, nec tamen numericè mutat : & ſimilitudo major aut minor addit aliquid albedini, nec tamen eam intrinſecè & numericè mutat; poteſt enim creſcere aut minui ſimilitudo ſolâ mutatione in termino factâ.

V. *Quæritur 4.* An idem actus poſſit ſimul eſſe verus, & falſus?

Reſp. Poteſt idem actus eſſe verus & falſus reſpectu diverſorum objectorum, ſi vid. ſit *virtualiter* multiplex, & in objecta feratur ut diſparata, & multa, v. g. hæc propoſitio : *Petrus currit : & Paulus, loquitur* eſt vera reſpectu Petri, ſi currat, falſa reſpe-

spectu Pauli, si non loquatur. Idem est in hac: *Sol lucet, & ignis friget.*

Ratio est 1. Hujusmodi propositiones sunt *virtualiter & æquivalenter* multæ, distinctaque, sed distinctio *virtualis* sufficit ad vitandam contradictionem, ut patet in divinis, & etiam in creatis.

2. Veritas est similitudo, & conformitas, ac æqualitas cum objecto, sed eadem res respectu diversorum potest esse similis, & dissimilis, æqualis, & inæqualis, v. g. eadem albedo *A*, est similis albedini *B*, dissimilis nigredini; eadem ulna palmaris est æqualis quantitati palmari, inæqualis bipalmari, &c.

VI. *Quæritur* 5. Utrum una Propositio possit esse verior alterâ?

Resp. Veritas propositionis consistit in indivisibili, & ideo una propositio non est verior alterâ, tam ergo hæc est vera: *Petrus fuit Romæ*, quàm hæc: *Nix est alba*, *Deus est æternus.*

Ratio est: Veritas consistit in hoc, ut objectum repræsentet sicuti est, ergo si vel minimum non repræsentet in objecto, vel minimum adjiciat, jam non repræsentat sicuti est, & veritas perit: sicut ergo non potest unum punctum esse majus altero, quia consistit in indivisibili, nec una linea esse rectior alterâ &c. ita &c.

Potest tamen una propositio esse certior alterâ, quia circa objectum magis necessarium, minúsque contingens; potest etiam una propositio esse verior alterâ in eo sensu, quòd possit plures veritates attingere, quàm alia. *Idem dicas* de propositione falsa; tam enim est falsa hæc propositio; *Apostoli sunt tantùm decem*, quàm hæc: *Apostoli sunt tantùm duo*; non enim ideo falsæ sunt hæ propositiones, quòd una dicat Apostolos esse decem, altera esse duos, sed ideo, quia utraque tollit numerum duodenarium, utraque enim æqualiter tollit, cùm utraque ponat propositionem contradictoriam numero duodenario. *Deinde* falsitas in eo est, quòd objectum non repræsentet sicuti est; utraque autem æquè non repræsentat numerum duodenarium, sicuti qui Florentiæ, & qui Ostiæ sunt, æquè non sunt Romæ, licèt unus alio magis distet Româ. Sic etiam major potest esse falsitas *extensiva & materia-*

terialis ſeu *radicalis* (quanto vid. quis magis à vero diſtat) non tamen major *formalis.*

Dices: Poteſt unus actus eſſe melior alio (v.g. actus amoris melior actu fidei) & unus peior alio (v. g. odium peius irâ, homicidium peius furto) ergo & una propoſitio verior alterâ, & una falſior alterâ.

℞. *Negando paritatem*: amor eſt melior ſpe, quia verſatur circa objectum melius, & modo meliori, poteſt enim unum objectum eſſe melius alio; quia poteſt habere plures rationes & motiva & illicia appetibilitatis; at verò una veritas non eſt aliâ verior; tam enim hæc vera: *Deus eſt æternus*, quàm hæc: *nix eſt alba*; quia utraque falſæ opponitur contradictoriè, hoc eſt, adeò opponitur, ut nec diviniti̇̀s opponi magis poſſit: tam enim hæ ſunt contradictoriæ: *nix eſt alba*, *nix non eſt alba*, quàm iſtæ, *Deus eſt æternus*, *Deus non eſt æternus*, & in neutra datur medium; utraque ergo illa propoſitio ideo æquè vera, quia æquè recedit à falſo, hoc eſt, contradictoriè. At verò actus ſpei v. g. non æquè recedit à malo ac actus charitatis, quia cum hoc non poteſt malum & peccatum conſiſtere, poteſt autem cum illo: nec contradictoria ſpei eſt ſemper mala (non enim ſemper eſt malum actu non ſperare) ſicut nec contradictoria charitatis, hoc eſt, actu non amare; at verò contradictoria veritatis ſemper eſt falſa. De origine falſi & difficultate aſſequendi veritatem vide Suar. *d.9. Metaph. ſect. 2. & 3.* Ariſtot. *l. 2. Metaph. c. 1.* & *l. 4. c. 5.* ubi etiam S. Thomas.

VII. *Quæritur 6.* Utrum in prima mentis apprehenſione detur veritas, & falſitas?

Reſp. 1. Etiam in ſimplicibus conceptibus, primâque mentis apprehenſione extra judicium, & propoſitionem datur aliqua veritas. Expreſsè S. Thom. *1.p. q. 16. a. 2.* & *1. contra Gent. c. 59.* & *9. Metaph. c. 7. Lect. 11.*

Ratio eſt 1. Etiam apprehenſio eſt cognitio, ergo eſt imago objecti: atqui imagines ſunt veræ, etiamſi nihil affirment, ſed tantùm ſimpliciter repræſentent.

2. Cognitio eſt ens, cujus totum eſſe conſiſtit in repræſen-

sentando, ergo cognitio est vera, & tota ejus veritas consistet in repræsentando, & hæc est *veritas formalis*.

3. Essentiæ rerum apprehendi possunt & verè definiri (hæc enim: *animal rationale*: est vera hominis definitio) sed vera definitio pertinet ad primam mentis operationem, non ad judicium; quando enim dico: *Homo est animal rationale*; homo non pertinet ad definitionem, sed est definitum, & propositio non definit, sed applicat definitionem definito per copulam *est*.

4. Omnis apprehensio est cognitio, cognitio autem essentialiter aliquid repræsentat, repræsentatio autem fit per assimilationem; assimilatio autem cum objecto est ipsissima veritas, non potest ergo in simplici mentis conceptu esse repræsentatio sine formali veritate.

Rursus: Omnis cognitio repræsentat objectum, ergo vel repræsentat objectum sicuti est, & est vera; vel aliter quàm est, & est falsa: quodsi falsitas in apprehensionem cadit, cur non & veritas? & si veritas, cur non & falsitas? Quamvis in apprehensione incomplexa non detur falsitas propriè dicta.

5. Propositio constat ex pluribus conceptibus simplicibus, sicut propositio vocalis ex pluribus terminis simplicibus & vocalibus; ut ergo sit vera, oportet & ipsos simplices conceptus veros esse, nam ex non veris non potest componi verum, sicut ex auro non vero non potest componi vas verè aureum.

6. In Deo & Angelis sunt soli conceptus simplices, & non compositi, & tamen in illis est perfectissima veritas.

Quamvis ergo etiam in Apprehensionem & Sensationem veritas cadat, speciali tamen modo veritas est in judicio, & propositione vocali tanquam in signo, *tum* quia nemo propriè dicitur falli, decipíque, & à vero recedere, quamdiu non judicat, si enim apprehendas cœlum stare, nec dicas, *cœlum stat*, non censeris errâsse; & si hanc propositionem, ab hæretico aut prolatam aut scriptam apprehendas, *Christus non est realiter in Eucharistia*, non ideo es hæreticus, donec assertivè judices, non esse in Eucharistia. *Tum* quia in simplici apprehensione veritas objectiva nec-

necdum apparet tam clara, ut intellectum convincat, vel saltem in unam potiùs partem rapiat, quàm alteram, & ideo intellectus cunctatur, suspenditque judicium, hoc est, prædicatum non audet cum subjecto conjungere, & ideo stante apprehensione objecti etiam ut est, potest sequi judicium negativum non ita esse; v. g. hæreticus duas propositiones apprehendit, unam à Catholicis prolatam, *Christus realiter est in Eucharistia*. aliam ab hæreticis: *Christus non est in Eucharistia*: & tamen stante apprehensione primæ & veræ propositionis judicat asseritque Christum non esse in Eucharistia; potest ergo stare cum apprehensione vera judicium falsum, sed non potest cum judicio vero falsum consistere, & ideo magis dicitur veritas in judicio esse, quàm in apprehensione.

VIII. *Resp. 2.* In apprehensione simplici incomplexa non datur propriè dicta falsitas. Aristot. *l. 9. Metaph. c. 12.* ubi S. Thom.

Ratio est 1. Apprehensio incomplexa est repræsentatio simplex objecti (nihil aliud enim est cognitio, quàm imago, & repræsentatio) vel ergo objectum repræsentat ut est, & est vera; vel non repræsentat objectum ut est, & ut sic non est objecti apprehensio, aut cognitio: v. g. pictor indoctus canis imaginem voluit coloribus exprimere, sed ecce! non canem imago refert, sed leporem; nec cani similis est, sed lepori, dico hanc esse veram imaginem, non canis quidem, quia huic dissimilis, sed leporis, quia hunc refert, & huic assimilatur. *Idem dicas* de simplici apprehensione leporis v. g. si enim procul aliquid moveri, & per silvam vagari videas, apprehendásque ut leporem, cùm sit canis, hæc apprehensio non est canis (quia non repræsentat canem) sed est vera leporis apprehensio, quia hunc verè repræsentat: si verò judicium & propositionem feras, dicásque, *hoc currens est lepus*, jam hæc propositio est falsa, quia non repræsentat objectum sicuti est, attribuit enim subjecto currenti aliquid, quod à parte rei non habet, hoc est, naturam leporinam.

2. Tunc contingit falsitas, cùm objectum non repræsentatur sicuti est; sed repugnat in simplici apprehensione objectum non

non repræsentari ſicuti eſt, ſi enim non repræſentatur, non eſt ejus objectum, v. g. cognitio auri, quæ aurum non repræſentat, ſed auricalchum; non habet pro objecto aurum, ſed auricalchum; ſi non habet pro objecto aurum, ergo falſum eſt, quòd repræſentet aurum, aliter quàm eſt. Vide S. Thom. *1. p. q. 17. a. 1. 2. & 3.*

Objicitur 1. Senſus externi habent ſimplices tantùm, & non compoſitas cognitiones, & tamen in eis eſt falſitas, cognoſcunt enim res aliter, quàm ſunt, aut quæ non ſunt, aut ubi non ſunt; v. g. lingua bili infecta omnes ſapores pro amaris habet: oculi cœlum ſtare, columbarum colla varijs coloribus pingi, aërem cæruleum eſſe, objecta procul poſita quamvis alba, eſſe nigra, &c.

℞. Senſationes nunquam eſſe falſas *formaliter*, & propriè; ſunt enim ſenſus intuitivi, & de objecto præſenti, ergo de objecto ut eſt, nam quod non eſt, non eſt præſens; ſi enim ſenſus non poteſt eſſe de objecto abſente, & procul poſito, quantò minùs de objecto non exiſtente & nullibi, ac nuſquam poſito? Lingua ergo bili aſperſa utique amaritiem ſentit, quæ bili ineſt, ſed fallitur intellectus ob vicinitatem, judicans illam amaritiem cibis non linguæ ineſſe. Videmus etiam motum cœli, ſed is tam velox eſt, ut intellectus non poſſit ſucceſſionem notare, & ideo judicat quieſcere, non moveri. Idem contingit in lapſu fluminum, & in funiculo ignito ac velociſſimè circumacto.

Colorem cæruleum quod attinet, quem ſudo ſerenóque cœlo videmur præ oculis habere, *aut* eſt color elementi ignis, qui quò ſubtilior & purior, eò magis ad cæruleum accedit, ut patet in flamma ex vino aduſto excitata; *aut* eſt color aquarum cæleſtiū, quarū frequentiſſima in ſacris literis mentio; *aut denique* infinitæ aëris & tot cœleſtium orbium ſuperficies denſitatem aliquam efficiunt, quam lux ſolis aliorúmque aſtrorum continuò aſpergens colorem nobis ſapphirinum exhibet, decepto intellectu, nam oculus lucem refractam videt, & hanc propter omnimodam ſimilitudinem intellectûs verum colorem æſtimat. *Idem de*

alijs dicas. Patet ergo in sensibus non esse falsitatem *formalem*, sed tantùm *occasionalem*.

Adverte igitur multis modis posse falsitatem Apprehensioni tribui.

1. Apprehensioni complexæ, ut si Angelum apprehendas tanquam animal immortale, hæc enim Apprehensio est virtualiter judicium, & conjungit aliqua, quæ conjuncta à parte rei non sunt, conjungit quidem non judicando, sed apprehendendo, nec enim à parte rei natura Angeli est conjuncta animalitati.

2. Est etiam in Apprehensione falsitas *negativa* seu *privativa*; apprehensio enim & cognitio leonis non est conformis, & repræsentativa equi: sed hæc falsitas negativa non propriè denominat cognitionem falsam (aliàs omnis cognitio, omnis imago esset falsa, cùm imago unius non sit imago alterius) sed tantùm imperfectam & finitam, ut quæ non sit imago omnium objectorum.

3. Datur etiam falsitas *occasionalis* & *per accidens*, nam ex imperfectis apprehensionibus rapitur intellectus ad falsum judicium, ut in exemplis sensuum allegatis.

4. Est etiam impropriè dicta falsitas, cùm Intellectus in ijs circumstantijs, in quibus deberet apprehendere unum, apprehendit aliud, v. g. transeo silvam, video animal aliquod inter dumos, fruticésque discurrere, quod est lepus, & ego apprehendo canem, cùm tamen in his circumstantijs oportuisset leporem apprehendere, & omnino apprehendissem, nisi aliquid obstitisset, distantia videlicet objecti, obscuratio medij, debilitas potentiæ, aut organi visivi, &c.

IX. *Quæritur 7.* Utrum propositio mentalis sit una simplex qualitas?

Resp. Probabilius est, Propositionem mentalem esse unicam & simplicem *physicè* qualitatem, non verò tantùm *unam* unitate *ordinis*. S. Thom. *1. contra Gent. c. 55.* & *1. p. q. 85. a. 4.* & *q. 58. a. 9.*

Ratio est 1. Quia etiam Deus & Angeli faciunt propositiones, & de objectis judicant, quæ tamen propositiones & judicia

tia sunt qualitates omnino simplices ex omnium sententia; non ergo hoc repugnat ex parte propositionis : nec etiam ex parte Intellectûs creati , unde enim hæc repugnantia , ut unus non possit plura objecta & terminos subordinatos (subjectum, prædicatum , & copulam) cognoscere & judicare ?

2. Intellectus est lingua, & cognitio verbum animæ: sed potest lingua corporis uno verbo objectum complexum significare (v. g. perij, vici, &c.) cur non lingua animæ? cùm tamen Intellectus , utpote potentia spiritualis , & immaterialis longè sit activior , magísque expressivus , quàm lingua , & multò plura intelligere , quàm loqui possumus. Imago corporea in speculo relucens una est & simplex qualitas , & tamen quàm multa repræsentat ! cur non Intellectui concedas , quod vitro ?

3. Multo difficilius est plura *realiter* uniri, quàm tantùm *intentionaliter* , & unum pluribus *realiter* assimilari quàm tantùm *intentionaliter*, & *repræsentativè* (sicut faciliùs regem in tabula pingas , aut in theatro agas, quàm verè sis) sed possunt plura *realiter* uniri (ut in composito physico) & unum pluribus *realiter* distinctis assimilari (ut homo Angelis , brutis, plantis, imò ipsi Deo) ergo poterit etiam una cognitio assimilari & repræsentare multa , quæ tamen subordinantur, prædicatum videlicet copulam & subjectum; hæc verò repræsentatio judicativa est propositio. Sic etiam de facto Intellectus in relationibus, in connotatis, in concretis plura objecta uno simplici actu cognoscit.

Nec ideo tamen noster concipiendi modus similis erit Angelico ; quamvis enim uno intuitu plura concipiat , plerumque tamen antequam pronuntiet, & judicet *ignem v. g. esse calidum*, aut *cœlum non esse elementum*, apprehendit & examinat terminos simplices , eósque inter se confert , & tunc demum componit; priùs enim , quàm dicam, *Cœlum non est elementum*, apprehendo quid sit cælum, quid elementum ; confero naturam cœli cum elemento ; examino an sibi hæ duæ naturæ repugnent, ut conjungi non possint ; quænam rationes suadeant non posse , aut posse conjungi ; & tunc demum comparatione absolutâ pronuntio *Cœlum non esse elementum* : hæ moræ in Angelis non sunt.

Nec aliud voluit S. Thomas *1. p. q. 13. a. 12. & q. 58. a. 4. ad 1.* & *6. Metaph. lect. ult.*

In propositionibus tamen non hypotheticis, & in Syllogismo, in quibus una propositio infert aliam, & una est causa alterius, non videtur una esse & simplex cognitio, sed plures ordinatæ.

Cùm dico *Lapis non est Angelus*, hæc propositio & cognitio mentalis partim est intuitiva, ut lapidem repræsentat, partim abstractiva & obscura ut Angelum: id verò respectu diversorum non est absurdum, nam & idem color præsenti est clarè visibilis, absenti obscurus: & eadem albedo alteri albedini similis, nigredini verò dissimilis.

X. *Quæritur 8.* Utrum divisiones Propositionum sint univocæ?

Resp. Divisio Propositionis in *Categoricam, Hypotheticam, Disjunctivam & Copulativam est essentialis & univoca*, cum modo tamen aliquo Analogiæ.

Ratio est, Quia essentia Propositionis est affirmare aut negare, seu tollere suspensionem judicij: proprietas verò esse veram aut falsam; utrumque verò reperitur in propositionibus illis æquè ac in *categoricis*, ut consideranti patet.

Nec dicas totam veritatem in illis propositionibus repertam esse eamdem cum veritate propositionum *categoricarum*, id enim falsum est; nam hypothetica veritas est *conditionata* & suspensa, & subsistit etiam *categoricis* falsis, ut in hac: *Si bos habet alas, volat. Idem dicas* de *disjunctiva*, in qua veritas non est determinata, & subsistit, etiamsi altera *categorica*, quæ est pars *disjunctivæ*, vera non sit, ut in hac: *vel hic vel ille oculus est necessarius ad videndum.*

De *copulativa* major dubitandi est ratio, videntur enim istæ duæ propositiones *categoricæ*, *Petrus currit & Paulus currit*, solâ verborum prolatione ab ista *copulativa* differre, *Petrus & Paulus currunt*: dico tamen specie differre, *tum* quia una ex alia infertur, v. g. *Petrus currit & Paulus currit, ergo duo homines currunt*: *tum* quia unio est sufficiens causa distinguendi compositum à partibus separatis, ut patet in artefactis & in physicis; nec enim homo est idem quod materia & forma separatæ.

Inve-

Invenitur tamen in hac divisione aliquid *analogiæ*, quia priùs invenitur veritas in *categorica*, quàm in *hypothetica*, aut *disjunctiva*; v. g. priùs hæc vera est, *omne volans movetur*, quàm hæc, *si lapis volat, movetur*: & *rursus* priùs hæc vera, *oculus est necessarius ad videndum*, quam hæc, *aut hic aut ille oculus est necessarius ad videndum.* Hæc tamen prioritas non sufficit ad veram & propriam Analogiam, *tum* quia binarius & ternarius sunt univoce numeri, & tamen prior binarius: *tum* quia sola prioritas cum inæquali participatione superioris rationis est radix Analogiæ.

XI. *Resp. 2.* Divisio Propositionis in *Affirmativam* & *Negativam* est *univoca* & *essentialis*: *univoca*, quia utraque æquè judicat, æquè potest vera aut falsa esse. *Essentialis*, quia essentia propositionis consistit in unione extremorum, hanc verò unionem diversificat affirmatio & negatio, *affirmatio* enim significat identitatem prædicati cum subjecto, *negatio* significat distinctionem, hoc est, non identitatem: patet autem formam & negationem formæ essentialiter distingui: & quamvis ad esse & non esse non detur ratio aliqua communis, datur tamen ad significationem *esse*, & significationem *non esse*, significatio vid. & judicium in communi.


℞. 3. Divisio propositionis *in Particularem* & *Universalem* est subjecti in accidentia.

Ratio est, *tum* quia hoc pertinet ad quantitatem propositionis, quantitas verò est extra essentiam: *tum* quia hæc divisio non sumitur penes essentiam propositionis, quod est judicare, sed penes extensionem subjecti.

Agunt hîc aliqui de veritate aut falsitate propositionum de futuro contingenti, sed tractari hoc Argumentum solet in Theologia, ubi de scientia Dei.







§. III.

Alia quædam de Propositionibus earúmque Oppositionibus ac Æquipollentijs.

Summaria.

Quænam sint notanda.

1. *Circà propositionem categoricam, &c.*
2. *Circà hypotheticam.*
3. *Circà oppositionem propositionum.*
4. *Circà propositiones contradictorias.*
5. *Circà contrarias.*
6. *Circà subcontrarias.*
7. *Circà subalternas.*
8. *Denique circà modales.*





Ropositio generatim dividitur in *Categoricam* & *Hypotheticam* : *Categorica* est, quæ constat subjecto, prædicato, & copulâ verbali, v. g. *Petrus est homo*, *Petrus currit*, *&c.* *Hypothetica*, quæ constat duabus propositi-

poſitionibus categoricis, tanquam partibus ſui principalibus; v. g. *ſi ſol cras orietur, dies erit*: *Petrus loquitur, & Joannes ſcribit*: nec enim *hypothetica* à Dialecticis pro ſola propoſitione conditionali uſurpatur, ſed pro omni ex pluribus categoricis compoſita. De omnibus his in ſequentibus dicendum.

I. *Quæritur 1.* Quæ ſint *partes*, *materia*, *forma*, *quantitas*, & *qualitas* Propoſitionis Categoricæ?

Reſp. 1. In Categorica eſt una tantùm copula, & unum verbum quod affirmat aut negat: ſi verò plura ſint verba, non pertinent ad copulam, nec aliquid negant aut affirmant, ſed tantùm ſunt circumſtantiæ prædicati aut ſubjecti, v. g. *lac quod eſt album, eſt dulce.*

Nota, Copula ſubinde etiam eſt prædicatum, v. g. *Petrus eſt*, & vocatur *de ſecundo adjacente*, & ſic reſolvitur: *Petrus eſt exiſtens.* Cùm copula & prædicatum diſtinguuntur, propoſitio eſt de tertio adjacente, v. g. *Petrus eſt homo*, *Petrus currit.* Iſtæ: *Pluit*, *ningit*, *perij*, *&c.* ſunt propoſitiones ſenſu, non voce.

Reſp. 2. *Materia* propoſitionis *Categoricæ* eſt *neceſſaria*, *impoſſibilis*, *contingens.* *Forma* verò eſt *unio*, ſeu *copula.* *Quantitas* eſt limitatio vel extenſio ſubjecti.

Eſtque quadruplex: *Univerſalis*, v. g. *omnis leo rugit*: *Particularis*, cùm ſubjectum eſt terminus communis, affectus aliquo ſigno particulari, v. g. *aliquis leo rugit.* *Indefinita*, cùm ſubjectum eſt terminus communis, nullo ſigno particulari affectus, v. g. *leo rugit.* *Singularis*, cùm ſubjectum eſt terminus ſingularis, vel ſtat pro ſingulari, v. g. *Petrus*, vel *hic homo currit.*

Indefinita propoſitio in materia contingenti æquivalet particulari, v. g. *homo currit*, æquivalet huic, *aliquis homo currit*: in materia verò naturali, fidei, vel juris, æquivalet univerſali, v. g. *homo eſt animal*, *homicida plectatur*, *moriens in gratia ſalvabitur*, æquivalent iſtis, *omnis homo eſt animal*, *&c.*

Qualitas Propoſitionis duplex eſt, alia *Eſſentialis*, *Affirmatio* vid. & *Negatio*, alia *Accidentalis*, nimirum *veritas & falſitas.*

Quæ Propoſitio ſit affirmativa aut negativa, ex copula principali, non ſecundaria deſumendum eſt, v. g. hæc eſt *affirmati-*

mativa: *Qui non peccat, salvabitur* (sic enim explicatur: Non peccans erit salvus) hæc verò *negativa*, *Qui peccat, non salvabitur.*

Resp. 3. Signa universalia sunt hæc: *Omnis*, *nullus*, *Quilibet*, *neuter*, *&c.* Signa particularia sunt *Quidam*, *Aliquis*, *Alter*, *&c.*

In hac Propositione, *Cujuslibet hominis equus currit*; signum *cujuslibet* est signum subjecti distributionis, non subjecti prædicationis, quia non cadit super subjectum *Equus*: in hac verò, *hominis quilibet equus currit*, signum *Quilibet* non est absolutè universale, sed tantum secundùm quid, & restringitur à termino *hominis*.

In hac Propositione, *Petrus est*, *& non fuit albus*, duæ propositiones continentur, affirmativa & negativa.

Resp. 4. Aliud est propositio *negativa*, aliud *infinita*: hæc est *negativa*, *Petrus non est homo*, quia negatio cadit super copulam. Hæc vero est *infinita*, *petrus est non lapis*, quia negatio non cadit super copulam, sed super prædicatum.

Dices: Non lapis est negatio, sed Petrus non est negatio & nihil, ergo non bene dico, Petrus est non lapis.

℞. Petrum esse aliquid, & hoc indicatur per copulam *est*, & tamen imperfectum, & cum carentia perfectionum, quæ sunt in lapide, & hoc significat ille terminus infinitus *Non lapis*; sensus ergo propositionis est, *Petrus est aliquid quod non est lapis*, nec tamen determino quid sit.

Quamvis verò in propositione negativa verbum *est* non copulet, sed separet prædicatum, adhuc tamen dicitur copula, quia repræsentat carentiam prædicati.

Si duæ negationes conjungantur, reddunt propositionem affirmativam, v. g. *Petrus non est cæcus*, æquivalet huic, *Petrus est videns*; & ista, *Petrus non est non currens* huic, *Petrus est currens*; & *ratio est*, quia negatio negat totum quod post se invenit, ergo etiam negat negationem subsequentem, ergo negat tòllitque negationem, & carentiam cursûs v. g. sed sublatâ carentiâ & negatione cursûs ponitur ipsa forma cursûs, nam in contradictorijs sublato non esse, ponitur esse.

II. *Quæritur* 2 Quid sit *Propositio hypothetica*, & unde ejus *quantitas*, ac *qualitas* desumienda?

Resp. 1. *Hypothetica propositio* est, *quæ constat ex duabus propositionibus*

tionibus categoricis, & magis accedit ad argumentationem, v. g. *Si bos habet alas, volat.* Copula propositionis hypotheticæ non est verbalis, sed una ex istis; *si*, *vel*, *&*, *quia.*

Nota. Ut propositio sit hypothetica, non sufficit *virtualiter* complecti plures propositiones, sed oportet, ut omnino, & actu sint plures; ista ergo, *Petrus & Paulus student*, est categorica, sed de extremo copulato: ista verò, *Petrus studet & ambulat*, est categorica de prædicato copulato: & ista, *omnis homo est animal*, est categorica, licèt huic hypotheticæ æquivaleat, *Petrus est animal, & Paulus est animal, &c.*

Resp. 2. *Quantitas Hypothetica* sumitur *tum* ex Categoricis, quibus constat, *tum* ex propria copula: hæc ergo est *Universalis*: *Petrus studet & Paulus studet*, quia copula *&* requirit veritatem utriusque: hæc verò, *Petrus studet, vel orat*, est *particularis*, quia copula *vel* alterius tantùm veritatem exigit.

Resp. 3. *Negatio* vel *affirmatio hypothetica* non sumitur ex negatione vel affirmatione categoricarum, sed ex affirmatione, vel negatione copulæ: hæc ergo est *affirmativa*: *Petrus non scribit, & Paulus non currit*: Hæc *negativa*, *Petrus ambulat, nec Paulus currit.* Si negatio sit nominalis, & ponatur initio propositionis, non negat copulam, nec facit propositionem negativam; hæc ergo est *Affirmativa*, *Nullus homo loquitur, & Petrus currit.* Si verò negatio sit adverbialis, & initio ponatur, ex communi hominum usu afficit copulam, & propositionem facit *negativam*; v. g. *Non Petrus currit, & Paulus loquitur*; sensus enim est, *Nec Petrus currit, nec Paulus loquitur.*

In Disjunctivis non semper necessarium est, unam tantùm partem propositionis verificari, potest enim utraque vera esse, v. g. hæc, *Petrus ambulat, vel orat*, vera est, etiamsi ambulet & oret. *Secùs* est in propositione *copulativa*, in qua oportet utramque esse veram; hæc ergo est falsa, *Petrus est homo, & Paulus est lapis*, imò tota est impossibilis, quia bonum ex toto, defectus ex qualibet parte.

Resp. 4. In *conditionali*, particula *si* aliquando sumitur tantùm *permissivè*, v. g. *Si videris fratrem meum, saluta illum*: aliquando *illativè*, v. g. *si sol oritur, dies est*: & in hoc casu tota veritas

ritas Hypotheticæ in illatione consistit, unde hæc est falsa; quamvis utraque categorica sit vera, *si homo est animal, equus est quadrupes*, nec enim hæc ex illa sequitur: hæc verò hypothetica & conditionalis est vera, licèt categorica sit falsa, *si lapis est equus, hinnit.*

Conditionalis necessaria est triplex, *necessitate Metaphysicâ*, quæ semper est vera, & *nequidem per divinam potentiam* aliter se habere potest: *necessitate Physicâ*, quæ *naturaliter* aliter esse non potest, *supernaturaliter* potest: *necessitate morali*, quæ plerumque, at non semper est vera, v. g. Si mater est, diligit filium.

Resp. 5. In propositione *causali* copula est particula *Quia*: requiritur ad hujus veritatem, ut una propositio contineat causam alterius, & consequenter utraque sit vera: hæc ergo est falsa, *quia leo est quadrupes, est rugibilis.*

Resp. 6. Propositio *exponibilis est virtualiter hypothetica*, quia ut exponatur, duabus categoricis indiget, v. g. *incipit, desinit, &c.* sic exponuntur: *Nunc est, & antè non erat, &c.*

Præcipuæ sunt tantùm tres: *Exclusiva, Exceptiva, Reduplicativa.*

Exclusiva est, quæ constat termino significante exclusionem, ut *tantùm, solùm*: talis est hæc: *Tantùm homo est risibilis.* Sic exponitur: *homo est risibilis, nec ulla res alia.* Potest exclusio cadere supra prædicatum solum, vel supra solum subjectum,

Propositio exclusiva affirmativa convertitur *in Universalem affirmativam*, v. g hæc, *Tantùm homo est risibilis*, convertitur in hanc, *Omne risibile est homo*, si videlicet *Exclusiva* afficiat tantùm subjectum; nam si afficiat prædicatum, non convertitur Universaliter, v. g. non valet, *Planta est tantùm vegetativa, ergo omne vegetativum est planta.* Non valet etiam consequentia ab exclusiva subjecti ad exclusivam prædicati, v. g. *Tantùm sol est maximum luminare, ergo sol est tantùm magnum luminare, Elementa sunt tantùm quatuor, ergo tantùm elementa sunt quatuor.*

Secunda exponibilis est *exceptiva*, v. g. ista: *Omne animal, præter hominem, est irrationale*: sic autem exponitur: vel per tres propositiones: *Omnis homo est animal, nullus homo est irrationalis: alia animalia omnia irrationalia*, vel sic: *Tantùm homo non est animal irrationale,*

nale; reliqua verò animalia sunt irrationalia. Vel sic: *Omne animal, excepto homine, est irrationale.*

Tertia exponibilis est *reduplicativa*, & hæc accipitur vel *reduplicativè*, quando appellatur super subjectum *formaliter* & specificè acceptum, v. g. *coloratum quà coloratum est* objectum visûs: vel *specificè*, quando subjectum supponit *causaliter*, v. g. *color albus, quà albus disgregat visum.*

Reduplicativa sic exponitur: *Omnis homo, in quantum rationalis, est risibilis*, hoc est, *Omnis homo qui est animal rationale, ideo est risibilis, quia est rationalis.* Aliquando tamen particula reduplicativa *in quantum* & *secundùm quod*, est tantùm restrictiva, v. g. *æthiops in quantum habet dentes, est albus*: *Christus in quantum homo, est creatura*: & in hoc casu restrictio verificat propositionem tantùm pro parte, non pro toto subjecto; de quo vide eleganter S. Thom. *3. p. q. 16. a. 8.* ubi dat rationem, cur æthiops dicatur absolutè crispus, quamvis tantùm sit talis secundùm crines, & non absolutè albus.

Ea, inquit in O, *quæ in dubitationem venire possunt, an conveniant toti, vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, id est, sine determinatione: non enim dicimus, quòd æthiops est albus, sed quòd est albus secundùm dentes. Dicimus autem absque determinatione, quòd est crispus, quia hoc non potest ei convenire, nisi secundùm capillos.*

Aliquando etiam reduplicatio cadit supra conditionem aut concomitantiam, non verò supra causam, v. g *ignis, in quantum applicatus, calefacit: homo in quantum existens, operatur:* & tunc expositio fit per conditionalem ex parte subjecti hoc modo: *Si ignis applicatur, calefacit.*

III. *Quæritur 3.* Quid, & quotuplex sit oppositio Propositionum?

Resp. 1. Oppositio secundùm Aristotelem *est affirmatio & negatio ejusdem de eodem.* Vel sic: *Est duarum propositionum, idem subjectum & prædicatum habentium diversitas vel in Qualitate, vel in Quantitate*, v. g. *Petrus currit, Petrus non currit: Omnis homo est rationalis, aliquis homo est rationalis.*

Resp. 2. Oppositio Propositionum est quadruplex: *Contraria, Contradictoria, subcontraria, subalterna.*

Ad oppositionem requiritur, ut sit idem omnino prædicatum & subjectum, eædem circumstantiæ, eadem suppositio &c. & ideo istæ non sunt oppositæ: *Canis latrat*, *canis non latrat* (hoc est, stella.) *Petrus currit*, *Petrus non cucurrit*, *&c.*

Dices: Istæ duæ propositiones sunt oppositæ: *Omnes homines currunt*, *aliqui homines non currunt*, & tamen non sunt contrariæ (quia altera non universalis) nec subcontrariæ (quia prior universalis) nec subalternæ (quia una affirmat, altera negat) nec contradictoriæ (quia utraq; potest esse falsa; fac enim *100* homines esse, ex quibus *99* currant, unus verò non currat, utraque est falsa, & hæc: *Omnes currunt*, cùm unus non currat; & hæc: *Aliqui non currunt*, cùm unus tantùm non currat, & ita non aliqui, sed aliquis.

℟. Alium esse sensum hujus propositionis in rigore philosophico, *omnes homines currunt*, & alium hujus, *omnis homo currit*: prima propositio cùm habeat subjectum in numero plurali, sic distribuitur; *ergo & hi homines currunt*, *& hi homines &c.* & ejus contradictoria non est hæc: *aliquis homo non currit* (sic enim variatur circumstantia numeri, & consequenter tollitur contradictio) sed hæc: *aliqui homines non currunt*: hæc verò propositio, *aliqui homines non currunt*, vera redditur in sensu assignato, etiamsi unus non currat: ponamus enim illum terminum *aliquos* complecti ex triginta tribus ternarijs (qui numerum nonagenarium nonum componunt) unum ternarium, in hoc si vel unus non currat, verum est totum ternarium hominum non currere, & ita verum est aliquos homines non currere, hoc est, aliquem ternarium hominũ non currere: patet ergo, istas propositiones, *Omnes homines currunt*, *aliqui homines non currunt*, esse contradictorias, & posteriorem esse veram.

IV. *Quæritur 4.* Quid sit contradictio Propositionum, & quando contingat, quæ ejus signa, &c.

Resp. 1. Contradictoria sunt duæ propositiones, quarum una est affirmativa, altera negativa; una particularis, altera universalis, v. g. *Omnis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*; aut utraque particularis, v. g. *Petrus currit*, *Petrus non currit.*

Nota

Nota. Propositiones contradictoriæ in nulla materia possunt esse simul veræ & falsæ, alioqui posset idem simul esse & non esse, quod est contra primum naturale principium.

Objicitur 1. Istæ sunt contradictoriæ: *Omnis homo studet, Petrus non studet*, & tamen utraque potest esse falsa, ut si *Petrus studeat* (tunc enim falsum est, *Petrus non studet*) & *Joannes non studeat* (tunc enim falsum est, quòd *omnis homo studeat.*)

℞. Illas propositiones non esse contradictorias, quia secunda plus dicit, quàm sufficiat ad falsificandam priorem, sufficeret enim aliquem non currere, nec oporteret hunc determinatè hominem non currere: à parte rei quidem, si omnis homo studet, certum est & Petrum studere (aliàs Syllogismus in Darij non semper concluderet) sed ex modo significandi, cùm *omnis homo* nullum hominem in particulari designet; ejus contradictoria non est, *Petrus non studet*, sed *aliquis homo non studet*: & *ratio rationis est*, quia oppositio est de eodem omnino subjecto; sed *omnis homo* & *Petrus* non sunt idem subjectum ex modo significandi, quia *omnis homo* non dicit ullam hominis differentiam, sed appellat supra naturam; *Petrus* verò dicit differentiam hominis.

Bene igitur *nota*, Contradictionem istarum propositionum sumi ex veritate rerum, non *ut sunt*, sed *ut significantur.*

Objicitur 2. Istæ sunt contradictoriæ: *Omnis equus currit, aliquis equus non currit*, & tamen potest utraque esse falsa, ut si nullus equus in mundo sit.

℞. Istas propositiones de non existentibus sumi conditionatè, *si equi existant*: in quo casu aut hæc est vera: *Omnis equus currit*; aut hæc, *aliquis equus non currit.*

Objicitur 3. Istæ sunt contradictoriæ: *In Divinis natura generat* (ut cum Paternitate identificatur) *Natura non generat*, & tamen utraque est vera.

℞. Falsum supponi; in Divinis enim non est contradictio: contradictio dicit ens & negationem entis, in Deo autem non est negatio entis, sed plenitudo & pelagus entis, & ideo quòd una persona non sit alia, quòd una generet, non alia,

hæc non eſt negatio & imperfectio, ſed ſumma perfectio, ordo, fœcunditas & ſocietas, quæ perfectiones in Deo ceſſarent, ſi una Perſona non diſtingueretur ab alia.

Objicitur 4 Iſtæ propoſitiones ſunt contradictoriæ: ***Omnis equus contingenter curret, aliquis equus contingenter non curret***, & tamen utraque eſt vera: ſicut etiam iſtæ: ***Poſſibile eſt omnem equum currere, poſſibile eſt aliquem equum non currere:*** hæ ſiquidem propoſitiones veræ ſunt, etiamſi omnes equi currant.

℟. Illas propoſitiones non eſſe contradictorias, nec ullo modo oppoſitas, ſed potiùs æquivalentes. ***Contingens*** ſeu ***poſſibile*** (ut ***neceſſario*** opponitur) eſt idem quod indifferens ad utrumque, & ideo hæc propoſitio, ***poſſibile eſt omnem equum currere***, æquivalet huic, ***poſſibile eſt aliquem equum non currere***: ſicut hæc, ***Petrus eſt indifferens ut currat***, æquivalet huic, ***Petrus eſt indifferens ut non currat***, non ergo ſunt oppoſitæ, cùm ſe mutuò includant, inferántque. Sic etiam iſtæ: ***Petrus determinatè peccabit, Petrus determinatè non peccabit***, non ſunt contradictoriæ, & utraque poteſt eſſe falſa, quia ad contradictionem ſufficit non poſſe utramque eſſe veram, aut utramque eſſe falſam, non autem requiritur utramque determinatè eſſe veram, aut determinatè falſam, ſicut patet in iſtis: ***Petrus neceſſariò peccabit, Petrus neceſſariò non peccabit***, utraq; enim eſt falſa. Ut ergo evadant contradictoriæ, modus negandus & affirmandus eſt hoc modo: ***Petrus neceſſariò peccabit, Petrus non neceſſariò peccabit: Petrus contingenter Chriſtum negabit, Petrus non contingenter Chriſtum negabit.***

Et ***ratio eſt***, quia contradictoriæ ***modales*** reduci debent ad contradictorias ***de ineſſe***; ſed ſi reducantur ad contradictorias ***de ineſſe***, negatio & affirmatio cadent ſupra ***modum***, v. g. iſta modalis, ***Petrus neceſſariò peccabit***, ad hanc reducitur, ***Petri futurum peccatum eſt res neceſſaria***: hujus contradictoria eſt: ***Petri futurum peccatum non eſt res neceſſaria***: ubi vides negationem & affirmationem cadere ſupra ***modum.***

Objicitur 5. In hiſce contradictorijs utraque eſt vera: ***Omnes homines ſunt plus quàm unus, aliquis homo non eſt plus quàm unus.***

℟. Non eſſe contradictorias, quia variatur ſuppoſitio; prima enim ſupponit ***collectivè***, & ideo non poteſt fieri deſcenſus

ad

ad singularia (falsum enim est, quòd & hic homo sit plus quàm unus, & ille homo, &c.) Non ergo debet ejus contradictoria in suppositione *singulari* assignari, sed *collectivè*, hoc modo: *Omnes homines non sunt plus quàm unus.* Sicut contradictoria hujus, *Omnes Apostoli sunt duodecim*, non est hæc, *Aliqui Apostoli non sunt duodecim.* Sed hæc: *Omnes Apostoli non sunt duodecim.*

Objicitur 6. Istæ sunt veræ: *Bis cantavi Missam, bis non cantavi Missam*: istæ verò sunt falsæ: *Nullus oculus requiritur ad videndum, aliquis oculus non requiritur ad videndum*; & tamen omnes sunt contradictoriæ.

℞. Illas non esse contradictorias, *bis cantavi Missam, & bis non cantavi Missam*, sed istas: *Bis cantavi, non bis cantavi*: & *ratio est*, quia de Missa prædicatur & quòd fuerit cantata, & quòd bis (æquivalet enim huic: *Missa à me cantata fuit bis.*) utrumque ergo debet negari, quod fit per hanc, *Non bis cantavi Missam*, quæ huic æquivalet: *Missa non fuit à me bis cantata.*

Aliæ propositiones non sunt contradictoriæ, nam illa, *Nullus oculus est necessarius*, sumitur in sensu *distributivo* & *determinato*, & sic est vera; Alia verò, *aliquis oculus non est necessarius*, in sensu *confuso*, & est falsa; falsum enim est, aliquem oculum, saltem in confuso, non esse necessarium ad videndum.

Nota. In propositione hypothetica copulativa sic ponendæ sunt contradictoriæ: *Lac est dulce, & absynthium est amarum*: *lac non est dulce, vel absynthium non est amarum*, quia copula *&* æquivalet *signo universali*, copula *vel particulari.*

In conditionalibus & hypotheticis contradictio fit negando copulas *quia*, *si*, v. g. *si sol luceat, dies est, non si sol luceat, dies est*: *quia ignis est calidus, calefacit, non quia ignis est calidus, calefacit.*

Resp. 2. Signa & modi universalitatem propositionis completam indicantes sunt isti: *Omnis, nullus, necessariò, impossibiliter, &, nunquam, semper, &c. ubique, nullibi, &c.* Signa & modi, quibus universalitas incompleta significatur, sunt: *Omne* (pro generibus singulorum) *uterque, neuter, subinde, multi, plures, contingenter*; non *contingenter* æquivalet propositioni copulatæ, & sic resolvitur: *Homo contingenter currit*, hoc est, *possibile est hominem currere, & possibile est hominem non currere.*

Resp.

Resp. 3. Signa quæ se tenent ex parte solius prædicati, non constituunt propositionem quantam, v.g. *Deus est omne bonum*, est singularis propositio. Nomina obliqua se tenentia ex parte subjecti, quando nullo signo afficiuntur, non constituunt quantitatem propositionis, v. g. *Omnis equus Petri currit*, est propositio universalis.

Si casus afficiatur signo affirmativo universali vel particulari, propositio adhuc manet particularis, v. g. *Omnis hominis equus currit*, sic resolvitur: *Hujus hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, &c. & hujus hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit.* Ista propositio, *semper homo currit*, est particularis, licèt tempus Universaliter significetur. *Econtrà* ista, *aliquando omnis homo currit*, est Universalis. Sed hoc signum negativum *nunquam* afficit universaliter non tantùm tempus, sed præcipuum etiam subjectum, v. g. in hac propositione, *nunquam homo currit*, distributio fit hoc modo: *Neque in hoc tempore currit hic homo, neque hic homo, &c. neque in hoc tempore currit hic homo, neque hic homo, &c.* Hæc ergo propositio, *Nunquam aliquis homo currit*, est Universaliter negativa.

V. *Quæritur* 5. Quid sint Propositiones contrariæ, subcontrariæ, subalternæ, modales, & quæ leges eas convertendi?

Resp. Contrariæ sunt duæ propositiones, ejusdem semper quantitatis, & universales, quarum una negat quod altera asserit, v. g. *Omnis homo currit, nullus homo currit: Petrus ubique studet, Petrus nullibi studet: Petrus & Paulus currunt, Petrus & Paulus non currunt.*

Non possunt contrariæ simul esse veræ, aliàs sequeretur duas contradictorias esse veras. In materia tamen contingenti possunt esse simul falsæ, v. g. *Omnis homo est albus, nullus homo est albus: ratio est*, quia inter *omne* & *nullum* datur medium, videl. *aliquod*, hoc enim nec est omne, nec est nullum. In materia tamen necessaria vel impossibili non possunt esse simul falsæ nec simul veræ.

VI. *Resp.* 2. *Subcontrariæ sunt duæ propositiones particulares, vel saltem indefinitæ, quarum una est affirmativa, altera negativa*, v. g. *aliquis homo currit: aliquis homo non currit*: hæ propriè non sunt oppositæ, cùm possint

sint simul esse veræ, ut patet; tota ergo oppositio est in qualitate. In materia tamen necessaria & impossibili non possunt simul esse falsæ, nec possunt esse simul veræ, aliàs sequeretur duas contradictorias simul esse veras, v. g. sint istæ subcontrariæ: *Aliquis homo est animal, aliquis homo non est animal*: si prima est falsa, ergo hæc ejus contradictoria, *nullus homo est animal*, est vera: & si secunda etiam est falsa, ergo hæc ejus contradictoria, *Omnis homo est animal*, est vera, ergo habemus duas contrarias simul veras: at si duæ contrariæ simul sunt veræ, etiam duæ contradictoriæ, ut patet ex jam dictis.

VII. *Resp. 3. Subalternæ sunt duæ propositiones, quarum utraque affirmativa, & utraque negativa*, & *solùm differunt in quantitate, quòd una universalis, altera partiularis sit, v. g. omnis homo est animal, aliquis homo est animal*: una includitur in alia, & unius veritas pendet à veritate alterius, & ita vix sunt oppositæ, exceptâ quantitate.

In materia necessaria & impossibili vel utraque est vera vel utraque falsa; si enim hæc est vera, *omnis homo est animal*, etiam hæc, *aliquis homo est animal.*

Dices: Hæ propositiones sunt subalternæ in materia necessaria: *Aliquod animal est rationale, omne animal est rationale*, & tamen secunda, hoc est, subalternans, est falsa.

℞. Primam propositionem non esse de materia necessaria, sed contingente, contingit enim animali *ut sit* esse rationale: in materia verò contingenti potest una esse vera, alia verò falsa, v. g. *aliquis homo est albus, omnis homo est albus.*

Resp. 4. Pro Æquipollentijs sufficit notare versiculum illum, Dialecticis notum:

Præ contradic: post contra: præ pósque; Subalter.

Resp. 5. Conversioni sequentes versus inserviunt,

Feci simpliciter, convertitur eva per acci:

Asto per contra, sic fit conversio tota.

Adverte 1. Ad hoc, ut Propositio universalis affirmativa rectè convertatur *simpliciter*, necesse esse, ut totum prædicatum convertatur in subjectum, unde hæc non valet: *Omnis senex fuit puer, ergo omnis puer fuit senex: Petrus est in domo, ergo domus est in Petro.*

Adverte 2. Totam rationem conversionis ex *suppositione* pendere, v. g. *Omnis homo est animal*, convertitur in hanc, *aliquod animal est homo*, quia prædicatum *animal* in prima supponit *confusè*.

Adverte 3. Istæ propositiones; *aliquis homo est mortuus*; *aliquis videns est cæcus*, *aliqua domus est eversa*, sic majoris claritatis causâ explicari & converti possunt: *aliquid passum mortem est homo* (ampliando copulam *est* ad tempus præteritum) *aliquid passum cæcitatem est videns*, *&c.*

VIII. *Resp. 6.* Circa propositiones modales notentur sequentia.

Notandum 1. Ad has propositiones parum refert, utrum modus *nominaliter*, an verò *adverbialiter* sumatur, hæ duæ siquidem idem sonant: *Petrus contingenter currit*, &, *Petrum currere est contingens.*

Notandum 2. Ex modis duo sunt universales, *necesse* & *impossibile*; duo particulares: *Contingens* & *Possibile*: censetur autem modalis *negativa*, quando modus negatur, etsi dictum affirmetur: erit etiam *universalis*, si modus sit *universalis*, quamvis *dictum* sit *particulare*, v. g. hæc, *necesse est Petrum esse animal*, est universalis; & hæc, *Contingens est Petrum non currere*, *est affirmativa*.

Notandum 3. Omnes propositiones modales veræ, sunt *necessariæ*; licèt enim hæc de inesse sit contingens, *Petrus currit*, hæc tamen modalis est necessaria, *Petrum currere est contingens.* Sic etiam licèt ista sit modalis, *Petrus contingenter currit*, hæc tamen, *Petrus contingenter currit est propositio modalis*, in actu exercito non est propositio modalis, sed absoluta: sicut etiam hæc est propositio categorica, nec in actu exercito conditionalis: *Si bos habet alas, volat, est propositio conditionalis*, quia copula est verbalis.

Notandum 4. Optimus & facillimus modus reducendi modales ad suas de inesse est, si modus convertatur in prædicatum, v. g. ista, *Petrus est necessariò animal*, reducitur ad hanc; *Petrum esse animal est res necessaria*; vel, *animalitas est prædicatum Petri necessarium*: & ista, *Contingit Petrum currere*, in hanc, *Cursus Petri est res contingens.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER III.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.



Ibros, qui instrumenta tradunt pro tertia Mentis operatione dirigenda, Aristoteles *Analyticos* appellavit, eosque in duas partes distinxit: in prima agit de *priori analysi* seu *Resolutione*, hoc est, de forma Syllogistica ejúsque principijs ac artificio, quam etiam alij *resolutionem consequentiæ* vocant: tunc verò consequentiam resolvimus, cùm ejus bonitatem ostendimus, eò quòd principijs constet ad regulam artis compositis, sibíque connexis, & ex quibus si præmissæ sint, veritas infallibiliter consequatur; potest enim ex vero falsum deduci: sicut enim voluntas nunquam eligit, amátque malum, nisi specie boni vestitum, ita nec intellectus falso assentitur, nisi ex vero aliquo principio deductum colorem & faciem veritatis assumat.

Metrodorus Philosophus ex veris principijs falsum concludebat: *Absurdum est*, inquit, *in latifundijs unicam spicam nasci, ergo & unum in infinito Mundum: Mundi causa est infinita, ergo & Mundi infiniti.*

Nihil falsius quàm Deum nullum esse, & tamen ex veris principijs hoc Athei inferebant apud Plutarchum *de plac. Phil. l.*

 1. c.

l. c. 7. Cùm deterrimo quoque, inquiunt, *fortunâ præclarè agit, contrà cum præstantissimo pessimè; ergo Deus non est, aut si est, humana non curat. Deus non potest facere ut flet qui sedet, ut vigilet, qui dormit, ergo Deus non omnia potest, & si non potest, Deus non est.*

Plinius *lib. 2. c. 7.* sic argumentatur: *Non potest Deus sibi mortem consciscere si velit, non facere, ut qui vixit, non vixerit, qui honores gessit non gesserit, non ut bis dena viginti non sint, nullúmque habet in præterita jus, præterquam oblivionis, ergo non potest Deus rerum naturam mutare, ergo natura rerum omnium est id quod Deum vocamus.*


Ariani sic arguebant: *Filius est à Patre genitus; ergo est minor Patre, & creatura.*

Lutherani sic: *Non est bonum, hominem esse solum, ergo non est bonum, hominem esse Monachum.* Cùm ergo Intellectus humanus possit in discursu falli, & falsum ex vero inferre, opus aliquâ arte fuit, quâ dirigeretur, & falsum in discursu vitaret, hoc præstat Logica in analysi prioristica, quæ agit de arte & forma verum ex vero deducendi per bonam consequentiam.

In secunda parte agit Aristoteles de posteriori *Analysi*, hoc est, de *Resolutione consequentis*: tunc verò resolvimus consequens, cùm ostendimus illud ex veris principijs deduci, quæque veritatem conclusionis contineant: sicut enim in alijs artibus non quælibet materia ad consequendum artis finem est idonea (nemo enim in plumbo navigat, aut in aqua pingit, aut vitro ædificat) ita nec in arte verum cognoscendi quælibet propositio, aut quodlibet principium inferendæ veritati servit, v. g. ex eo quòd sol in occasu rubeat, non licet inferre; ergo infallibiliter crastinâ serenum erit: nec ex eo quòd halcyones nidulentur, concludi potest; ergo hodie nullus infallibiliter in mari ventus, nulla tempestas erit.

Resolutio in genere nihil aliud est, quàm *totius in suas partes divisio*; sicut enim corpus humanum tunc resolvitur, cùm in suas partes & principia secatur, aut sponte redit, ex quibus componitur; & domus, cùm in lapides, ligna, cæmentum, ex quibus comparata est; sic & Demonstratio resolvi dicitur, cùm principia, ex quibus constat, considerantur, & ita velut mente & cogitatione retexuntur.

§. I.



§. I.

DE SYLLOGISMO.


Summaria.

1. *Quid & quotuplex ſit Argumentatio.*
2. *Stante bonitate conſequentiæ ex antecedente vero non poteſt ſequi falſum.*
3. *Sed econtrà antecedens falſum poteſt inferre conſequens verum.*
4. *Et contingens neceſſarium.*
5. *Neceſſarium tamen infert ſibi ſimile.*
6. *Diſcurſus ſoli homini non Angelo, nec brutis competit.*
7. *Dividitur in 4. Species.*
8. *Ex quibus Inductio non eſt formalis Argumentatio.*
9. *Nec Enthymema.*
10. *Nec exemplum.*
11. *Sed ſolus Syllogismus.*
12. *Qui formaliter non in ſolis præmiſsis,*
13. *Nec in ſola concluſione, ſed in præmiſsis & concluſione ſimul conſiſtit.*
14. *Aſſenſum præmiſſarum effectivè concurrere ad aſſenſum concluſionis & authoritas, & ratio evincit.*

15. *Ut conclusioni assentiaris, præcognitio de bonitate illationis est necessaria.*
16. *Et tunc aliud in præmissis, aliud in conclusione cognosces.*
17. *Ita tamen ut objectum præmissarum se habeat ut objectum* quo *ad assensum conclusionis.*
18. *Positis præmissis probabilibus Intellectus nec quoad* speciem, *nec quoad* exercitium *necessitatur ad inferendam conclusionem.*
19. *Ex præmissis verò necessarijs tam quoad speciem, quàm exercitium necessitatur.*
20. *Materia, forma, & principia Syllogismi.*
21. *De duplici reductione.*
22. *Regulæ, juxta quas validè argumentemur ab hypothesi impossibili.*



I.



Quæritur 1. Quid sit Argumentatio?

Resp. Argumentatio est Oratio, in qua antecedens infert consequens. Sunt quidem plures Orationes in Argumentatione, sed ordine sunt una Oratio, & præsertim quia particula *ergo*, quæ est nota Argumentationis, uni & soli ultimæ propositioni ac conclusioni apponitur. In mala Argumentatione antecedens non infert

infert conſequens, ſed inferre tantùm videtur, ſicut enim apparens bonum movet voluntatem ad amorem, & apparens color oculum ad viſionem, ita apparens verum movet intellectum ad aſſenſum. Quamvis ergo *Argumentatio* ex parte materiæ dividatur in *probabilem* & *demonſtrativam*, ex parte tamen *forma* & *conſequentia* nulla datur *Argumentatio probabilis*; forma enim eſſentialis & intrinſeca *conſequentia eſt* connexio illativa conſequentis cum antecedente, ergo aut conſequentia hanc vim illativam ſemper habet? & conſequenter quantum ex ſe ſemper bene & verum infert (cauſa enim neceſſaria, ſi nihil obſtet, ſemper agit) aut non habet eam vim illativam? ergo nunquam habet, ergo non eſt bona conſequentia, ſicut enim bona regula, aut amuſſis dici non poteſt, ad quam vel ſemel duci poteſt linea, aut angulus curvus, ita &c.

Tria ergo ad bonam Argumentationem requiruntur.

1. Id ex quo aliquid infertur, quod vocamus antecedens, ſive jam unâ propoſitione, ſive pluribus conſtet.

2. Id quod infertur ex antecedenti, & vocatur conſequens.

3. Nota illationis, neque enim ſufficit ad Argumentationem unum ex alio ſequi, niſi intellectus ex unius cognitione in cognitionem alterius deveniat, & cognoſcat, ideo unum eſſe, quia aliud eſt; non ergo hæc eſt argumentatio: *Petrus currit, & movetur*. Eſt verò copula argumentativa triplex, *conditionalis*, *rationalis*, *cauſalis*.

II. *Quæritur* 2. Utrum ex antecedente vero poſſit inferri conſequens falſum, vel econtrà?

Reſp. 1. Ex antecedente vero non poteſt ſequi falſum, ſi bona ſit conſequentia.

Ratio eſt 1. Antecedens eſt cauſa conſequentis; ſed verum non poteſt eſſe cauſa falſi, cauſa enim aut *formaliter* aut *eminenter* continet effectum, ſicut ſol eſt *eminenter* calidus: ſed verum nec eſt *formaliter*, falſum, ut patet, nec *eminenter*, alias & Deus, qui eſt ſummè verus, eſſet *eminenter* ſummè falſus, quod abſurdiſſimum eſt: & ſicut bonum non eſt cauſa mali, cùm non det illi eſſe, ſed potiùs non eſſe, de-

destruendo malum; ita nec verum est causa falsi, quia non dat illi esse, sed potiùs non esse, falsum destruendo.

2. Non potest consequens inferri ex antecedente, in quo non includitur: at falsum non includitur in antecedente vero, sed potiùs excluditur, *tum* quia verum & non verum sunt contradictoria, quæ se mutuò excludunt; *tum* quia hoc manifestè apparet in hac Argumentatione (& idem de omnibus alijs dicas) *Petrus est homo, ergo Petrus est lapis*: lapis utique non includitur in natura humana, sed potiùs excluditur.

3. Ponamus hanc consequentiam, *Petrus est homo, ergò Petrus est lapis*; jam sic arguo: si hoc falsum consequens sequitur ex antecedente vero, ergo verum cum falso naturaliter connectitur, (nihil enim est aliud unum cum alio naturaliter connecti, quàm unum ex alio naturaliter sequi, & econtrà) ergo verum non repugnat naturaliter falso (nam quæ naturaliter repugnant, non sibi naturaliter connectuntur, sed potiùs dissociantur) ergo antecedens illud verum non repugnat falsæ illi consequentiæ, ergo repugnabit ejus contradictoriæ, quæ est *Petrus non est lapis*; ergo verum vero repugnat, quod evidenter est falsum, ut patet omnes veritates examinanti.

Dices 1. Nigredo & albedo, homo & lapis, pater & filius sunt res veræ, & tamen repugnantes, ergo verum vero repugnat.

℟. Eo modo, quo repugnant, nullo modo esse vera: repugnat rem nigram esse albam, & ideo non est verum eamdem rem esse naturaliter nigram & albam; non verò repugnat nigrum & album in diversis subjectis esse. Aliud de vero est, hoc enim nec in eodem nec in diverso subjecto pugnat, detur enim illud verum, quod in eodem aut diverso subjecto secum pugnet.

Dices 2. In hoc Enthymemate: *Deus præscit Petrum peccaturum, ergo Petrus peccabit*, antecedens est verum, & consequens potest esse falsum (cùm non sit necessarium, sed contingens) ergo potest falsum ex vero sequi. Idem est in hac Argumentatione, *Medea est mater, ergo Medea diligit filios*, antecedens est verum, consequens falsum.

℟. Il-

℞. Illud conſequens, *Petrus peccabit*, in *ſenſu compoſito* non poſſe eſſe falſum; ſuppoſito enim quòd ſit peccaturus, neceſſariò peccabit; ſicut ſuppoſito, quòd Petrus ſedeat, neceſſariò ſedet, cùm nequeat fieri ut ſedeat, & non ſedeat, peccaturus ſit, & non aliquando peccet. *In ſenſu tamen diviſo* hæc propoſitio, *Petrus peccabit*, poteſt eſſe falſa; quia cùm peccatum Petri ſit liberum, ſupponit in Petro potentiam non peccandi, quam etiam prævidet Deus, & prævidendo non tollit, prævidentia enim non mutat objectum; iſtud ergo conſequens, *Petrus peccabit*, æquivalet huic: *Petrus peccabit, quamvis poſſit non peccare*: & hoc conſequens poſito illo antecedenti, *Deus prævidet Petrum peccaturum*, ita eſt verum, ut nunquam poſſit eſſe falſum; nec tamen tollit libertatem, quia, ut patet, involvit expreſſéque dicit potentiam non peccandi.

Ad aliud enthymema, reſpondeo illud conſequens, *Diligit filios* non includi in illo antecedenti, *Eſt mater*, & ideo nec deduci ex illo poſſe, ſed tantùm hoc: *Habet magnam naturalémque inclinationem, ac inſtinctum, ut diligat filios, niſi aliunde impediatur*; amor enim maternus alijs amoribus vinci & expelli poteſt.

Quare ergo Intellectus abſolutè infert; *Ergo diligit filios*? & hoc falſum conſequens de actuali amore cui innititur, ſi non vero illi antecedenti?

℞. Inniti falſo principio. Agnoſco Medeam eſſe matrem, ſed non agnoſco à marito contemptam, relictam, expulſam, & ideo iracundiâ flagrantem, & vindictæ avidàm; hæc ignorantia me ad hoc ratiocinium formandum diſponit: *Medea eſt mater, nec habet rationem, cur filijs iraſcatur, ergo diligit filios*: ubi vides falſum ex falſo, non ex vero ſequi: vel ad hoc: *Medea eſt mater, ergo ut mater, niſi aliud impediat, diligit filios*: ubi verum ex vero deducitur.

III. *Reſp.* 2. Ex falſo poteſt verum inferri, v.g. *Petrus eſt lapis, ergo eſt ſubſtantia.*

Ratio eſt 1. Quia licèt verum nulla ex parte ſit falſum (conſiſtit enim in indiviſibili) & ideo ex vero non poſſit falſum deduci, falſum tamen ſemper aliquid veri admixtum habet, ergo ex falſo non quidem ut præcisè falſo, ſed ut aliquid veri

habet, verum deduci poteſt; ſicut nec malum amatur, niſi ut bono miſcetur, & patet in exemplo allegato; cùm enim de Petro lapidem prædico, hoc ipſo prædico ſubſtantiam, & ens, & hoc eſt verum.

2. Sicut ſtatua hominis non eſt verus homo, habet tamen veram hominis ſimilitudinem, ſic falſum eſt ſimilitudo, & imitatio veritatis, & ut ſic poteſt eſſe cauſa, & manifeſtato veri: ſicut ſtatua hominis non eſt verus homo, & tamen ducit in cognitionem veri hominis.

3. Conſequens non ſemper ex præmiſſis deducitur ut actu veris, ſed factâ ſuppoſitione, quòd ſint veræ: non autem eſt abſurdum ex vero ſaltem ſuppoſito & conceſſo verum deduci; ſicut Catholicus contra Calviniſtas ſic argumentatur: *Imagines & figuræ Chriſti non ſunt veneranda nec adoranda, ergo Euchariſtia, quam venerantur & adorant Calviniſta, non eſt mera figura & imago Chriſti.*

IV. *Quæritur 3.* Utrum ex antecedenti contingenti poſſit deduci conſequens neceſſarium, vel econtrà?

Reſp. 1. Ex contingenti poteſt neceſſarium deduci, v. g. *Petrus ambulat, ergo Petrus eſt animal.*

Ratio eſt, quia non repugnat effectum contingentem provenire, & connecti cum aliqua formalitate, quæ Petro conveniat neceſſariò, ut patet in exemplo allegato, & ita conſequens neceſſarium deducitur ex contingente non ut tali, ſed ut neceſſariam connexionem habente, ſicut habet ambulatio cum animali.

V. *Reſp.* 2. Ex antecedente neceſſario non poteſt ſequi niſi neceſſarium, non verò contingens aut impoſſibile, v. g. *Petrus eſt homo, ergo eſt animal, ergo eſt ſubſtantia, ergo eſt corpus, &c.*

Ratio eſt, quia neceſſarium ſemper eſt verum, ergo ſemper infert verum, aliàs ſi inferret falſum, poſſet ex vero falſum deduci, quod ſuprà negavimus fieri poſſe.

Objiciuntur, iſti Syllogiſmi in *Darapti*:
Omne album eſt coloratum,
Omne album eſt corpus, ergo

Aliquod corpus eſt coloratum.

Et :

Omnis Phyſicus eſt ſcientificus,
Omnis Phyſicus eſt homo, ergo
Aliquis homo eſt ſcientificus.

Ubi ex præmiſſis *neceſſarijs* deducitur concluſio *contingens.*

℞. Illa Major (& idem eſt de minori) *Omne album eſt coloratum, vel* abſtrahit ab omni differentia temporis & exiſtentia ſubjecti, ac prædicati, ſicut iſta, *Omnis homo eſt animal rationale,* & tunc Syllogismus eſt malus ac ſophiſticus, quia in concluſione plus dicit, quàm in præmiſſis; dicit enim corpus & coloratum exiſtere, quod tamen in præmiſſis non dicitur. *Vel* illa major includit differentiam temporis & exiſtentiam, ita ut ſenſus ſit, *aliqua corpora alba exiſtunt, & omnia corpora alba, quæ exiſtunt, ſunt colorata*; & in hoc ſenſu illæ concluſiones, *ergo aliquod corpus eſt coloratum, ergo aliquis homo eſt ſcientificus*, ſunt æquè neceſſaræi ex ſuppoſitione præmiſſarum, ſupponunt enim præmiſſæ exiſtere aliquem hominem phyſicum, quo ſuppoſito neceſſarium eſt exiſtere aliquem hominem ſcientificum. Eodem modo hæc propoſitio, *Omne corpus album eſt neceſſariò coloratum*, ſic convertitur; *ergo aliquod coloratum neceſſariò eſt corpus album.*

VI. *Quæritur* 4. Utrum angelis & brutis etiam competat Diſcurſus?

Reſp. 1. Diſcurſus, & argumentatio ita propria eſt homini, ut Angelo non competat, S. Thom. eleganter *1. p. q. 58. a. 3.* & *q. 60. a. 2.* contra Scotum, Molinam, Suar. & alios.

Ratio eſt 1. Eſſentia hominis eſt eſſe rationale & diſcurſivum (vel aliam eſſentiam homini aſſigna, ſi potes) ergo nulli præter hominem competit.

2. Ad formalem diſcurſum requiritur, ut duæ ſint cognitiones, una inferens, & altera, quæ infertur: una quæ antecedat, & altera, quæ ſequatur: ſed in Angelis hæc cognitionum origo & cauſalitas non eſt, Angelus enim eodem intuitu, eadémq; cognitione, quâ cauſam, etiam effectum videt, aut ſaltem probabilem connexionem effectûs cum cauſa, v. g. eâdem cognitione, quâ faciem & geſtus motúmque hominis videt, cognoſcit etiam pro-

probabiliter ejus cogitationes, & secreta cordis, & ideo Angeli propriè non vocantur substantiæ rationales aut discursivæ, sed Intelligentiæ; *ratio est*, quia sicut corpora perfecta statim in suo esse sunt perfecta, & perfectè operantur, nec motu alterationis, vel augmentationis indigent, ut in suo genere perficiantur, ut patet in cœlis; secùs verò corpora imperfecta, qualia sunt bruta, homines, plantæ, &c. ita Angeli, qui sunt perfectæ intelligentiæ, non egent motu discursivo, ut res intelligant. Vide S. Th. cit.

Eadem ergo clara & intuitiva cognitio, quâ Angelus videt causam non tantùm naturalem, sed etiam contingentem, est simul clara & intuitiva respectu causæ, & obscura & conjecturalis respectu effectûs contingenter cum causa connexio; cognitio enim fit per assimilationem intellectûs cum objecto: atqui non implicat eamdem rem simul esse respectu unius perfectè, & respectu alterius imperfectè similem; eadem enim albedo ut 6. est alteri albedini etiam ut 6. perfectè similis, albedini verò ut 8. imperfectè: & fumus, qui perfectè & necessariò ignem significat, imperfectè lignum; potest enim ex paleis aliàve materia quàm ligni excitari: & sicut eadem res potest cum uno effectu necessariam habere connexionem, cum alio tantùm contingentem, ita & una cognitio respectu unius objecti esse clara & evidens, respectu alterius obscura.

Datur tamen in Angelis virtualis discursus, hoc est, cognitio ignoti ex noto, sine distinctione actuum. In Deo ne quidem virtualis discursus, quia Deo æquè omnia sunt nota, nihilque ignotum.

℞. 2. Multò minùs in brutis est verus & formalis discursus, v. g. grues cùm Taurum transvolant, rostrum lapillis onerant, tum ne à ventis auferantur, tum ne voce editâ aquilis, quæ montem obsident, in prædam cedant. Grues inquam non hîc discurrunt, quia unum quidem & aliud apprehendunt, sed non unum ex alio deducunt, nec utriúsque mutuam proportionem conferunt; non enim cognoscunt ventos, aut aquilas illic in insidijs stare, nunquam enim id sunt expertæ, ut primæ: non etiam cognoscunt proportionem oneris ad ventum, vel vocem im-

impediendam, ſed naturæ inſtinctu, cùm eò veniunt, lapidem atripiunt; & ideo videmus hunc morem lapillis ſe onerandi omnibus gruibus communem eſſe, quod ſecùs eſt in ijs qui diſcurrunt, in quibus & mores & ſententiæ variant; alioquin & plantis concedendus eſſet diſcurſus, nam & ipſæ ſibi noxia fugiunt, amica verò cupiunt, captántque.

VII. *Quæritur 5.* Quotuplex ſit Argumentatio?

Reſp. Diſcurſus ſeu argumentatio in quatuor ſpecies dividitur; *Syllogiſmum*, *Enthymema*, *Exemplum* & *Inductionem*.

Nota. Argumentatio dividitur in *materialem* & *formalem*. *Materialis* dicitur, in qua verum ſequitur ex ſola connexione materiæ, quamvis ſpectatâ ſolâ formâ & diſpoſitione terminorum poſſit ex vero falſum deduci, eadem enim eſt forma hujus Enthymematis, ex quo verum colligitur, *Petrus currit, ergo movetur*, & hujus, ex quo falſum colligitur, *Petrus currit, ergo eſt quadrupes.*

Argumentatio *formalis* eſt, in qua retentâ eâdem formâ nunquam dari poteſt conſequens falſum, antecedente vero: ut cùm dico:

Omne animal eſt ſenſitivum;
Omnis homo eſt animal,
Ergo Omnis homo eſt ſenſitivus.

Similis enim forma valet in alia quacunque materia.

Alij verò dicunt eam eſſe argumentationem *formalem*; quando nullus terminus eſt in conſequenti, qui non fuerit in antecedenti, quamvis aliquis fuerit in antecedenti, qui non ſit in conſequenti, in quo maximè elucet artificium & diſpoſitio Logica. *Materialem* verò vocant, in qua licèt unum ex alio inferatur, & conſequens verè ex antecedente ſequatur, non tamen ſequitur ex vi diſpoſitionis terminorum, quia in conſequenti eſt aliquis terminus, qui non fuit in antecedenti. In hac explicatione ſolus Syllogiſmus eſt formalis argumentatio.

VIII. *Quæritur 6.* Quæ ſint veræ ſpecies formalis argumentationis?

Reſp. 1. Inductio non eſt formalis argumentatio præcisè ſpectata.

Ratio est 1. Vel enim in Inductione aliquot tantùm individuis enumeratis conclusionem universalem infers, v. g. *hic ignis est calidus, & ille ignis est calidus, ergo omnis ignis est calidus*; & jam plus est in consequente, quàm in antecedente, ergo non est argumentatio formalis, alioquin æquè argumentari sic posses; *Hic homo est albus, & ille homo est albus, ergo omnis homo est albus. Vel* omnibus individuis enumeratis universaliter infers, v. g. *Et ignis est corpus simplex, & aqua, & aër, & terra, ergo omne elementum est corpus simplex*; & hæc non est *argumentatio*, sed *æquipollentia*, idem enim est *& hic & ille*, quod duo: & in elementis idem est dicere *quatuor elementa*, & omnia elementa.

2. Ut Inductio concludat, oportet omnia singularia enumerari; at hoc rarissimè fieri potest, quis enim omnes ignes expertus est, aut omnes corvos, ut dicere possit; *Omnis ignis est calidus, omnis corvus est niger?*

Potest tamen Inductio reduci ad formam Syllogisticam, & sic fieri argumentatio formalis. Valde etiam inservit scientiæ, scientia enim est de universalibus, universalia verò cognoscuntur à nobis per singularia, & experientiam, & huic cognitioni Inductio servit; experior enim Petrum & Paulum, &c. ratione uti, leonem verò & equum, &c. non uti; unde colligo omnia animalia, quæ ratione utuntur, ad eam speciem pertinere, quæ humana vocatur, ea verò quæ ratione carent, ad eam speciem, quæ belluina appellatur; & si fingas in novo v. g. Orbe aliqua animalia esse facie quidem humanâ prædita, sed rationis expertia, quales Tritones, Satyri, Sirenes, &c. dicam essentialiter esse bruta, quia hominem non facies, sed ratio facit.

Semel verò per Inductionem comparatâ cognitione universalium, Intellectus incipit ratiocinari, & proportionem causæ ad effectum inquirere, eámque cognoscere ac deprehendere, & hinc demonstrationes, & scientia nascitur: v. g. experior homines, qui crispo capillo sunt, ijs vigilantiores esse, qui passo crine sunt, ab hac experientia & inductione formo propositionem universalem: *Omnes homines crispis præditi sunt ex natura sua vigilantes*; & hactenus scientia non est: pergit deinde intellectus ex una veritate aliam elaborare, & causam hujus rei inquirere, &

obser-

observat, crispitudinem ex prædominio sicci & calidi provenire (ut patet in æthiopibus, & rebus plerisque, quæ cùm igni admoventur, & siccescunt, mox etiam crispantur) somnum verò ex abundantia humidi, ut in pueris, mulieribus, ebrijsque constat, & ijs qui balneis crebrò utuntur: his notitijs instructus Intellectus ad hanc demonstrationem progreditur: *Ubi est siccitas & defectus humidi, ibi sunt naturaliter vigiliæ & carentia somni: sed in crispis est siccitas & defectus humidi, ergo in crispis sunt naturaliter vigiliæ & carentia somni.* Ubi jam vides, quomodo Inductio sit prima Demonstrationis & scientiæ origo.

IX. *Resp. 2. Enthymema* non est Argumentatio formalis, nisi quatenus *virtualiter* & *implicitè* Syllogismum includit.

Ratio est, quia Enthymema aliquid habet in consequente, quod non habet in antecedente, v. g. *Petrus est homo, ergo Petrus est capax æternæ felicitatis.*

Si dicas hoc consequens *implicitè* in illo antecedente involvi, verum est, sed hoc ipso Enthymema *virtualiter* est Syllogismus, ut patet, si, quod *ly* homo *implicitè* dicit, tu *explicitè* in hanc propositionem formes: *Omnis homo est capax æternæ felicitatis; Petrus est homo, ergo, &c.* & ideo Enthymema ad omnes tres figuras reduci potest; nec generat scientiam nisi ut *implicitè* Syllogismus est; quando enim sic argumentaris: *Petrus est homo, ergo Petrus est risibilis, vel* cognoscis hominem seu humanam naturam esse risibilem, *vel* non cognoscis? si cognoscis? ergo illa conclusio deducitur non tantùm ex illa præmissa, *Petrus est homo*, sed etiam ex ista, *homo est risibilis. Vel* non cognoscis hominem esse risibilem? & tunc non potes deducere esse risibilem, quia est homo, cùm nescias an homo sit risibilis; sicut si nescias phœnicem ex suis cineribus nasci, non potes inferre, ergo phœnix à sibi simili non generatur.

Dices: In hoc Enthymemate vera argumentatio, & Scientia continetur: *Nix est alba, ergo aliquod album est nix.*

℞. Nec Argumentationem hîc esse, nec scientiam: non scientiam, quia non datur cognitio per suam causam; non argumentationem, quia hæc procedit à magis noto ad minùs notum; at in illo Enthymemate utraque propositio est æquè nota,

cùm

cùm eosdem omnino terminos contineat: quâ etiam ratione negavimus, Inductionem perfectam esse formalem Argumentationem, quia omnia particularia non sunt magis nota, quàm universale ex particularibus conflatum, imò saltem à parte rei nihil aliud est universale, quàm omnia singularia. Illud ergo Enthymema nihil aliud continet, quàm formalem Conversionem, & duas propositiones æquivalentes.

X. *Resp. 3. Exemplum* non est formalis Argumentatio.

Ratio est ex dictis, *tum* quia plus dicit in consequente, quàm in antecedente: *tum* quia est imperfecta Inductio; superest ergo, solum *Syllogismum* esse formalem Argumentationem & discursum.

Requiruntur autem ad discursum proprium sequentes conditiones.

Primò ut plures includat cognitiones, quarum una sit de objecto notiori, & velut terminus *à quo*; altera de objecto minùs noto, & velut terminus *ad quem*; discursus enim mentalis imitatur localem, à quo & nomen habet; progreditur enim Intellectus de una notitia ad alteram, & ita paulatim illuminatur, idque ob imperfectionem sui luminis & facultatis intellectricis ac specierum; sicut ergo luna non eodem momento irradiatur, sed magis magisque pro majori minorique aspectu solis, ita Intellectus non simul, sed paulatim objecto assimilatur per irradiationem specierum. Angelus verò cùm species innatas habeat, simul & sine discursu intelligit, soli similis, totam suam lucem simul, non per vices possidenti. Vide S. Thom. *1. p. q. 58. a. 3. & q. 79. a. 8.*

Secundò. Requiritur, ut una cognitio pendeat ex alia, hoc est, ut una cognitio determinet Intellectum ad inferendam aliam; sicut lux aut species determinat oculum ad videndos colores; si enim una & posterior cognitio non pendeat à prima, jam erit discursus tantùm successivus & disparatus, sicut cùm quis post colorem album immediatè videt colorem nigrum: non verò erit discursus causalis, in quo cognitio objecti per se noti parit cognitionem objecti ignoti. Multò minùs cognitio in alio est discursiva; sicut cùm oculus videt faciem in speculo, Beatus crea-

creaturas in Divina eſſentia, Intellectus definitionem in definito, &c. Vide S. Th. *q. 8. de verit. a. 15.*

XI. *Quæritur 7.* Quid ſit, & in quo conſiſtat formaliter Syllogiſmus?

Reſp. 1. Syllogiſmus bene definitur: *Oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quippiam ab his, quæ poſita ſunt, neceſſariò evenit, eo quod ſunt.* Ita Ariſtoteles.

Requiritur ergo ad Syllogiſmum 1. Ut duæ præmiſſæ veræ, aut ſaltem conceſſæ, & apparentes præmittantur. 2. Ut ſequantur præmiſſæ à concluſione diſtinctæ. 3. Ut ſemper cauſet veram *formaliter* concluſionem, hoc eſt, quæ licèt *materialiter* ſit falſa, ſit tamen vera, ſemel admiſſis duabus propoſitionibus, quæ præmittuntur.

Dicitur verò Syllogiſmus Oratio, non Orationes, quia duæ præmiſſæ in medio conjunguntur, & concluſio per copulam rationalem duabus præmiſſis connectitur, ſicque ordo artificialis facit Syllogiſmum unam eſſe Orationem, & quamvis Oratio ſit genus Syllogiſmi remotum, non proximum (hoc enim eſt Argumentatio) ſatis tamen illud genus remotum determinatur per differentiam proximam, quæ in illa definitione exprimitur: ſicut ſi hominem definires, *ſubſtantiam rationalem*, ubi differentia & gradus rationalis ſecum trahit gradum ſenſitivum.

Syllogiſmus, in quo præmiſſæ ſunt ita dubiæ, ut Intellectum nec ad aſſenſum, nec diſſenſum flectant, ſed relinquant ſuſpenſum (v. g. *Quæ ſunt paria, ſe non excedunt; aſtra ſunt paria, ergo ſe non excedunt*) aut in quo præmiſſæ ſunt omnino falſæ, non inferunt concluſionem, niſi ex ſuppoſitione, quòd ſint admiſſæ v. g. in hoc Syllogiſmo, *Omne animal eſt diſcurſivum; bos eſt animal, ergo bos eſt diſcurſivus*; ſi admittas præmiſſas, & negas concluſionem, admittere debebis contradictoriam, *ergo bos non eſt diſcurſivus*: ergo hoc ipſo admittis duas contradictorias, videlicet, *aliquod animal non eſt diſcurſivum*, & *Omne animal eſt diſcurſivum*; hæc enim fuit Major in primo Syllogiſmo admiſſa.

XII. *Reſp. 2.* Syllogiſmus non conſiſtit in ſolis præmiſſis,

Ratio est 1. Syllogismus est tertia mentis operatio, & consequenter non tantùm apprehensiva, & judicativa, sed etiam illativa: atqui duæ præmissæ nihil inferunt, nec colligunt, & ideo nec Syllogismus dici possunt, hic enim dicitur à συλλογίζεσθαι, hoc est, à colligendo.

2. Syllogismus definitur *Oratio, in qua quibusdam positis aliud sequitur*: sed duæ præmissæ non sunt Oratio, in qua quibusdam positis aliud sequitur, sed sunt formalissimè ipsa quædam posita.

3. Omnes regulæ & principia Syllogismorum dantur utique pro Syllogismo: sed non dantur pro solis præmissis, ut patet illas examinanti.

XIII. *Resp. 3.* Syllogismus non consistit *formaliter* & *essentialiter* in conclusione, sed in conclusione & præmissis. Est contra aliquos Recentiores & Compton. *d. 47. sect. 1.*

Ratio est 1. Auctoritas Aristotelis & S. Thomæ *in 3. Phys. text. 31.*

2. Syllogismus definitur *Oratio, in qua quibusdam positis aliud sequitur*, ergo in Syllogismo & præmissæ & conclusio *formaliter* clauduntur.

Neque dicas, præmissas in Syllogismo tantùm *præsuppositivè* contineri, nam *contra* est, *tum* quia gratis hoc dicis; *tum* quia quæ præsupponuntur, non dicuntur, in aliquo esse; quis enim dicat artificem esse in statua, Architectum in domo, penicillum in imagine, quia præsupponuntur?

3. Discursus est motus intellectualis paulatim veritatem inducens, & ideo Angelis denegatur, ut supradictum: sed motus non tantùm unâ parte, sed pluribus essentialiter constat.

4. Syllogismus essentialiter dicit copulam rationalem, ergo: ubi verò est copula & unio, ibi *formaliter* & non tantùm *præsuppositivè* sunt plures partes.

5. Syllogismus *formaliter* est aliquod totum artificiale mentale, constans materiâ, formâ, ordine, dispositione partium, mutuâ colligatione, ut patet ex regulis Syllogismorum: atqui artefacta essentialiter dicunt compositionem ex pluribus.

Dices 1. Syllogismus est Oratio faciens scire, ergo est causa scientiæ, ergo est causa conclusionis (hæc enim sola est cognitio scientifica) ergo non est conclusio. R.

1. Syllogismum esse causam formalem scientiæ, & ideo non oportet eum ab actu scientiæ distingui: sic color est causa colorati, anima causa vitæ &c.

Dices 2. Discursus est cognitio deducta ex alijs, ergo illa alia non sunt discursus, sed ad discursum requisita.

Resp. Discursum vocari cognitionem deductam ex alijs, non quia non omnes præmissas includat, & in ijs omnibus non consistat, sed quia una ex alia pendet, & in ultima, quæ ex duabus infertur, consummatur discursus.

XIV. *Quæritur 8.* Utrum Præmissæ Physicè causent conclusionem?

Resp. Assensus præmissarum concurrit *effectivè* ad assensum conclusionis. Est contra Durandum, Valentiam, Arriagam, Compton. &c.

Ratio est 1. Auctoritas expressa S. Thomæ *l. 1. Poster. Lect. 3.* & *2. Phys. Lect. 5.* & *5. Metaph. Lect. 3.* & *1. contra Gent. c. 55.*

2. Videmus quòd unum lumen est causa efficiens alterius luminis, sic enim lux solis aliam lucem in aëre, in stellis, in luna producit: & lux gemmis innata est partus lucis cœlestis, sicut & lux iridis colorata. Sic etiam una imago est causa effectiva alterius imaginis, ut patet in parelijs & speculis oppositis; cur ergo, & non multò magis una cognitio, quæ est lux intellectualis, producat aliam cognitionem & ita præmissæ conclusionem? Nec ulla est ratio, cur [r]bus omnibus effectum sibi similem producentibus, solum Intellectum omnium potentiarum nobilissimam sterilitate damnemus.

3. Certum est, discursum causalem, de quo agimus, aliquam dicere connexionem & causalitatem præmissarum in Conclusionem, ideo enim causalis dicitur, ut docet S. Thomas *1. contra Gent. c. 55. rat. 4.* & *1. p. q. 14. a. 7.* sed præmissæ non dicunt causalitatem *materialem*, aut *formalem*, cùm conclusio non constet ex præmissis, nec una præmissa sit forma alterius cognitionis. Non sunt etiam causa *finalis*, cùm conclusio non sit propter præmissas, sed potiùs econtrà; ergo sunt causa effectiva.

Dices esse conditionem *sine qua non. Contra*, Gratis hoc dicis, cur enim præmissæ potiùs conditio, quam vera causa, cùm

hoc non repugnet? & conditio *sine qua non* potest divinitus saltem suppleri, non autem potest fieri, ut conclusio sit sine præmissis, & discursus sine illatione ex alio.

4. Quod continet *virtualiter* aliquid, est hujus causa effectiva, ut inductione patet; sed præmissæ continent *virtualiter* conclusionem, si enim *virtualiter* conclusionem non continerent, cur potiùs Intellectum ex se indifferentem ad hanc potiùs, quàm aliam conclusionem, aut veritatem determinarent? & cur potiùs ex hac præmissa, *Petrus est animal*, non infero, *ergo Petrus est aquila*? Si præmissa virtualiter conclusionem non continet, & causat *effectivè*, cur conclusio assimilatur præmissis, ut ex obscuris obscura, ex negativis negativa, ex particularibus particularis sequatur? Sanè hæc conditioni *sine qua non* aptari non possunt, v.g. approximatio ignis ad lignum non determinat ignem ut ignis producatur, sed est indifferens ad alios effectus, ut patet in approximatione aquæ ad lignum & plantam, ex qua non ignis, sed flos aut fructus sequitur.

5. In Conclusione reperitur aliqua formalitas, quæ nec in Intellectum, nec in objectum conclusionis reduci potest tamquam in causam, ergo reduci in præmissas debet: *Antecedens probatur*: Conclusio est assensus discursivus, ex his & non alijs præmissis deductus, conformis, & in similitudinem præmissarum productus, ut patet tum ex dictis, tum etiam quia in hac Argumentatione, *Petrus est homo, ergo Petrus est animal*, conclusio est imago inadæquata antecedentis, & objectum Antecedentis quoad gradum sensitivi clariùs, quàm ipsum Antecedens repræsentat; hæc verò omnia reduci nec in objectum nec in Intellectum possunt, Intellectus enim est indifferens ad hanc vel illam conclusionem, nisi à præmisis determinetur; objectum verò est indifferens, ut modo discursivo aut definitivo, per has aut illas præmissas cognoscatur. Intellectus ergo est causa principalis conclusionis, sic tamen, ut non habeat vim determinatam inferendi unum ex alio, hoc vel illo modo, *negativè* vel *affirmativè &c.* nisi à præmissis, & sublatâ naturali indifferentiâ adjuvetur.

Obj.

Objicitur 1. A præmiſſis, ſeu diverſo medio probante ac demonſtrante ſcientia ſpecificatur. S. Thomas *2. 2. q. 1. a. 1.* ergo præmiſſæ ſpecificant concluſionem, ergo pertinent ad cauſam formalem extrinſecam & ſpecificantem, ut ſuprà in *Prolegom.* dictum, ergo non ad cauſam effectivam.

℟. Sicut objectum & ſpecificat actum quatenus eſt veritas exemplaris, & intentionaliter expreſſibilis, & etiam concurrit ad actum effectivè per emiſſionem & radiationem ſpecierum intelligibilium, ita & præmiſſæ ſpecificant concluſionem, quatenus ejus objectum ſub tali & tali ratione ac lumine Intellectui cognoſcendum proponunt, & ſimul concluſionem efficiunt, quia ſine illis Intellectus non eſt determinatus ad cognitionem illativam, ut ſupradictum.

Objicitur 2. Quando ponitur cognitio & aſſenſus concluſionis, non ampliùs exiſtit cognitio præmiſſarum, ergo hæc non influit in concluſionem. *Antecedens probatur*, quia diſcurſus eſt motus quidam intellectualis, in motu autem tranſitur de uno ad aliud, nec partes motûs ſimul exiſtunt.

℟. Sufficere, ut præmiſſæ adhuc exiſtant in ſua ſpecie, & in habitu ac determinatione Intellectûs; ſicut ſemen cauſat, producitque alium florem in virtute primi illius, & hyeme jam corrupti floris ex quo deciſum, carptúmque fuit, & ignis jam extinctus producit alium ignem calore à ſe relicto.

Sunt verò præmiſſæ cauſa æquivoca concluſionis, præmiſſæ enim pertinent ad habitum principiorum, & ſunt per ſe notæ; concluſio ad habitum ſcientiæ, & eſt nota ex alio: ſunt tamen determinatæ ad unam ſpecie concluſionem, quod non repugnat cauſæ æquivocæ, ſed tantùm cauſæ univerſali.

XV. *Quæritur 9.* Utrum ante aſſenſum concluſionis debeat præcognoſci bonitas conſequentiæ?

Reſp. Ut concluſioni quis aſſentiatur, ſemper opus eſt, ut quis cognoſcat bonitatem illationis, hoc eſt, ut cognoſcat conſequens bene inferri ex Antecedente.

Ratio eſt 1. Quia Intellectus non aſſentitur firmiter veritati per ſe non notæ, niſi convictus & certus veritatis: ſed ſolis præmiſſis quantumvis veris non redditur certus de veritate con-

clusionis, nisi illi constet de bonitate consequentiæ & illationis, cùm possint præmissæ omnes esse veræ, & tamen mala & falsa illatio, v.g. in hoc Syllogismo: *Omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo.* Et in hoc Enthymemate: *Deus latroni spatium pœnitendi & gratiam dedit, ergo & mihi dabit.*

2. Præmissæ necessitant ad assensum conclusionis, ut mox dicetur; sed stante dubio, multóque magis stante ignorantiâ de bonitate illationis Intellectus necessitari ad conclusionem non potest, quis enim dicat in præmissis Syllogismis Intellectum necessitari, ut falso assentiatur?

Subinde verò potest connexio & bonitas illationis ita esse clara, ut eodem actu, quo præmissas, & conclusionem, & illationis bonitatem agnoscam; sicut eodem actu & lucem, & colorem, & motum colorati videmus.

XVI. *Quæritur 10.* Utrum objectum conclusionis sit etiam objectum præmissarum?

Resp. Objectum præmissarum non est objectum conclusionis, hoc est, non idem omnino, quod in præmissis, hoc etiam in conclusione cognoscimus.

Ratio est, Objectum præmissarum est id, quòd in præmissis cognoscimus; sed non eadem omnino veritas, quæ in præmissis, etiam in conclusione cognoscitur, *tum* quia præmissæ sæpè sunt universales, conclusio particularis; *tum* quia conclusio cognoscit etiam connexionem consequentis cum antecedente & bonitatem illationis denotatam per copulam *ergo*, quod in præmissis non contingit.

XVII. *Quæritur 11.* Utrum assensu conclusionis attingatur etiam objectum præmissarum?

Resp. Assensus conclusionis necessariò attingit objectum præmissarum tamquam objectum *quo* movetur Intellectus, ut conclusioni assentiatur; sicut eodem actu visionis & colorem attingo & lucem tamquam immediatam rationem, quâ color redditur visibilis. Est contra Suar. Vasq. Conimbr. &c.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *1. 2. q. 2. a. 1. ad 2. & 3.* & *q. 22. de verit. a. 14. ad 3.*

2. Ideo

2. Ideo actus viſionis ſimul & ſemel in colorem & lucem fertur, nec aliter color attingi poteſt, quàm illuminatus, quia color per ſe non eſt viſibilis: atqui etiam concluſio non eſt per ſe nota, ergo ut ſic non eſt per ſe cognoſcibilis, ergo cognoſci debet unà cum præmiſſis, ſine quibus eſt velut color non illuminatus, nec per ſe cognoſcibilis.

3. Syllogiſmus vocalis eſt exemplar Syllogiſmi mentalis, ejúsque imago, ſicut domus in charta coloribus delineata eſt exemplar veræ & realis domûs, & ideo in exemplari non plus nec minus contineri debet, quàm in domo, quæ ad ejus ſimilitudinem ædificatur; ſed in Syllogiſmo vocali concluſio non tantùm ſignificat ejus veritatem, ſed etiam connexionem cum præmiſſis velut cum motivo & ratione aſſentiendi, quæ exprimitur per particulam *ergo*, quæ hunc ſenſum facit: *Petrus eſt homo, ergo quia eſt homo, eſt animal.* Ubi vides motivum concludendi in concluſione notari attingíque.

4. Electio medij attingit & fertur etiam in bonitatem finis, v. g. cùm quis eligit hauſtum amariſſimæ potionis, quam aliàs natura averſatur, attingit unà, & vult ſanitatem tamquam intrinſecum motivum electionis & acceptationis medij tam inamabilis; præciſâ enim ſanitate tale medium non haberet vim movendi, & alliciendi voluntatem; atqui etiam veritas concluſionis non habet vim impetrandi ab Intellectu conſenſum, quia per ſe non eſt nota; ſic enim ſe habet ad Intellectum veritas per ſe non nota, ſicut ad voluntatem bonitas per ſe non amabilis: ſed iſta non movet voluntatem, niſi ſub motivo finis per ſe amabilis, ergo nec illa Intellectum niſi ſub motivo præmiſſarum & veritatis per ſe notæ.

Objicitur 1. Siquitur Intellectum eodem inſtanti & concluſioni, & præmiſſis aſſentiri.

℞. Nihil hoc abſurdi, nam & viſio eodem inſtanti & in colorem fertur & in lucem, cur minus Intellectui oculo animæ concedas, quàm oculo corporis?

Objicitur 2. Sæpè recordamur concluſionis, nec recordamur præmiſſarum aut motivi, ergo cognitio concluſionis non eſt cognitio præmiſſarum, nec in iſtas neceſſariò fertur.

℞. Quam-

℞. Quamvis cognitio conclusionis cadat etiam super motivum & præmissas, fieri tamen potest, ut species motivi amittantur, durantibus speciebus, quæ conclusionem repræsentabant; species enim cùm sint semina objecti, ab eóque essentialiter pendeant, multiplicantur pro multiplicatione objecti, & unâ specie partiali corruptâ potest alia durare. Sic quamvis unâ eâdémque visione totam Cæsaris statuam intuear, si pars illius obveletur, partem unam videbo, alterâ latente & visum fugiente. In hoc tamen casu conclusio non ampliùs cognoscetur ut deducta, ut connexa cum præmissis, ut illuminata & evidenter cognoscibilis, sed tantùm ut simplex veritas, nec Intellectum ad assensum inflectet, sed relinquet suspensum, quia tota vis Intellectum ad unam partem rapiendi ex motivo aut probabili, aut per se noto & evidenti provenit; sicut tota vis lancem in unam aut alteram partem deprimendi à ponderibus est & impetu ab illis impresso.

Objicitur 3. Demus hunc casum: Quinque testes omni exceptione majores negant Petrum, cujus cadaver in platea jacet, à Carolo interfectum esse, tres verò æquè fide digni asserunt Petrum à Carolo occisum, ego auctoritate quinque testium motus concludo, ergo Carolus non occidit Petrum; hoc posito sic argumentor: Si conclusio fertur in præmissas & motiva, quæ ad consensum alliciunt, ergo etiam in motiva, quæ retrahunt (nam etiam hæc, cùm naturaliter agant, vim suam in Intellectum exerunt) sed hoc non, quia quod difficultat actum, & est ejus impeditivum, non potest essentialiter ad actum requiri.

℞. 1. Pugna difficultat, impedítque victoriam, & tamen necessariò ad victoriam requiritur; cùm ergo illa conclusio sit victoria ex pugna motivorum parta, mirum non est, si feratur etiam in motiva conclusionem retardantia.

2. Illa conclusio est tantùm probabilis, habétq; hunc sensum: *probabilius est Petrum non esse homicidam, probabile tamen etiam est esse homicidam, quia tres fide digni hoc dicunt.* Cùm ergo hæc conclusio sit mixta ex duabus, & pugnantibus veritatibus, mirum

non

non est, si ex contrarijs & pugnantibus motivis feratur; nam & corpus mixtum ex contrarijs, & pugnantibus elementis constat.

Objicitur 4. Objectum conclusionis habet propriam & distinctam veritatem à veritate præmissarum, ergo & propriam ac distinctam cognoscibilitatem, ergo cognosci potest absque eo ut objectum præmissarum eodem actu attingatur; sicut quia lux est per se visibilis, videri potest sine colore, ut in sole & stellis.

℟. 1. Veritas conclusionis cùm per se nota non sit, per se etiam non est cognoscibilis; nam & color est visibilis, estque qualitas à luce distincta, nec tamen videri potest quin simul lux videatur, quia per se visibilis non est.

2. Veritas conclusionis absque præmissis cognosci potest, non tamen ut illata & deducta, sic enim intrinsecè præmissis connectitur.

Adverte igitur, cognitionem conclusivam esse discursivam; & ideo attingere objectum conclusionis ut *Quod*, quia attingit ut veritatem deductam, illatam, dependentem à præmissis, & consequenter ut objectum discursûs: objectum verò præmissarum attingit ut *Quo*, quia etsi verè illud cognoscat, cognoscit tamen ut veritatem non illatam, nec deductam, nec illnminatam, sed per se notam, & consequenter, quæ est ratio formalis, & motivum cognoscendæ conclusionis.

XVIII. *Quæritur 12.* Utrum præmissæ necessitent intellectum ad inferendam conclusionem?

Resp. 1. Positis duabus præmissis tantùm probabilibus Intellectus non necessitatur ad assensum conclusionis.

Ratio est 1. Auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 82. a. 2.*

Ratio 2. Sicut bonum creatum non necessitat voluntatem ad amandum, quia malo commixtum est, ita veritas probabilis Intellectum non necessitat ad assensum, quia potest illi falsum subesse; ergo Intellectus potest à præmissis probabilibus, quas semel admisit, semper absistere, easque retractare, & consequenter nec conclusioni assentiri.

Si

Si tamen admittat præmissas probabiles, easque non retractet, sed in ijs persistat, tunc quoque conclusionem necessariò admittet, *tum* quia assensus præmissarum *virtualiter* involvit assensum conclusionis; *tum* quia etiam ex suppositione falsi necessariò sequitur verum (v. g. si bos alas habet, ergo potest volare) quantò magis ex suppositione veri probabilis? *tum* denique quia causa necessaria necessariò agit, & necessariò connexa necessariò se inferunt: atqui in omni materia *dictum de omni est dictum de aliquo*; & *quæ eadem sunt uni tertio, sunt eadem inter se*: Si ergo dictum de omni sit probabile, etiam dictum de aliquo erit probabile.

XIX. *Resp.* 2. Præmissæ in Syllogismo Demonstrativo necessitant Intellectum ad assensum conclusionis non tantùm quoad *specificationem*, sed etiam *quoad exercitium*.

De assensu quoad *specificationem* non est dubium; præmissæ enim in Syllogismo Demonstrativo sunt certæ & evidentes, ergo & conclusio (ex vero enim in bona consequentia non sequitur nisi verum, ut suprà demonstratum) est certò & evidenter vera: atqui vero ut tali dissentiri nemo potest; si enim posses dissentiri, & assentiri veritati, posses simul judicare duo contradictoria esse vera, v. g. *triangulus habet tres angulos*, *triangulus non habet tres angulos*. Difficultas ergo esse potest tantùm de necessitate conclusionis *quoad exercitium*.

Ratio assertionis *est* 1. Auctoritas S. Thomæ *1. p. q. 82. a. 2.* & *1. 2. q. 17. a. 6.*

2. Faciunt omnes rationes prioris assertionis.

3. Sicut color oculo aperto & vigilanti propositus, ac sufficienter illustratus necessariò videtur, quia causæ omnes visionis sunt necessariæ, ita in proposito casu & Intellectus est potentia necessaria, & præmissæ necessariæ, à quibus illuminata conclusio necessariò cognoscitur, nisi fortè voluntatis imperio Intellectus ad alia distrahatur.

4. Voluntas non est potentior in actus aliarum potentiarum, quàm in suos, ideo enim liberè alias potentias movet, quia seipsam liberè movet: sed non potest voluntas actum proprium amoris suspendere circa objectum omnino bonum, & nulla

nulla ex parte malum, & ideo Beati Deum necessariò amant, S. Thom. 1. p. q. 82. a. 2. ergo multò minùs poterit impedire Intellectum, ut non assentiatur objecto omni ex parte vero, evidenti, & nullâ suspicione falsi asperso.

5. Præstito assensu præmissarum tam evidenter sequitur conclusio, ac positâ apprehensione terminorum in primis principijs sequitur assensus eorum: sed voluntas hunc assensum directè impedire non potest (fac enim si potes, ut apprehenso hoc termino *trianguli* non concipias aut judices tres angulos in triangulo esse) ergo nec illum.

6. Imperium voluntatis in Intellectum est quidem absolutè despoticum, quia potest Intellectum applicare vel avertere à consideratione objecti, non tamen ex hypothesi quòd voluntas eum ad præmissas applicaverit, ut patet in potentia visiva, appetitiva, & etiam in motiva, quæ omnium maximè voluntati despoticè subijcitur; quamvis enim voluntas possit motivam retinere, aut ad motum impellere, semel tamen in lubrico aut præcipiti incitatam non semper morari potest, & cursum inhibere.

In Syllogismo tamen in *Barbara* potest Intellectus conclusionem vel universalem vel particularem inferre, quia præmissa universalis æquivalet particulari, & ita non est ad sensum tantùm universalem determinata, ergo nec Intellectum ad solum sensum particularem determinare potest.

Objicitur. 1. Ubi est necessitas agendi, ibi non est habitus facilitans ad agendum, ut patet in igne, lapide &c. quæ sine habitu agunt, quia necessariò: sed datur habitus conclusionis sicut datur habitus scientiæ, nihil enim aliud est conclusio, quàm scientia actualis, ergo nulla est necessitas conclusionis.

℞. 1. Falsum est, ubi est necessitas agendi, non esse difficultatem aut habitum; sicut necessitas non excludit impedimenta & pugnam contrariorum, ut in agentibus naturalibus, ita nec difficultatem. Beati necessariò Deum amant, nec tamen habitu charitatis destituuntur.

2. Habitus scientiæ non datur Intellectui, ut positis præmissis conclusionem inferat, id enim minimi laboris est, sed ma-

ximè ut præmissas & motiva concludendi & inferendi in promptu habeas.

Objicitur 2. Nulla bonitas creata cogit ad amorem, ergo nec ulla veritas creata ad assensum.

℞. Negando consequentiam; quis enim non contrarium experitur in omnibus objectis sensuum, & in veritatibus per se notis, qualis v. g. est ista: *Duo & tria sunt quinque? Disparitas est*, *tum* quia voluntas libera, non verò Intellectus; *tum* quia nulla bonitas creata vel intrinsecè vel extrinsecè non aliquo malo inficitur, ob quod voluntati aut fastidio, aut contemptui, aut odio esse non possit, saltem ut impeditiva majoris boni: secùs est in veritate creata, quæ nulli falso miscetur, imò nec misceri potest, aliàs nec veritas esset, consistit enim in indivisibili.

Deinde bonum potest esse impeditivum majoris boni, quia bonum trahit amantem ad se, suique possessionem non tantùm *intentionalem*, sed etiam *realem*, & ideo multis casibus & periculis subjacet & amantem exponit; econtrà veritas est in intellectu, nec *realiter*, sed *intentionaliter* possidetur, & ideo in animo abdita extra omnem casum & periculum est, & objecto etiam corrupto nec existente tamen in intellectu perdurat, & ideo veritas non est impeditiva majoris veri, nec aliquid habet, cujus gratiâ respui ab intellectu possit.

XX. *Quæritur 13.* Quæ, & quotuplex sit materia, & forma Syllogismi?

Resp. 1. Materia Syllogismi est duplex, *circa Quam*, & *ex Qua*: illa sunt res omnes, de quibus Syllogismi: ista vel *proxima* (ut propositiones) vel *remota*, ut termini.

Resp. 2. Forma Syllogistica est apta terminorum dispositio juxta regulas & præcepta Logicæ, de quibus Summulistæ.

Principia Syllogismorum *directiva* alia sunt *intrinseca*, ut figuræ & modi, alia extrinseca, suntque quædam universalia axiomata omnibus figuris & modis necessaria, earúmque velut bases & fundamenta.

Primum Principium est *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo.* Hoc Principium est lumine naturæ notissimum; quod enim dicitur

citur de omni homine universaliter & *distributivè* sumpto, dici necessariò debet de quolibet particulari, ut per se patet, alioqui duæ contradictoriæ essent veræ, *Omnis homo currit*, *non omnis homo currit*, vel; *Aliquis homo non currit.* Dictum de omni clarissimè relucet in *Barbara* & *Darij*: Dictum de nullo in *Celarent* & *Ferio*.

Secundum Principium est. *Quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: *Quæcunque distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se*, hoc est, si unum extremum cum medio conveniat, aliud extremum differat, tunc etiam extrema inter se different & distinguentur. Hæc duo principia maximè relucent in secunda & tertia figura, quia tamen secunda & tertia figura ad primam reducuntur, tamquam ad majorem & evidentiorem, sequitur, illa principia de omni & nullo esse omnium evidentissima.

Tertium; *Ex puris particularibus vi formæ nihil sequitur.* *Ratio est* 1. Consequens debet *virtualiter* in Antecedenti contineri, ut ex eo deduci possit: sed unum particulare non continetur in alio particulari, sed potiùs ab eo excluditur, & ideo non licet inferre: *Aliquis homo est doctus, ergo & alius est doctus.*

2. Syllogismus ex puris particularibus in nullo principio *directivo* fundatur; non enim in *dicto de omni* & *dicto de nullo*, ut patet; non etiam in illo; *Quæcunque sunt eadem uni tertio, &c.* possunt enim duo aliqua cum uno particulari disjunctivè sumpto identificari quin identificentur inter se, v. g. Petrus est aliquod animal, Paulus est aliquod animal, & tamen Petrus non est Paulus: Sic etiam aliquod album est nix, aliquod album est lac, & tamen lac non est nix.

In Syllogismo tamen expositorio potest ex puris singularibus incommunicabilibus optimè & vi formæ concludi, quia quæ uni tertio incommunicabili identificantur, ut fit in expositorio, identificantur etiam inter se.

Quartum: *Ex puris negativis vi formæ nihil sequitur.* *Ratio est*, quia Syllogismus ex puris negativis nullo directivo principio regulatur; non enim regulatur illo: *Dictum de nullo, &c.* nam ut ex hoc aliquid concludatur, oportet aliquid universaliter

liter de subjecto negari, sub quo aliud particulare continetur? atqui unum sub alio & in alio contineri est aliquid affirmare, non negare, facit enim hunc sensum: *Nullus homo est planta, ergo nec Petrus, qui est homo*; si enim homo non sit, non deducitur ex illo Antecedenti, quod tantùm de homine, non de alijs negat: & ita deduceretur consequens ex antecedenti, in quo tamen Antecedens deductum non continetur. Non etiam fundatur in illo: *Quæ distinguuntur in uno tertio, &c. tum* quia non sequitur duo distingui à tertio, ergo etiam distingui inter se; nam homo non est planta, Petrus non est planta, & tamen Petrus est homo; *tum* quia sensus illius axiomatis est iste: Quæ distinguuntur in uno tertio, ita ut unum non sit illud tertium, aliud sit ipsum tertium, etiam inter se distinguuntur: atqui unum tertio identificari, exprimi debet per affirmativam: *tum* quia aliàs plus esset in consequente, quàm in antecedente, ut patet in hoc: *Nullus homo est planta, ergo nulla laurus est planta.*

Objicitur: Hic Syllogismus: *Quidquid non est animal, non est homo; nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo*, vi formæ bene concludit, & fundatur in *Dicto de nullo*, negat enim hominem de omni non animali: atqui sub non animali continetur etiam lapis, ergo etiam de hoc negatur homo.

℞. Hunc Syllogismum non esse bonum, quia in minori non repetitur totus medius terminus, qui erat in Majori; medius enim terminus, & subjectum Majoris erat totum hoc, *Quidquid non est animal*, sive; *Omne non animal*: minor ergo formari sic debebat: *Nullus lapis est non animal*, quæ est falsa (cùm huic æquipolleat: *Omnis lapis est animal*) ex qua falsa minori mirum non est, si vera conclusio deduci possit; *ergo nullus lapis est homo*, cùm etiam ex duabus falsis in bona forma deduci verum possit, ut in hoc: *Omnis arbor est lapis, omnis gemma est arbor, ergo omnis gemma est lapis.*

Quintum: *Conclusio sequitur debiliorem partem quoad quantitatem & qualitatem*; Si ergo una præmissarum sit particularis, & conclusio erit particularis: si una præmissarum sit negativa, & conclusio.

De

De *Quantitate* probo in hoc Syllogismo: *Omnis homo est animal, aliqua res est homo, ergo aliqua res est animal*, si concluderes universaliter, *ergo omnis res est animal*, plus esset in consequente quàm in antecedente; ex eo enim quòd aliqua res sit homo, concluderes quòd omnis res sit animal.

Rursus: tota ratio inferendi conclusionem, hoc est, prædicandi majus extremum de minori extremo, est, quia duo extrema cum medio uniuntur: sed minus extremum non unitur universaliter cum medio, ergo minus extremum non potest uniri universaliter cum majori extremo, nec enim potest esse major unitas extremorum inter se, quàm cum medio, quia tota ratio ut inter se uniantur, est, quia cum medio uniuntur.

De *Qualitate* probatur in hoc Syllogismo: *Nullus equus est bipes, Bucephalus est equus, ergo Bucephalus non est bipes*: jam si concludas, *ergo Bucephalus est bipes*, jam impingis in illud principium, *dictum de nullo*; quod enim de nullo dicitur, tu dicis de aliquo, hoc est, de Bucephalo; sic enim concludis: *Nullus equus est bipes, ergo Bucephalus est bipes*; & ita concedis contradictoria, & plus est in consequente, quàm in antecedente.

Objicitur 1. Hic Syllogismus: *Vel est dies, vel est nox: sed non est nox, ergo est dies*: in hoc Syllogismo bona est conclusio vi formæ, & tamen minor est negativa, conclusio affirmativa.

℞. 1. Nos loqui tantùm de Syllogismo categorico, non hypothetico.

2. Minor illa, *non est nox*, est affirmativa, cùm duabus negationibus constet.

3. Ille Syllogismus hypotheticus resolvi debet in hunc categoricum: *Omne tempus quod non est nox, est dies: sed nunc est tempus quod non est nox, ergo nunc est dies*: ubi omnes sunt affirmativæ.

XXI. *Quæritur 14.* Quid, & quotuplex sit reductio Syllogismorum?

Resp. Omnes Syllogismi imperfecti (omnes videl. præter primos quatuor primæ figuræ) reduci ad perfectos possunt, qui lumine naturali evidentissimi sunt.

Est verò duplex reductio, *Ostensiva*, & *Per impossibile*: Ostensiva contingit, cùm Syllogismi imperfecti (quales sunt omnes, præ-

præter primos quatuor primæ figuræ) ad perfectos reducuntur.

Pro reductione Ostensiva.

Notandum 1. Si Syllogismus imperfectus sit in modo, qui incipit à C, reduci debet ad modum perfectum, qui etiam incipit à C, & sic de reliquis, v. g. *Cesare* reducitur ad *Celarent*, *Festino* reducitur ad *Ferio*, *&c.*

Notandum 2. Tota reductio fit per conversionem propositionum: quomodo verò propositiones converti debeant, signatur per consonantes *S. P. M.* C. nam *S.* significat, propositionem significatam per vocalem proximè præcedentem convertendam *simpliciter*: *P. per accidens*: *M.* transponendas esse præmissas, ita ut *major* fiat *minor*. C. in medio positum (ut in *Baroco*, *Bocardo*) reductionem fieri tantùm *per impossibile*.

Exemplum in *Fapesmo*.

Fap, Omnis equus est hinnibilis;
es, Nullus homo est equus, ergo
mo, Aliquod hinnibile non est homo.

Reducitur ad *Ferio*.

Fer- Nullus equus est homo.
i- Aliquod hinnibile est equus, ergo
o. Aliquod hinnibile non est homo.

Et in *Camestres*.

Ca- Omnis leo est animal:
mes- Nullus lapis est animal, ergo
tres. Nullus lapis est leo.

Reducitur ad *Celarent*.

Ce- Nullum animal est lapis:
la- Omnis leo est animal, ergo
rent. Nullus leo est lapis.

De reductione *ad Impossibile* videantur Summulistæ.

XXII. *Quaritur*

XXII. *Quæritur 15.* An, & quando validè argumentemur ex hypotheſi impoſſibili.

Reſp. Ut ab hypotheſi impoſſibili validè argumenteris, notentur ſequentes *regulæ.*

Prima: Hypotheſis impoſſibilis, in qua non ſervatur conſtantia ſubjecti (hoc eſt, quæ ſubjecti conceptum, & rationem *formalem* deſtruit) inutilis eſt, v. g. *Si homo non eſſet animal, non ſentiret, ergo homo eſſentialiter non eſt ſenſitivus*; illa hypotheſis deſtruit conceptum hominis; homo enim ſi non eſſet animal, non eſſet homo; ſenſus ergo illius hypotheſis hic eſt: *Si homo non eſſet homo*: ergo cùm deſtruat totam rationem ſubjecti, non poteſt eſſe radix aliquid de ſubjecto demonſtrandi; & cùm inducat contradictionem, expungátque primum principium demonſtrationis, non poteſt ſervire demonſtrationi.

Secunda: Si verò hypotheſis non tollat ipſam conſtantiam ſubjecti, ſed tantùm aliquid ratione diſtinctum à ſubjecto, vel aliquam proprietatem addat, demàtve manente adhuc toto conceptu ſubjecti, poteſt utilis eſſe hypotheſis, v. g. *ſi bos haberet alas, volaret*: ubi habere alas repugnat quidem bovi, non tollit tamen ejus eſſentiam, & formalem conceptum. Sic Latini Patres contra Græcos argumentabantur: *Si Spiritus ſanctus à Filio non procedit, ergo à filio non diſtinguitur.* Quamvis enim repugnet Spiritui Sancto à Filio non procedere, hæc tamen hypotheſis non deſtruit immediatè conceptum Spiritûs Sancti, ſaltem ex conceſſione, & opinione Græcorum, admittentium Spiritum Sanctum à Filio non procedentem.

Ratio regulæ eſt, quia licèt à parte rei unum alteri identificetur, poteſt tamen unum ſine alio cognoſci, & ita *mentaliter* ſeparari: hæc verò mentalis ſeparatio deſervit formalibus rerum principijs inveniendis, & demonſtrationibus exactè conficiendis, adeò, ut niſi hanc *virtualem* & *formalem* diſtinctionem obſerves, etiam in divinis falſæ & hæreticæ propoſitiones emergant, v. g. *Eſſentia Divina generat.*

Sic etiam utiles ſunt hypotheſes, quibus una formalitas ab alia ſeparatur, ad effectum reducendi proprietates ad ſua formalia & immediata principia, v. g. in hac demonſtratione:

Si anima rationalis non esset sensitiva, sed tantùm rationalis, adhuc esset discursiva, ergo sola rationalitas est principium discurrendi, non animalitas. *Deinde* aliqua, quæ à parte rei sunt falsa, possunt tamen esse vera æstimatione & concessione aliorum, ergo assumi tunc possunt ad convincendos, qui ita falsò opinantur.

Thomas Rotarius Hispanus, & Salamancâ oriundus, vir aliàs sapientissimus, hoc uno delirabat, quòd se vitreum crederet; hinc illi vestitus omnis ex gossipio, aliâve permolli & cedente materiâ; cùm iter faceret, fascibus ex stramine, tomento, lanâ stipabatur, ne in rheda collideretur: mediâ semper plateâ incedebat, ne aliquid tecto lapsum vitreo capiti officeret: cibi ad mensam accumbenti per longam perticam dabantur: hanc opinionem, ut homini excuterent, amici impetu facto comprimere, collidere, pugnis, baculis ferire cœperunt, hoc unum conclamantes: *Si vitrum es, cur non frangeris?* Potuit hæc hypothesis delirio mederi.

Hâc etiam hypothesi usus est D. Augustinus *hom. 21. & Serm. 1. de verb. Dom. Si vitrei essemus, minùs timeremus, vitrum enim etsi fragile, tamen servatum diu durat, nos verò homines, & sub tantis casibus quotidianis fragiles ambulamus.*



§. II.




§. II.

DE DEMONSTRATIONE.

Summaria.

1. *Quid & quotuplex sit Demonstratio?*
2. *Conditiones ad demonstrationem* propter quid *requisita.*
3. *Quid notandum circà prædicatum* de omni?
4. *Circà prædicatum* per se.
5. *Et circa propositionem de prædicato* Universali?
6. *Demonstratio non ex alienis, sed proprijs nascitur principijs.*
7. *Neque ex communibus aut remotis, sed proximis.*
8. *Potest tamen fieri per omne genus 4. causarum.*
9. *Aut etiam per definitionem.*
10. *Demonstratio circularis quando vitiosa, & quando utilis?*
11. *De præcognitis ad demonstrationem.*
12. *Medium Demonstrationis* quia *est aut effectus convertibilis, aut passio propria.*
13. *Generat scientiam licet imperfectam.*
14. *Quis sit sensus Aristotelici illius axiomatis*: scientia subalternata sc t i, subalternans *propter quid.*





Ervenimus ad Demonſtrationem, hoc eſt, nobiliſſimum Logicæ opus, & cui unico Scientiam Diſcurſivam, qualis videlicet ab hominibus parari poteſt, debemus; reliqua omnia Logicæ inſtrumenta huic ſerviunt, huic laborant; eſſentiæ enim rerum, quas Definitio ſpectat, ignotæ homini, velatæque ſunt, nec in cognitionem cadunt, exceptâ hominis eſſentiâ; totus ergo intelligendi, ſciendíque labor eſt, ut effectus per alios effectus, vel per cauſas, has verò per effectus demonſtremus; hîc Logicus ſiſtit, hîc curſui metam figit, & labore ſuo ac officio defunctus nihil habet præſtantius, quod agat.

I. *Quæritur 1.* Quid, & quotuplex ſit Demonſtratio?

Reſp. Bene definitur ab Ariſtotele Demonſtratio, *Syllogiſmus faciens ſcire.* Hæc eſt prima Demonſtrationis definitio.

Dicitur 1. *Syllogiſmus*, quia nulla præter Syllogiſmum argumentatio certò & evidenter applicat medium & motivum ſciendi; & omnis argumentatio fallibilis eſt, ut ſuprà monſtratum; & ſi Enthymema facit aliquando ſcire, id eſt, quia vel *formaliter* vel *virtualiter* additur illi tertia propoſitio, & ita in verum Syllogiſmum evadit.

Dicitur 2. *Faciens ſcire.* Facit Demonſtratio ſcire *tum efficienter*, quia præmiſſæ efficiunt concluſionem, atqui hæc ſi demonſtrata ſit, eſt Scientia: *tum formaliter*, quia Demonſtratio includit *formaliter* ſuas partes, ergo & concluſionem (quæ eſt pars Syllogiſmi) ergo & Scientiam actualem, quæ nihil aliud eſt, quàm concluſio demonſtrata.

Scire

Scire autem est cognoscere causam, propter quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, ut res aliter se habeat. Si ergo quis cognoscat pisces carere pulmonibus, & non respirare, nesciat verò pulmones esse causam respirationis, non potest dici habere scientiam, quia cognoscit quidem causam, & cognoscit effectum, sed non cognoscit necessariam utriúsque connexionem. Convenit verò etiam Demonstrationi *Quia*, & à posteriori, ut faciat scire, quod patet ex S. Thoma. *1. p. q. 2. a. 2.* & in hoc Syllogismo: *Omne respirans vivit, Petrus adhuc respirat, ergo Petrus adhuc vivit.* Quæ conclusio omnino est scientifica, cùm sit certa, evidens, necessaria, & distincta ab actu fidei, & opinionis; & quamvis non detur per causam *in essendo*, datur tamen per causam *in cognoscendo*; dari enim per causam in *essendo* est proprium soli Demonstrationi *propter quid*, alioqui nec de Deo ejúsque existentia dari vera Demonstratio, & Scientia posset.

Dices: Cognitio effectûs soli innititur experientiæ, & inductioni, quæ fallax est, cùm sensus sæpè fallantur, nec possit experientia & inductio esse universalis & omnium individuorum, & consequenter nec infallibilis. Sicut ergo testimonium nuntij, aut interpretis fallacis, non potest esse motivum & ratio certæ & indubitatæ fidei, ita nec cognitio effectûs per fallacem experientiam comparata motivum certæ & evidentis scientiæ: illa ergo propositio, *Omne respirans vivit*, non est indubitata; quid si enim aliqua respirent, nec tamen vivant? nam & in cœlis est motus trepidationis, sive vita, & in mari reciprocans æstus, & in acu magnetica perpetua inquies, donec in polum defigatur; ergo etiam in pulmonibus motus esse poterit vitâ jam extinctâ.

℞. 1. Hâc objectione nimium probari, tollit enim non solam Demonstrationem *Quia*, sed etiam *Propter quid*; tam enim cognitio causæ, quàm effectûs in experientiam resolvitur, intellectu ad omnia rudi, & instar tabulæ rasæ, nisi sensus initium cognoscendi faciant, & species & objecta sensibilia velut colores & exemplaria ministrent, quibus ad suas imagines & cognitiones

Intellectus utitur; nec unquam v. g. cognovisset ignem esse calidum, nisi sensu & experientiâ docente.

2. Verum est, omnem cognitionem intellectivam & discursivam initium à sensibus ducere, de quo vide S. Thomam 1. p. q. 84. & ideo nunquam Intellectus hanc propositionem universalem conficeret, *Omne respirans vivit*, nisi experientia repetita tum propria tum omnium gentium præcessisset. Semel tamen captâ experientiâ Intellectus, cui naturaliter inest facultas discurrendi, unúmque ex alio deducendi, sicut api facultas mella ex floribus conficiendi, movetur ad indagandas causas respirationis, invenítque esse pulmones, & istos nunquam moveri, nisi ab anima, vitáque, cui etiam inserviunt cordis calorem eventilando: vitâ ergo sublatâ cessat causa finalis & effectiva respirationis: & quamvis experientia respirationis non sit universalis, Intellectus tamen de omnibus universaliter concludit, *tum* quia est potentia multò capacior & universalior sensu, *tum* quia novit inductione omnium membrorum & organorum in corpore humano, motum pulmonum à nullo eorum fieri posse nisi motu vitali accedente, & hausto aëre sinus pulmonum diducente, ac iterum comprimente. *Nec* sensus fallitur circa objectum proprium & ritè applicatum, & maximè si omnium sensus in idem conspirent, nulla potest esse falsi, aut erroris suspicio: ex multo experientiarum, effectuum, causarum contextu tandem ab Intellectu Demonstratio conficitur, & ex Demonstratione certa scientia.

Illud verum est, sicut una certitudo est major alterâ, una lux aliâ clarior, ita unam Demonstrationem esse aliâ certiorem: multæ etiam videntur Demonstrationes esse, quæ tales non sunt, & falsæ esse deprehenduntur, non ideo tamen universim Demonstratio eliminari debet, nam & falsum aurum, & falsi colores, & falsæ margaritæ veris non obstant.

Multùm tamen differunt Demonstratio *Quia* & *Propter quid*. *Primò*. Sicut effectus non continet totam causam, maximè æquivocam, ita nec cognitio & Demonstratio per effectum perfectè causam repræsentat, sed aliquam tantùm ejus partem, prout cum effectu cognito connexionem habet, v. g. Parrhasius

sius ex duabus tenuissimis lineis ab Apelle in tela ductis cognovit quidem Apellem insignem pingendi, miscendíque coloris artificem esse; cognovit aliquem in officina fuisse, qui lineas telæ induxerit, sed tamen totam artem Apellis cognoscere non potuit, an videlicet proportiones colorum, umbrarum, corporum calleret; an sciret coloribus perennitatem date; an animi motus penicillo exprimere, &c. hæc enim per duas illas lineas constare non poterant.

Cognitio verò per causas est multò amplior, quia totum effectum continent; & ita Beati in Deo omnes creaturas velut in causa videre possunt: & qui totum habitum & artem pingendi in Apelle cognovisset, omnia quoque illius opera, picturas, imagines habuisset perspectas: sicut viso triangulo tres angulos, viso igne lucem, motum, colorem ignis videmus. Demonstratio ergo per causas longè amplior & perfectior.

Secundò: Demonstratio, *Quia*, relinquit Intellectum inquietum, suspensúmque, donec radicem & causam veritatis sciat, viso fumo Intellectus ignem continuò agnoscit; sed non sufficit illi scire, ubi fumus est, illic ignem esse; pergit porrò, & scire avet, cur fumus ex igne? cur non æquè ex aqua? & causam adeptus quiescit.

Tertiò. Demonstratio *Quia* disponit ad Demonstrationem *Propter quid*, & ad hanc velut dispositio ad suam formam reducitur. Videntur tamen istæ duæ Demonstrationes specie distingui, quia luminibus ac præmissis seu motivis notabiliter diversis nituntur, v.g. cœlos incorruptibiles esse à priori sic probo: *Materia capax diversarum formarum est radix corruptionis: sed in cœlis non est materia capax diversarum formarum, ergo in cœlis non est radix corruptionis.* A posteriori sic: *Quod est corruptibile, aliquando corruptum est, saltem quoad aliquas partes, ut inductione patet: sed cœlum nunquam corruptum est, ergo cœlum non est corruptibile. Prima* Demonstratio sumitur ex causa corruptionis: *secunda* ex effectu, qui est actualis corruptio, actualis enim corruptio & appetitus materiæ ad diversas formas non tantùm sunt res & veritates distinctæ, sed etiam diverso modo illuminant & incorruptibilitatem manifestant; argumentatio enim à negatione perpetua actûs ad nega-

tio-

tionem potentiæ eſt pluribus communis, & ideo non manifeſtat incorruptibilitatem *ut ſic*, ſed tantùm ſub commui ratione potentiæ.

II. *Quæritur 2.* Quæ conditiones requirantur ad demonſtrationem *Propter quid*;

Reſp. Demonſtratio *Propter quid* bene ab Ariſtotele definitur: *Syllogiſmus conſtans ex Veris, Primis, Immediatis, Prioribus, Notioribus, cauſiſque Concluſionis.*

Dicitur 1. Ex Veris; quamvis enim ex falſo verum deduci poſſit vi formæ, & datis præmiſſis, non tamen ſcientificè, cùm falſum non ſit cauſa veri, nec convincat Intellectum, nec det certitudinem; & falſo ut tali nunquam aſſentitur Intellectus, ergo præmiſſæ falſæ non ſunt ratio, ut concluſioni aſſentiaris. Quodſi aliquando falſo aſſentimur, ideo eſt, quia falſum eſt vero ſimile, & probabile, & apparet verum.

Dicitur 2. Ex primis & immediatis. Dicuntur propoſitiones *primæ* & *immediatæ*, quæ ſunt *per ſe notæ*, nec habent medium per quod probentur, non quòd omnis Demonſtratio conſtet ex propoſitionibus *per ſe formaliter* notis & indemonſtrabilibus, ſed quia tandem reſolvitur in propoſitiones *per ſe notas*, & quæ alibi demonſtrantur; ſicut enim alia ſunt viſibilia per ſe, v. g. ſol; alia ſunt viſibilia per aliud, ut colores; ita alia ſunt per ſe, alia per aliud cognoſcibilia. Poſſunt etiam propoſitiones per ſe notæ & indemonſtrabiles à poſteriori demonſtrari, & per effectus.

Propoſitio per ſe nota aut eſt per ſe nota tantùm, quando videl. prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti (v. g. *Deus eſt*) aut immediatè ad eſſentiam ſubjecti conſequitur (v. g. *Omne rationale eſt diſcurſivum*) hæc tamen immediata connexio nobis nota non eſt, niſi per aliud medium; ſicut aliqua ſunt per ſe viſibilia, nec tamen à nobis niſi per aliud videri poſſunt, ut vera ſtellarum magnitudo, maculæ ſolares, &c. ſic etiam propoſitio, in qua prima paſſio de ſubjecto prædicatur, eſt per ſe nota, non tamen *quoad nos*, quia cognoſci poteſt per aliquid, quod inter ſubjectum primámque paſſionem mediat, videlicet per definitionem ſubjecti. *Propoſitio per ſe, & quoad nos nota* eſt illa, cujus prædicatum & ſubjectum non ſolùm habet immediatam connexio-

nexionem, sed ipsa nota est nobis, & quidem aut omnibus, ut prima principia, aut sapientibus tantùm, v. g. hæc: *Omne rationale est discursivum*: & hæc: *Omnis substantia immaterialis est incorruptibilis*.

Alia denique est *propositio per se nota quoad nos tantùm*, v. g. hæc: *Omnis nix est alba*: habet enim reverâ medium, temperamentum videl. certarum qualitatum cum prædominio lucis; quia tamen est sensibus notissima, hoc medio non indiget, ut cognoscatur.

In præsenti agimus de propositione secundùm se nota & immediata, & quidem in propositionibus affirmativis illæ sunt per se notæ, in quibus essentia, aut partes essentiæ, aut prima passio de subjecto prædicantur. Si tamen propositio per aliquam ex quatuor causis probari possit, dicitur mediata à priori: Sic à *causa efficiente* probamus, ideo fœminas citiùs usum rationis, annósque pubertatis acquirere, & celeriùs crescere, quia natura calórque naturalis citiùs imperfectiora absolvit, fœminæ verò imperfectiores sunt maribus, & ideo unâ nocte centum fungi, una verò abies centum annis proveniunt. *A causa finali* probamus animam esse immortalem, quia creata ad æternam beatitudinem: *à causa materiali*, hominem esse corruptibilem, quia materiâ constat. *A causa formali*, esse rationalem, quia animâ rationali constat. In Propositionibus negativis illæ sunt immediatæ & per se notæ, in quibus non potest dari negativa magis immediata, & quæ sit velut ratio primæ negationis, v. g. hæc non est propositio immediata, *Leo non est risibilis*, quia potest per hanc probari, *Leo non est rationalis*: sicut enim rationalitas est causa risibilitatis, ita non rationalitas est causa non risibilitatis. Hæc verò est immediata, *Leo non est rationalis*, quia hæc negatio est immediatè, etiam omnibus alijs sublatis, annexa essentiæ leonis, nec negat aliquam proprietatem, sed differentiam essentialem.

Negant *Scotus* & communiter *Scotistæ*, dari propositiones per se notas secundùm se tantùm & non *quoad nos*, quia, *inquiunt*, propositio est cognitio & conceptus noster, conceptus autem si est per se notus, semper est notus nobis; cùm sit notitia no-

 stra

ſtra, & in nobis; ſicut albedo v.g. ſi eſt dealbativa per ſe, eſt ſubjecti ſui dealbativa, quia in ſuo ſubjecto eſt, eique ſuum effectum formalem tribuit.

Affirmat tamen S. Thomas *1. p. q. 2. a. 1. & q. 10. de verit. a. 12. & 1. cont. Gent. c. 15.*

Ratio eſt 1. Propoſitio *per ſe nota* eſt, quæ medio caret quo demonſtretur; ſed propoſitionem talem eſſe, ut demonſtrari non poſſit, non convenit propoſitioni ut vocibus aut conceptibus conſtat, ſed ex ipſa connexione rerum ſignificatarum, ergo *eſſe per ſe notum*, hoc eſt, prædicatum *immediatè* ſubjecto connecti, priùs propoſitioni *objectivæ* quàm *formali* aut *vocali* convenit; nec eſt novum, propoſitiones, ſicut etiam definitiones & præmiſſas in *formales* & *objectivas* dividi: & quamvis termini non ſignificent hanc immediatam connexionem (v.g. in hac propoſitione, *Omnis homo eſt diſcurſivus*, immediata connexio prædicati cum ſubjecto vi terminorum non explicatur, imò *ſecundùm nos* datur medium, videl. definitio ſubjecti, hoc modo: *Omne animal rationale eſt diſcurſivum*) ſufficit rem ipſam & veritatem *objectivam* ita conſtitutam eſſe, ut poſſit terminis ſubſtare, qui hanc immediatam connexionem ſignificent, dicendo v.g. Omnis homo à parte rei eſt immediatè diſcurſivus, ita ut nulla cauſa mediet inter hominem & diſcurſivum.

2. Illud propriè dicitur per ſe notum, cui propriè competit cognoſci, ſed cognoſci *principaliter* competit rebus, *ſecundariò* tantum propoſitionibus, ratione rerum, à veritate enim rerum derivatur veritas propoſitionis formalis, & ideo propoſitio vera aut falſa, quia res eſt, vel non eſt.

Dicitur 3. Prioribus, quia priùs cauſa, quàm effectus, præmiſſæ quàm concluſio cognoſcuntur.

Dicitur 4. Notioribus, *tum* quia priùs præmiſſæ ſunt notæ, quàm concluſio, ducunt enim in notitiam concluſionis: *tum* quia præmiſſæ ſunt per ſe notæ, concluſio verò per præmiſſas, ergo præmiſſæ plus habent luminis & cognoſcibilitatis; *tum* quia præmiſſæ ſunt cauſa cognoſcendi concluſionem, & cauſa ſecundùm ſe notior eſt ſuo effectu, cauſa enim ut cauſa & ipſa eſt cognoſcibilis, & eſt ratio cognoſcendi effectum, quem *virtualiter*

ter continet, maximè quia præmissæ sunt causa æquivoca (quæ semper effectu suo notior est) conclusionis; aut enim sunt principia per se nota & pertinentia ad habitum intellectûs, & ita specie distinguuntur à conclusione, quæ est discursiva & actus scientiæ; aut sunt principia demonstrata, & sic habentur per media & motiva diversa quàm sit motivum conclusionis deductæ: *tum* quia notitia conclusionis pendet in fieri & conservari à notitia præmissarum; hæc omnia probant præmissas esse notiores, saltem perfectione, si non intensione.

Objicitur 1. Si præmissæ sunt notiores conclusione, ideo est, quia *propter quod unumquodque tale, illud magis tale*: sed hoc axioma mille patitur instantias; nam ferrum candens v. g. est calidum ut octo propter ignem, & tamen non est calidior ignis.

℞. Illud axioma certis conditionibus adhibitis verissimum esse, quæ videri possunt apud Summulistas & D. Thomam *1. p. q. 87. a. 2. ad 3.* & *q. 1. a. 1. de Verit.* & *q. 10. a. 9. ad 3.* Ad exemplum de ferro candente & calido ut octo dico, adhuc ignem esse magis calidum, non quidem intensione (nec enim datur gradus supra octavum) sed perfectione, quia calor igni per se & semper, ac *connaturaliter* convenit.

Objicitur 2. Causa æquivoca instrumentalis non est suo effectu notior, nam calor est causa æquivoca ignis, semen plantæ, phantasma speciei intelligibilis, &c. sed præmissæ sunt causa conclusionis instrumentalis, ergo, &c.

℞. Præmissas esse causas conclusionis principales, conclusio enim ut scientifica, discursiva, & demonstrata, hoc est, deducta, unicè pendet à præmissis, nec enim aliunde deducitur aut demonstratur.

Objicitur 3. Quò effectus habet plures causas æquè perfectas, eò perfectior est: sed conclusio habet plures causas æquè perfectas, quàm præmissæ, notitia enim præmissarum est à solo lumine intellectûs, notitia verò conclusionis est & à lumine intellectûs, & à præmissis, & à discursu; si ergo ad illustrandam & notificandam conclusionem plura lumina concurrunt, ergò conclusio est præmissis notior. Sic etiam in Syllogismo, in

in quo una præmissarum est de fide, altera scientifica, conclusio est singulis præmissis notior, est enim certior medio purè scientifico, & evidentior medio puræ fidei.

℟. Negari saltem non potest, conclusionem esse præmissis copulativè sumptis ignotiorem, imò & singulis; conclusio enim in tantum est conclusio, in quantum deducitur & pendet à præmissis; in exemplo autem allato quando una præmissarum est fidei, altera scientifica, conclusio pendet tantùm quoad certitudinem à præmissa scientifica, & ut sic est incertior, quàm sit præmissa & assensus fidei, hic enim est absolutè certus, nec ejus certitudo ab ullo impeditur: at certitudo conclusionis impeditur ab altera præmissa naturali, hæc enim temperat & restringit præmissam fidei, quò minùs totam suam certitudinem conclusioni communicet, & ideo conclusio semper sequitur debiliorem partem. Quodsi utraque sit naturalis, adhuc non potest totum suum lumen & cognoscibilitatem in conclusionem derivare, quia cognoscibilitas & veritas conclusionis est deducta & illata, ergo est remotior quàm veritas & cognoscibilitas principiorum, quæ immediatè in se sunt cognoscibilia: atqui objectum quò remotius est à principio illuminante, eò minùs illuminatur. Si tamen intellectus se magis applicet ad cognoscendam conclusionem quàm præmissas; conclusio erit notior *accidentaliter* & *intensivè*, non *essentialiter*.

Objicitur 4. Si conclusio est minùs nota, minúsque certa præmissis, quia, ut modò dicebamus, certitudo conclusionis est mediata, & magis remota certitudine & cognoscibilitate immediatâ principiorum, ergo poterit deveniri tandem ad conclusiones adeò remotas à principijs, ut tandem nullam ab ijs participent certitudinem (sicut objectum coloratum adeò potest à corpore luminoso distare, ut tandem nihil luminis accipiat, ac omnino dispareat) id verò est absurdum, quidquid enim cum vero connectitur, & ex vero sequitur, verum est.

℟. Omnino fieri posse, ut conclusio tam remotè & post tot ambages & præmissas cum primis principiis connectatur, ut tandem [illegible] certitudinem habeat, ea tamen nobis non appareat; hic verò agimus non de qualibet veritate & certitudine,

ne, ſed de illa, quæ nobis apparet & demonſtratur. Exemplum ſit in hac argumentatione; *Homo bibit & comedit, ergo homo naturaliter moritur.* Certitudo & connexio hujus conſequentiæ vix apparet, quia hoc conſequens nimis remotè illi antecedenti nectitur; & tamen neceſſariò ſequitur, ut patebit, ſi omnes præmiſſas applices hoc modo: Qui bibit & comedit, alimentum & potum intra ſe ſumit, ergo & qualitates alimenti, ergo & humidum & calidum & alias qualitates extrinſecas, ergo iſtæ utpote contrariæ pugnabunt cum humido & calido radicali & innato, ergo iſtud alterabunt, ergo aliquando corrumpent, ergo & mortem afferent, eſt enim mors extinctio caloris naturalis. Galenus *l. 2. de Temperam. c. 2.* ergo de primo ad ultimum, *qui comedit & bibit, moritur*, ergo bene ſequitur, *Homo bibit & comedit, ergo moritur.* Vides ergo optimè ſtatuiſſe Ariſtotelem, ut præmiſſæ Demonſtrationis ſint cauſa proxima, & non tantùm remota concluſionis, quia etſi concluſio etiam ex cauſis remotis neceſſariò ſequatur, non tamen hæc connexio & neceſſitas ex remotis ſemper apparet.

Objicitur 5. Præmiſſæ non ſunt veriores concluſione, ergo nec notiores: *Antecedens* patet, quia veritas conſiſtit in indiviſibili. *Conſequentia probatur.* Veritas rei eſt ipſa rei cognoſcibilitas, ergo ſi veritas non admittit magis & minus, nec cognoſcibilitas admittet.

℞. Veritas quidem conſiſtit in indiviſibili, quia tangit terminum indiviſibilem, videlicet eſſe vel non eſſe, ut eſt in re, falſitas verò recedit à termino veritatis, & quia hic receſſus poteſt eſſe major aut minor, ideo S. Thomas 3. *cont. Gent. c. 139.* admittit in hoc ſenſu poſſe unam falſitatem eſſe alterâ majorem. Poteſt tamen una veritas eſſe notior alterâ, quia rem eſſe notam non pendet ex ſola rei cognoſcibilitate *objectiva* (ſunt enim aliqua in ſe maximè vera & cognoſcibilia, nobis tamen ignota) ſed etiam ex cognoſcibilitate *formali*, hoc eſt, ex perſpicacia & lumine intellectuali, ex majori hujus applicatione, ex pluribus hominibus rem manifeſtantibus; non ergo rei cognoſcibilitas conſiſtit in indiviſibili.

Deinde potest etiam una veritas esse certior, stabilior, immutabilior alterâ, & immediatior, & in hoc sensu dicimus præmissas esse notiores.

Dicitur 5. Causæque conclusionis. Intellige præmissas non semper continere causas physicas conclusionis, sufficit si metaphysicas & virtuales. Sic in Deo unum attributum probatur ex alio. v. g. æternitas ex immutabilitate, hæc enim est ratio, cur Deus sit æternus, &c. & de ente demonstramus esse verum & bonum, quia est cognoscibile & appetibile, quamvis cognoscibilitas & appetibilitas entis non distinguatur ab ente. In Demonstratione *Quia* effectus non quidem est causa conclusionis in *essendo*, est tamen in *cognoscendo*.

Præter hactenus explicatas conditiones præmissarum docet insuper Aristoteles oportere, ut præmissæ Demonstrationis sint *de omni, per se, de prædicato universali, non de communibus, nec extraneis, sed proprijs.* De quibus ordine dicendum.

III. *Quæritur 3.* Quid & quotuplex sit prædicatum *de omni?*

Resp. Prædicatum *de omni* aliud est *prioristicum*, quod pertinet ad formam Syllogismi, aliud *posterioristicum*, quod pertinet ad materiam veræ Demonstrationis. Prædicatum *de omni prioristicum* est, quod afficitur signo universali, sive jam verè sive falsò, sive necessariò sive contingenter subjecto competat, hæc enim forma Syllogistica non curat; tales sunt istæ propositiones: *Omnis homo vigilat, omnis homo canescit, Omnis planta est lapis, &c.* Prædicatum *de omni posterioristicum* est, quod subjecto & omnibus ejus inferioribus inest vel absolutè & simpliciter, ut in hac: *Homo est animal*: vel *non quidem semper*, sed *statutis* tantùm *temporibus*, sed necessariò, ut in hac: *Sol eclypsatur*: vel *plerumque*, & ex naturali impetu & ordine, nisi impedimentum accedat, ut in hac: *Æstate sunt tempestates*; *arbores florent*; *homo canescit.* Vel *denique* non quidem *positivè*, sed tamen *negativè*, ut in hac: *Deus est æternus*: quamvis enim æternitas non conveniat pluribus sub Deo inferioribus, quia Deus unicus est, & plures repugnant, æternitas tamen secundùm se tale est prædicatum, ut si plures Dij essent possibiles, illa *omnibus*, & *necessariò*, & *semper* competeret.

Sunt

Sunt qui eodem modo dicant has propositiones, *Petrus est homo*; *Petrus est risibilis*: *Hæc nix est alba*: esse *de omni* posterioristico æquè ac istam: *Deus est æternus*; quia subjecto semper & necessariò hoc prædicatum convenit, & hujusmodi propositiones inserviunt Syllogismo Demonstrativo in *Darij*, *Ferio*, *&c.* Sed verius est non esse *de omni*, quia in hac propositione, *Petrus est homo*, prædicatum non convenit subjecto ex gradu individuali, sed specifico. S. Thomas *opusc. 48. c. 5.* & ideo de individuis *ut sic* non datur scientia nec Demonstratio.

IV. *Quæritur 4.* Quid sit prædicatum *per se*, & quot sint modi *perseitatis*?

Resp. Quatuor modis dicitur aliquod prædicatum *per se*. *Primò.* Omne prædicatum quod vel *formaliter* ponitur in definitione (ut partes essentiales) vel *virtualiter* (ut ens in definitione omnium rerum, genera & differentiæ remotæ (ut in definitione hominis *substantia*, *sensitivum*, *corporeum*, *&c.*) denique quidquid essentialiter de subjecto dicitur, pertinet ad primum modum dicendi *per se*.

Secundò. Quando prædicatum est propria passio subjecti; v. g. *homo est risibilis*; passio enim aliquo modo pertinet ad essentiam subjecti, quia per proprium subjectum definitur.

Tertiò. Primæ substantiæ dicuntur esse *per se*, quia in nullo subjecto, ut Petrus, Paulus, &c. Secundæ substantiæ sunt in primis, & accidentia sunt in subjecto, & ideo huc non pertinent.

Quartò Dicitur *per se*, quando subjectum est causa *per se* prædicati, non verò per accidens, ut in hisce propositionibus: *Ædificator ædificat*, *Medicus medetur*, *sol illuminat*, *ignis calefacit*, *&c.* hæc verò non est *per se* quarto modo, sed per accidens: *Medicus cantat*, *fossor thesaurum invenit*, *aliquod animal ratiocinatur*; & *observa* quòd hic quartus modus non pertinet ad modum *essendi*, sicut tres priores, sed ad modum *causandi*.

Observa 1. Propositiones, in quibus subjectum de proprietate prædicatur, v. g. *risibile est homo*, revocari ad secundum modum dicendi *per se*, quia prædicatum pertinet in obliquo ad essen-

sentiam subjecti. Propositiones *indirectæ*, v. g. *animal est homo*, revocantur vel ad primum dicendi modum, quia unum extremum pertinet ad essentiam alterius *identicè*; vel pertinent ad propositiones *per accidens* & contingentes, contingit enim animali *ut sic* esse hominem. Quando correlativum prædicatur de altero correlativo in obliquo, v. g. *Pater est Filij Pater*, pertinet ad primum modum dicendi per se: alij dicunt ad secundum, quia terminus ponitur in obliquo in definitione relativi, non in recto. Hæc propositio, *Animal est rationale vel irrationale*, & hæc, *Omnis numerus est par vel impar*, spectant ad secundum modum, quia hoc disjunctivum est proprietas animalis & numeri.

Observa 2. Præmissas demonstrationis debere esse *de omni* & *per se*, Præmissæ enim Demonstrationis sunt necessariæ, ergo vel prædicant essentiam, vel proprietates, ergo pertinent ad primum vel secundum modum dicendi *per se*, ergo sunt etiam *de omni*, essentia enim & proprietas *omnibus* ac *semper* conveniunt.

V. *Quæritur 5.* Quid sit propositio *de prædicato Universali?*

Resp. Propositio de prædicato *universali* hoc loco dicitur, in qua posito subjecto ponitur prædicatum, ablato subjecto aufertur prædicatum, v. g. *homo est risibilis*, *homo est rationalis*; *triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, *&c.* requiritur ergo ad prædicatum universale 1. Ut sit *de omni*, & ideo hæc non est de prædicato universali, *animal est risibile.* 2. *Per se*, & non contingenter, & ideo hæc non est de universali, *Nix est alba*, quia sublato subjecto non ideo etiam prædicatum aufertur. 3. Quod conveniat subjecto *quà tali* & convertibiliter, quales non sunt istæ: *Homo est animal*, *Numerus est par*, *&c.* Hæc ergo propositio, *Omnis lapis est coloratus*, non est *de prædicato universali*, quia non convenit lapidi *quà tali* esse coloratum, sed quà mixto, & prædicatum non convertitur cum subjecto.

Nota: Demonstratio, in qua utraque præmissarum est de prædicato *universali*, est notior & perfectior illâ, in qua una tantùm, ut patet in hisce duobus Syllogismis: *Omne admirativum est risibile*, *Omnis homo est admirativus*, *ergo omnis homo est risibilis*: *Omne admirativum est risibile*; *Petrus est admirativus*, *ergo Petrus est*

est risibilis. Prima inquam Demonstratio perfectior est secundâ, *tum* quia universalior; *tum* quia ex magis connexis & necessarijs, præmissæ enim dicunt mutuam prædicati & subjecti connexionem: *tum* quia concluditur passio de proprio & adæquato subjecto, quantò autem scientia est universalior & de rebus magis necessarijs, tantò est perfectior.

VI. *Quæritur 6.* Utrum demonstratio ex *proprijs*, vel *alienis*, *remotis*, vel *proximis* principijs debeat procedere.

Resp. 1. Demonstratio debet procedere ex principijs proprijs, non verò alienis & extraneis. Dicuntur aliena & extranea, quæ non dicunt connexionem cum majori & minori extremo, cùm enim tota certitudo & necessitas conclusionis oriatur ex necessitate & connexione, quam extrema habent cum medio, si non habeant cum medio necessariam & certam connexionem, nec habebunt inter se: non probatur ergo hæc argumentatio: *Experientia docet, animal semper nutriri & excernere, non autem semper augeri, ergo animal semper nutritur, non autem semper crescit.* In hac argumentatione experientia est medium concludendi, sed extraneum, quia non habet intrinsecam connexionem cum nutritione, corrigi ergo debet in hunc modum: *Animal non semper indiget ad functiones vitales augmento (imò potiùs impeditur, si semper & extra terminos cresceret) indiget verò nutritione, ergo semper nutritur, non semper crescit;* en augumentationem à *causa finali*, ad quam quilibet effectus necessariò & intrinsecè respicit! Talia principia extranea sunt ferè omnia, quæ Logica *Topica* alijs scientijs subministrat, à *similitudine*, *ab exemplo*, *à conjugatis*, *ab auctoritate*, *&c.*

Non obstat tamen, quò minùs una scientia alteri scientiæ, præsertim subalternatæ principia subministret, ut patet in hac argumentatione: *In figura rotunda partes omnes à centro longissimè distant, ergo vulnus rotundum difficiliùs curatur.*

Antecedens ex Mathematica petitur, *Consequens* ex Chirurgica, & tamen illud *Antecedens* connectitur *consequenti*, quia quidquid dicitur de figura rotunda, dicitur de omni, quod eam figuram participat, veritas tamen illius *Antecedentis* est objectum Matheseos, & in ista demonstratur: & veritas *consequentis* non de-

monſtratur à Chirurgo quà tali, ſed ſupponitur ut per ſe nota notitiâ experimentali.

VII. *Reſp. 2.* Demonſtratio non debet ex communibus ſeu remotis procedere.

Nota. Cauſa remota aliquando eſt convertibilis: v.g. *homo eſt rationalis, ergo eſt riſibilis*, cùm tamen cauſa immediata riſibilitatis non ſit rationalitas, ſed eſſe admirativum: & hujuſmodi cauſa remota, ſed convertibilis poteſt Demonſtrationi deſervire, quamvis non perfectiſſimæ, quanto enim magis concluſio & veritas deducta à ſua radice & principio recedit, tantò minùs illuminatur, & intellectui apparet. Cauſa remota alia eſt, quæ non convertitur cum ſuo effectu, & iſta non deſervit Demonſtrationi, v.g. *Lapis non eſt animal, ergo non reſpirat*: hîc non negatur cauſa proxima reſpirationis (quæ ſunt pulmones) ſed remota, & non convertibilis; nec enim valet, *Eſt animal, ergo reſpirat*, cùm dentur animalia, quæ pulmones non habent, & ideo non reſpirant.

Probatio Metaphyſica per illud generale principium, *Quodlibet eſt vel non eſt*, videtur eſſe extranea & remota, nec enim dat cauſam cur aliquid ſit, nec etiam abſolutè oſtendit aliquid ita eſſe, ſed tantùm ex ſuppoſitione, quòd unum negetur, infertur, aliud contradictoriè oppoſitum concedendum eſſe.

VIII. *Quæritur 7.* Utrum Demonſtratio poſſit fieri ex omni cauſarum genere?

Reſp. Poteſt Demonſtratio fieri per omne genus quatuor cauſarum.

Ratio eſt 1. De cauſa materiali in hoc Syllogiſmo: *Omne compoſitum ex materia ſublunari eſt corruptibile: omnis homo eſt compoſitus ex materia ſublunari, ergo omnis homo eſt corruptibilis*: ubi *materia* eſt ratio concludendi, & eſt cauſa utriuſque extremi, quod ſemper contingit, quando connexio prædicati & ſubjecti in concluſione eſt connexio *eſſentialis, identica*, & ab extremis indiſtincta. Pertinet verò ad cauſam *materialem* non ſolùm materia prima reſpectu totius compoſiti, & formarum quas ſuſtentat (quam vocamus materiam *intrinſecam*) ſed etiam ſubjectum reſpectu acci-

cidentis vel proprietatis; potentia respectu sui actûs quem recipit; gradus genericus, &c.

2. De causa formali in hoc Syllogismo: *Omne rationale est homo; Petrus est rationalis, ergo Petrus est homo*: & in hoc: *Omne coloratum, si lux non absit, est visibile; omne album est coloratum, ergo.* Pertinent verò ad formam *intrinsecam* tam forma physica, quàm metaphysica, ut differentiæ. Ad formam *extrinsecam* pertinent actus respectu potentiæ, accidentia respectu subjecti, idea, objectum, &c. objectum enim cùm specificet, & ita essentiam spectet, potiùs ad causam *formalem* quàm *finalem* pertinet; *finalis* enim & *effectiva* potiùs existentiam quàm essentiam tangunt.

3. De causa effectiva in hoc Syllogismo: *Omne corpus grave naturaliter ad suum centrum deorsum movetur; omnis aqua est gravis, ergo naturaliter deorsum movetur.*

4. De causa finali, ut in hoc: *Omne creatum ad æternam & immortalem vitam est immortale; omnis anima est creata ad immortalem vitam, ergo omnis anima est immortalis.*

Adverte tamen causam *finalem* non esse medium perfectissimæ Demonstrationis; quamvis enim inferat certam conclusionem propter evidentem & certam connexionem ac proportionem rei cum suo fine *intrinseco* (implicat enim rem ordinari *intrinsecè* ad finem, tamen finis incapacem esse, ordinari enim ad finem est posse consequi finem) quia tamen finis est causa *extrinseca*, manifestat quidem rem ita esse, sed non rationem & modum quo est, & ideo nec intellectum & sciendi appetitum explet; & idem dicas de causa efficiente, nam & ipsa est extrinseca.

IX. *Quæritur 8.* Utrum Definitio sit medium potissimæ Demonstrationis?

Resp. Etiam Definitio est aptum medium demonstrandi, & subinde quidem definitio subjecti, maximè quando prima passio de illo demonstratur, tunc enim definitio est immediata ejus radix, v. g. *Omne animal rationale est admirativum; omnis homo est animal rationale, ergo, &c.* Subinde verò definitio passionis demonstrandæ, v. g. *Omnis substantia facultate vitali prædita versante circa verum quà tale est intellectiva; sed omnis homo est talis substantia, ergo omnis homo est intellectivus.* Quia tamen paucæ sunt res naturales, qua-

rum nobis definitiones & differentiæ propriæ notæ sunt, ideo etiam definitiones rarò Demonstrationem intrant.

X. *Quæritur 9.* Quid sit, & quando contingat circulus vitiosus?

Resp. Demonstratio circularis aliquando est *vitiosa*, aliquando *utilis*. Dicitur Demonstratio circularis, quando conclusio probatur per certas præmissas, & istæ probantur per conclusionem, v. g. *Petrus est rationalis, ergo est risibilis*: & si aliquis neget Antecedens, in circulum redeas dicendo: *Petrus est risibilis, ergo est rationalis.* Hic verò circulus aliquando est vitiosus, si videlicet conclusio tantùm ex præmissis nota, & non aliunde, assumatur ad probanda principia, tunc enim sequeretur idem omnino & eodem modo esse notius præmissis & esse ignotius: notius quia est medium probandi principia; ignotius, quia est conclusio ex principijs deducta.

Deinde negato antecedente & præmissis negatur etiam consequentia, ergo malè assumitur consequentia ad probandum antecedens, Demonstratio enim fieri debet ex admissis & veris, non ex negatis & falsis.

Aliquando potest circularis Demonstratio utilis esse, si videlicet conclusio aliunde quàm ex præmissis nota assumatur ad principia demonstranda, v. g. *Est copia vaporum, ergo erunt pluviæ*; sunt enim vapores causa materialis pluviarum; Quodsi noscam ab experientia, pluvias copiosas extitisse, possum sic argumentari, *Sunt pluviæ copiosæ, ergo erit copia vaporum*: ubi pluviæ demonstrant vapores, non ut conclusio deducta ex vaporum existentia, sed ut experientiâ notæ.

In Demonstrationibus verò tandem devenitur ad principia aliqua non scita, sed per se nota, & quæ non demonstrantur, sed sunt principia demonstrandi; sicut unitas non est numerus, sed principium numeri, & lux non per aliud, sed seipsâ videtur. Sicut ergo natura in circulos abit, & unum ex alio nasci videmus, vapores ex pluvijs, istas ex vaporibus, fructum ex semine, semen ex fructu, ita absurdum non est eosdem circulos Scientijs concedere.

XI.

XI. *Quæritur 10.* Quid, & quot sint præcognitiones, & præcognita ante Demonstrationem ?

Resp. 1. Ut cognoscantur prima principia, non prærequiritur alia notitia, quàm sensuum & experimentalis, quâ terminos intelligas & res terminis expressas, v. g. ut hanc propositionem intelligas, *Omne totum est majus suâ parte*, sufficit intelligere quid sit totum, quid partes, & hoc experientia, & sensus docent., quotidie enim videmus partes, & totum ex partibus conflatum.

Resp. 2. Ad Demonstrationem aliqua præcognosci oportet. Duæ ergo sunt necessariæ præcognitiones, *An sit*, *& Quid sit*: Tria verò præcognita, *Subjectum*, *Prædicatum seu Passio*, *& Principia.*

Resp. 3. De Prædicato seu Passione præcognosci oportet, *quid sit*? hoc est, & nomen & naturam, saltem in confuso, v. g. demonstras cor duplici motu *Systoles* & *Diastoles* moveri, oportet ut saltem in confuso noveris, quid nomine systoles intelligatur, & quid sit, rei enim omnino ignotæ nec amor sciendi, nec Demonstratio est. Non tamen oportet prænoscere, *Quòd sit*, hoc enim in conclusione probatur, non ergo ante conclusionem prænosci debet.

Resp. 4. De subjecto prænosci oportet, *Quid sit*? saltem quoad cognitionem imperfectam & experimentalem; si enim nescias quid sit cor, de illo nihil probabis aut demonstrabis. Non tamen semper oportet prænosci, *Quod sit*, *tum* quia de multis demonstramus quòd sint, v. g. de materia, de tribus principijs, de infinito; *tum* quia propositiones in materia necessaria & æternæ veritatis abstrahunt ab existentia, ut hæc: *Homo est animal.* Plerumque tamen ab existentia subjecti nobis per sensus noti movemur ad ejus proprietates & accidentia investiganda.

Resp. 5. De medijs seu principijs oportet nôsse, quid rei & quid nominis? nomen est nota, & velut facies externa rei: quid rei prænosci oportet, quia cognitio præmissarum est causa ut cognoscatur conclusio, debet illa ergo præcedere, & si nescias quid sit rationale, non potes scire an sit causa, vel non sit

ſit cauſa, an connectatur vel non connectatur cum riſibilitate.

Et hactenus de Demonſtratione propter quid, nunc aliqua dicenda ſunt de Demonſtratione Quia.

XII. *Quæritur II.* Quid ſit Demonſtratio *Quia*?

Reſp. Demonſtratio *Quia* datur per effectum convertibilem & propriam paſſionem, ut ſi probes Petrum eſſe hominem, quia eſt riſibilis, hæc enim Demonſtratio ex una parte eſt certa & evidens, quia per medium certum & neceſſariò connexum cum prædicato & conſequente; non tamen eſt Demonſtratio *propter quid*, quia non tradit nec oſtendit radicem, verúmque principium, *propter quod* Petrus eſt riſibilis, erit ergo Demonſtratio *Quia*. Si verò Demonſtratio fiat per cauſam remotam non convertibilem, nec erit Demonſtratio *propter quid*, nec *Quia*, ſed pertinebit ad illas Demonſtrationes & Syllogiſmos, quos *Dicticos* appellant; talis eſt iſte: *Omne quod reſpirat, eſt animal; lapis non eſt animal, ergo lapis non reſpirat*: hìc negatio animalitatis infert negationem reſpirationis, & tamen *animal* & *reſpirans* non ſunt termini convertibiles. Si verò Demonſtratio fiat per cauſam remotam, ſed tamen cum conſequenti convertibilem, probabilius eſt eſſe *propter quid*, licèt non perfectiſſimam, v. g. *eſt homo, ergo eſt riſibilis*: & *ratio eſt*, quia non tantùm demonſtratur *quòd* eſt, ſed etiam *propter quid.* Demonſtratio igitur *propter quid* & *quia* Syllogiſmi *Apodictici* vocantur, reliqui verò Syllogiſmi, qui ex neceſſarijs quidem concludunt, ſed neque per effectum, neque per cauſam convertibiles dantur, *Dictici.*

Tales Dicticæ argumentationes ſunt 1. Cùm à genere ad ſpeciem negativè argumentamur, v. g. *Non eſt planta, ergo non eſt cedrus*; cùm tamen cedrus & planta non ſint termini convertibiles.

2. Cùm à ſpecie ad genus; *Eſt homo, ergo eſt animal.*

3. A toto ad partes neceſſarias: *Eſt domus, ergo habet fundamentum*: *eſt homo, ergo habet animam rationalem.*

4. A quarto modo dicendi per ſe: *Jugulatus eſt, ergo interijt.*

5. Huc

5. Huc pertinent argumentationes multæ, quibus accidens commune de subjecto probatur, v. g. *Nebulæ in æstate sunt, ergo grando sequetur: Mater est, ergo filium magis amat, quàm pater: Socius est, ergo eosdem mecum amicos & inimicos habet, &c.* quantumvis enim hæ consequentiæ sint contingentes, plerumque tamen evenire solent, & est necessaria connexio inter antecedens & consequens, non semper quidem quoad actum, qui licèt necessarius, impediri tamen à causa fortiori potest, sed quoad habitum seu connaturalem inclinationem, & impetum causarum, & ut sic datur de hujusmodi contingentibus scientia. Vide Aristot. *l. 1. Poster. c. 10.* & *27.* & ibi S. Thom. v. g. in allato exemplo ideo mater ceteris paribus, & si nihil obstet, magis filium, quàm pater diligit, quia magis diligimus, quæ certò sunt nostra, quàm de quibus dubitamus: sed sola mater est certa sui filij.

Rursus, chariora sunt, quæ majori pretio nobis constant, & quibus maximè assuevimus, & quò pauciora sunt, quæ amantis animum in alia distrahunt: sed filius cariùs matri constat, quàm patri, & diutius illi mater assuevit, & vix aliæ sunt matribus curæ, quàm liberorum, patribus in tot negotia distentis, ac tandem fœminarum amor plerumque constantior, quia cùm naturæ sint frigidæ, semel concepta tenaciùs retinent, ubi ex adverso calor dissipat dissolvítque.

6. Denique ad Syllogismos Dicticos pertinet deductio ad impossibile

XIII. *Quæritur 12.* Utrum Demonstratio *Quia* pariat scientiam?

Resp. Demonstratio *Quia* producit quidem habitum Scientiæ (cùm inferat conclusionem certam, necessariam, & evidentem) non tamen perfectum sed imperfectum, & per modum dispositionis.

Ratio est 1. Quia non procedit per causam rei.

2. Quia ostendit tantùm rem ita esse, non verò quare ita sit, & ideo nec intellectum quietat, sed tantùm disponit ad perfectam scientiam; quia verò hæc imperfectio non sumitur ex intellectu, ejúsque remissa cognitione, sed ex parte medii, ideo

ideo est essentialis Demonstrationi *Quia*, & ideo licèt millies repetita, nunquam tamen perfectam scientiam producet.

3. Ad Scientiam subalternatam pertinet scire *Quia*, ad subalternantem *Propter quid*, ut *postea ducetur*: sed scientia subalternata valde est imperfecta, nec habet statum & apicem scientiæ donec subalternanti, ejúsque principijs jungatur, v. g. hæc argumentatio Scientiæ perspectivæ, *Luna vicinior est terra, quàm stellæ fixæ, ergo major apparet*, non est perfecta donec accedat principium Geometriæ, cui Perspectiva subalternatur, videlicet viciniora ideo majora apparent, quia per majorem angulum videntur; quò enim objectum ejúsque basis remotior; eò lineæ ab objecto ad oculum ductæ minorem & tenuiorem cuspidem formant. Vide S. Thom. *1. p. q. 1. a. 2.* & *q. 14. de Verit. a. 9. ad 3.* & *l. 1. Poster. l. 23. 24.* & 25.

XIV. *Quæritur 13.* Quomodo intelligendum sit illud Aristotelis dictum: *Scientia subalternata seu* Quia, *scientia subalternans* Propter quid?

Resp. Commune illud pronuntiatum Aristotelis *l. 1. Post. c. 10.* Quòd *Scientia subalternata sciat* Quia, *subalternans* verò *Propter quid*, sic intelligendum est, quòd scientia *subalternata*, suas conclusiones deducat ex principijs sæpè experientiâ tantùm, & inductione ac per effectus notis, & quorum principia à priori in sola *subalternante* reperiuntur, v. g Chirurgus solâ experientiâ novit, vulnera rotunda difficiliùs curari, hujus ratio à priori in Geometria habetur in hac propositione: *Figura rotunda quia angulis caret, difficiliùs coit.* Eodem modo Perspectiva ab inductione & experientia novit remota videri minora, sed hujus ratio in Geometria traditur, quia *remota per minores angulos videntur, quàm vicina*, non quòd Geometra se extendat ad conclusiones, & veritates Perspectivæ, aut Chirurgicæ, eásque probet, id enim esset scientias extra suum objectum, & terminos vagari, & ideo Geometra nec de vulneribus, nec de objecto visibili agit, sed quia principium illud generale & Geometricum est applicabile materiæ chirurgicæ, & ex ejus applicatione veritas illa chirurgica & perspectiva illuminatur, & redditur evidenter, & à priori cognoscibilis; sicut v. g. sol non ingreditur sphæram & regionem

gionem lunarem, sed tamen lunam irradiat, quæ ex varia ad solem applicatione variè etiam & magis, minúsque visibilis apparet; si verò hæc applicatio impediatur, ut interlunio & eclipsi, omnino oculum fugit, sic se habent principia Scientiæ *subalternantis* ad principia *subalternata*.



§. III.


DE SCIENTIA ACTUALI ET HABITUALI.

Summaria.

1. *Essentia,*
2. *Et existentia scientiæ declarantur.*
3. *Oportet scientiam esse certam,*
4. *Et evidentem,*
5. *De necessarijs.*
6. *Et universalibus, quod maximè de perfecta &* apodictica *verum est.*
7. *Estque virtus intellectualis.*
8. *Procedens per cognitionem causæ.*
9. *De scientia habituali.*
10. *Scientiæ non solum objectum materiale, sed & formale, quod D. Thomæ est ratio formalis* sub quâ, *admittunt.*

11. *Quomodo dicatur specificare scientias?*
12. *Unitas specifica scientiarum, etiam principia demonstrationis sibi sociat.*
13. *Hæc porrò unitas non desumitur ex objecto materiali.*
14. *Sed unitate rationis formalis* sub quâ, *& unitate principiorum.*
15. *Occurritur Objectionibus.*
16. *Quomodo ex mente Doctoris Angelici habitus scientia sit simplex qualitas?*
17. *De subalternatione scientiarum, & conditionibus ad eam requisitis.*
18. *Scientia subalternata est vera scientia.*
19. *Scientiæ ex primis principijs deducuntur,*
20. *Quorum habitus à potentia intellectiva distinguitur.*
21. *Non potest in eodem Intellectu simul stare* actus Opinionis, *&* Scientiæ.
22. *Nisi* Opinio *ad moralem assurgeret certitudinem, & tunc suum effectum non communicabit Intellectui.*
23. *Idem de* Habitibus Scientiæ, *&* Opinionis *dicendum.*





Icut aliud est visio, aliud potentia videndi; aliud cantus, aliud habitus cantandi, & unum separari ab alio potest; ita aliud est actu scire, aliud habitum sciendi habere, & habitus esse sine actu potest: de utróque agendum est. Accipimus verò Scien-

Scientiam propriè, hoc eſt, non pro quacunque cognitione, ſed pro cognitione certa, evidente, & per cauſas neceſſarias.

I. *Quæritur 1. Quid & an ſit vera ſcientia actualis?*

Reſp. Scientia benè ab Ariſtotele definitur: *Cognitio certa & evidens rei neceſſaria per ſuam cauſam vel effectum convertibilem.* Ex hac definitione colligitur, ad perfectam ſcientiam iſtas conditiones requiri. 1. *Certitudo* ex parte ſcientis, cui ex parte objecti reſpondet certitudo, ſeu infallibilitas objectiva. 2. *Evidentia.* 3. *Principia* ſeu præmiſſæ demonſtrativæ, quales ſuprà deſcriptæ ſunt. 4. *Objectum neceſſarium, per ſe, ac reale.* De quibus omnibus ordine dicendum.

II. *Reſp. 2.* Datur aliqua & vera ſcientia. Cratilus Philoſophus negabat dari ſcientiam poſſe, res enim creatas in perpetuo fluxu motúque eſſe, & in momenta variari, & ideo aſſeri de illis nihil poſſe; ſi enim de roſa dixeris *floret*, jam forſan defloruit: & de ſole *lucet*, jam fortè eluxit, occidítque: & de igne *ardet*, jam forſan arſit & in fumum evanuit: & ideo nec verbis utebatur, ſed ſolo nutu, digitíque motu, quòd crederet priùs rem emori, finiríque, quàm orationem & verba. Eadem *Pythagoræ*, & *Socratis* opinio fuit. Plato duos Mundos conſtituebat, unum intelligibilem, alterum ſenſibilem; in hoc veritatem reperiri negabat, ſed ſolam veriſimilitudinem & apparentiam: in illo veritatem eſſe, ſed nobis occultam, qui omnia à ſenſu diſcimus; ſicut ergo alius in aula Rex, alius in theatro, in hoc larva & mendacium, in illa majeſtas vera; ita in Mundo ſenſibili larvas tantùm veritatis, & fucum videri.

Idem *Plato*, & cum illo *Academici* animas perpetuas eſſe ac æternas dicebant, & naturaliter ac ſine ſtudio rerum omnium ſcientijs, perinde ac cœlum ſtellis, ornatas extitiſſe, cùm verò corpori jungerentur, hauſto oblivionis poculo ſcientias illas omnes obliteratas, vel potiùs tectas eſſe, & paulatim ſtudio ac labore excitari, eo ferè modo, quo ſcintillæ ignis cinere conteguntur, & hoc paulatim eventilato gliſcunt iterum, emicántque: ſolam ergo *reminiſcentiam*, non verò novas ſcientias

 admit-

admittebat. *Democritus* veritates & ſcientias rerum puteo quærebatur immerſas, fundo impervio & inacceſſo. Vide S. Thomam 7. *Metaph. lect.* 24. & 1. *p. q.* 14. *c.* 3. & *l.* 2. *contra Gent. c.* 83.

Ratio Concluſionis eſt 1. Si Argumenta Platonicorum & Cratili aliquid evincunt, ſequeretur nullas omnino cognitiones certas & indubitatas dari; ſed negari non poteſt, aliquas dari, quis enim non certò cognoſcit lapidem deorſum moveri, Platonem mortuum eſſe, meridie ſolem lucere, roſam ſpinis involvi, &c. ? vel ergo hæ cognitiones ſunt incertæ & tantùm veriſimiles, vel ſunt certæ & indubitatæ? ſi primum? cur ſemper, cur omnib⁹ eodem modo apparent? quæ enim incerta & fucata ſunt, alijs aliter apparent, & tandem ab aliquo, & poſt multum temporis falſitas deprehenditur, aut ſaltem dubitatur, de illis verò nemo unquam dubitavit. Admove igni manum, ſpinis pedem, & dubita an hæc pungat, ille urat. Si *Apelles* penicillum & colores tabulæ admoverit, certò prodibit imago: ſi *Polycletes* in marmore aut ære laboraverit, certò erit ſtatua: ſi *Archimedes* lineas pulveri inſcripſerit, certò machina videbitur: ſi triticum ſeveris, certè non emerget arbor: ſi pomum plantaveris, certè uvas non dabit; ſi ergo regulæ artis certæ ſunt, & certò, niſi aliquid obſtet, unum, non alium effectum producunt, oportet cognitiones quoque Artificis certas eſſe ac infallibiles, ab his enim regulæ & effectus artis ſunt. Quodſi admittas dari cognitiones aliquas certas & indubitatas, ergo ex iſtis deduci aliæ certò & neceſſariò poſſunt (ex cauſa enim neceſſaria naſcitur effectus neceſſarius, & quod cum vero connectitur, neceſſariò eſt verum) ergo iſtæ erunt cognitiones ſcientificæ, nihil aliud enim eſt ſcientia, quàm cognitio neceſſaria ex neceſſarijs deducta.

2. Falſum quoque eſt fundamentum negantium ſcientias, dicunt enim omnia mutari & nihil perpetuum eſſe: at hoc eſt falſum, ut patet in Deo, in Angelis, in cœlis, in anima rationali, in eſſentijs & proprietatibus rerum, ſemper enim verum eſt, ſi Petrus exiſtit, eſt homo; ſi homo exiſtit, eſt rationalis, &c. hæc quidem propoſitio, *Petrus exiſtit*, non eſt ſcibilis à priori, quia

quia non habet causam necessariam, est tamen à posteriori, quia habet effectus necessariò cum existentia connexos, & ita hæc consequentia est evidens & scientifica: *Petrus currit, ergo existit.*

3. Scientia est cognitio per suam causam; sed cognosci aliquid potest, & simul ejus causa, cur enim causa non sit cognoscibilis? cognosco diem esse, quia sol est; cognosco ignem sursum rapi, quia levis est: cognosco in infantibus caput notabiliter, & super alias partes corporis augeri, quia alimentum, quo sæpè vescuntur, & viscosa humiditas, quæ in illis abundat, calore naturali sursum, & in caput agitur, unde illi augmentum, &c.

4. Qui dubitant, sciunt se dubitare, ergo hoc saltem sciunt, & si hoc sciunt, certóque cognoscunt, cur non æquè alia multò certiora? multò enim certius est nivem esse albam, quàm Academicos dubitare an sit alba, hoc enim multis ignotum est, à multis negatum, illud certum, & negatum à nemine; si ergo dari scientia potest de rebus incertis, dubijs, à multísque negatis, cur non de rebus certis, indubijs, & quæ nemo unquam negavit?

5. Si nescimus quid sit verum, ergo neque quid sit vero simile; sicut fieri nequit, ut cognoscas Chrysippum Socrati similem esse, si Socratem non agnoscas; falsum ergo est, quod Academici dicunt, verisimile tantùm à nobis, non verum agnosci.

6. Voluntas nihil amat, aut vult, nisi intellectus amanda cognoverit, si ergo, ut ajunt Academici, Sapiens nihil approbat, ne se committat periculo falsæ assertionis, quod temeritatis est, ergo voluntas æquè sine temeritatis periculo nihil amare aut odisse, prosequi aut fugere debebit: oportebit ergo sapientem dormire, & expertem omnium officiorum, ac virtutum vivere, eadem ergo sapientis vita & gliris erit totam hyemem somno acquiescentis. Vide S. Aug. *l. 3. contra Academ.* Damasc. *in Dialect. c. 1.* Tertull. *l. de An.* Scotum in *1 d 3. q. 4*

III. *Quæritur 2. An Scientia debeat esse certa, & evidens?*

Resp. 1. Oportet Scientiam esse *certam*; per hoc enim Scientia distinguitur ab opinione. *Certitudo* autem est triplex, *objecti*, *cognitionis*, *& cognoscentis*. *Objecti* certitudo idem est, quod ejus necessitas & infallibilitas. Certitudo *cognitionis* est hujus infallibilitas, cui falsum subesse nequit, nec semper oritur ex necessitate objecti, ut patet in fide, quæ est de rebus contingentibus, & tamen certa: certò agnosco Petrum currere, & tamen id contingit: & econtrà potest opinio esse de re necessaria, quia nobis ejus necessitas non apparet. Certitudo *cognoscentis* est firma intellectûs adhæsio ad rem ut veram, & hæc potest cum falso conjungi. Ad Scientam ergo triplex hæc certitudo requiritur, scientia enim est de objecto necessario & ex præmissis necessarijs, unde oritur certitudo cognitionis, & cognoscentis.

IV. *Resp.* 2. Oportet Scientiam esse *Evidentem*. *Nota* Evidentiam nihil aliud esse, quàm *claram rei cognitionem*, aliud enim est rem aliquam certò, aliud clarè agnoscere: multa eminus, & procul, ac certò videmus, nec tamen clarè: certissimum mihi est, Aristotelem, Ciceronem, Plutarchum vixisse, quos tamen nunquam vidi, & de quibus nulla mihi clara & evidens cognitio: mysteria fidei certò cognoscimus, sed non clarè. Evidentia verò est duplex, *Sensûs* & *Intellectûs*. Evidentia *Intellectûs* alia est *visionis*, quæ etiam *intuitiva* & *immediata* vocatur: alia *Intelligentiæ*. Illa est, quâ res & veritas aliqua immediatè & in seipsa, ac sine discursu cognoscitur, & hoc modo prima principia cognoscuntur. Evidentia *Intelligentiæ* est, quâ res clarè quidem, sed mediante discursu cognoscitur, & hæc ad scientiam est necessaria. Prima ergo principia ideo dicuntur evidentia, quia seipsis immediatè illuminant & determinant movéntque intellectum ad assensum (sicut lux applicata oculum ad visionem determinat) nec indigent auctoritate aliquâ extrinsecâ, motúque ac impulsu voluntatis sicut assensus fidei, qui evidens non est, nec immediatè ad propositionem objecti, sed ad extrinsecam auctoritatem imperiúmque voluntatis sequitur.

In Scientijs & cognitionibus naturalibus certitudo ex evidentia nascitur, S. Thom, *de verit. q. 14. a. 9.* veritas enim obscura

ta & obscurè proposita intellectui appareat, tanquam quæ possit esse & non esse, ergo intellectus ita judicat illam esse, ut simul judicet forsan non esse, ergo non est certus. Conclusiones verò ex primis principijs deductæ ideo sunt evidentes, quia necessariam connexionem cum illis habent, & ob hanc connexionem participant vim illuminandi & determinandi intellectum ad assensum sine formidine. Hanc evidentiam scientijs necessariam esse docet expresè S. Thomas *1. 2. q. 67. a. 3.* & *in 3. d. 23. q. 2. a. 4. quæstiunc. 1.*

Cur ergo admittit S. Thomas Theologiam veram esse scientiam, cùm tamen nitatur unâ saltem præmisâ fidei, & consequenter sit inevidens?

℟. Quia censet sufficere ad scientiam subalternatam, ut habeat evidentiam principiorum in scientia subalternante, Theologiam verò subalternari visioni Beatificæ. Vide S. Doctorem *1. p. q. 1. a. 2.* & *opusc. 70. q. 2. a. 2.*

V. *Quæritur 3.* An detur Scientia de *contingentibus*?

Resp. Scientia est tantùm de necessarijs, non verò de *contingentibus*.

Ratio est 1. Scientia patitur Demonstratione, hæc verò constat principijs necessarijs, ex necessarijs verò sequitur necessarium.

2. Scientia est cognitio certa, & sine omni formidine, ergo est de objecto non excludente certitudinem, nec admittente formidinem: sed contingentia quà talia excludunt certitudinem, contingens enim, *ut contingens*, potest esse & non esse, nec habet certas sui causas, ergo sciri per certas causas non potest.

Objicitur 1. Hic Syllogismus: *Omne animal dum currit, calefit: Petrus currit, & est animal, ergo Petrus calefit.* Hæc conclusio est contingens, & tamen certò ac evidenter cognoscitur.

℟. Hæc propositio, *Petrus calefit*, *absolutè* est contingens, *secundùm quid*, & *datâ hypothesi*, quòd currat, est necessaria (calor enim necessariò ex cursu provenit) & ut sic cognosci certò & evidenter potest. Similiter illa propositio, *Petrus currit*, absolutè est contingens, datâ tamen hypothesi, quòd currat, & in *sensu composito*, est necessaria & evidenter cognoscibilis, imò per se nota

ta quoad sensum (video enim currentem) & ut sic potest servire Demonstrationi saltem imperfectæ.

Objicitur 2. Deus cognoscit certò & evidenter futura contingentia, habent ergo certam & evidentem cognoscibilitatem, quid ergo impedit sciri posse?

℞. 1. Deo omnia præsentia sunt in mensura æternitatis (æternitas enim correspondet, & coëxistit omni tempori, sicut centrum toti peripheriæ) præsens autem *ut præsens* & *in sensu composito* est certum & necessarium, ergo ut sic cognosci certò potest.

2. Aliud est rem certò & evidenter cognosci, aliud sciri; objecta enim sensibilia & prima principia certò cognoscuntur, non tamen sciuntur. Futura ergo contingentia cognosci certò à Deo possunt, quia illi præsentia, non tamen sciuntur, quia non habent certas & intrinsecas sui causas, si præcisè & in se spectentur, sine connexione ad divinam & infallibilem voluntatem. Vide S. Thom. *1. p. q. 14. a. 13.*

VI. *Quæritur 4.* Utrum de singularibus detur vera scientia?

Resp. De singularibus non datur scientia, saltem perfecta & *apodictica.*

Ratio est 1. Demonstratio perfecta & *apodictica* est de prædicatis reciprocis & formaliter ac per se competentibus subjecto: sed individua nulla hujusmodi reciproca & necessaria prædicata habent, cùm enim v. g. concludis, *ergo Petrus est risibilis*, risibilitas est prædicatum Petri, non ut individuum est (aliàs soli Petro conveniret) sed ut homo est.

2. Singularia nullas habent proprietates, quæ demonstrari de illis possint, quæ enim illæ? aut si habent, nobis occultæ sunt, nec hactenus ullæ in lucem productæ, aut nominatæ: si tamen aliquæ essent, dari de illis scientia posset, ut de Christo & Deo. Dantur tamen de singularibus evidentes certæque cognitiones & Demonstrationes Dicticæ in *Darij*, in *Ferio*, *&c.* & in Astrologia de hac solis aut lunæ eclipsi, &c.

De *ente per accidens*, hoc est, ex pluribus, cum aliquo tamen ordine, compositis dari potest scientia, quia tali compo-

ſito poſſunt aliquæ & neceſſariæ proprietates competere; & ita Scientia Medica de pharmacis, Politica de Republica, Arithmetica de numeris agit.

VII. *Nota*: Scientia in hoc convenit cum alijs habitibus intellectualibus, quòd ſit virtus intellectualis, hoc eſt, recta diſpoſitio: tunc verò eſt recta, cùm intellectum ita firmat, & defigit in verum, ut certò illi & ſine formidine adhæreat; ſi enim intellectus deficere poſſit ad falſum, non eſt circa verum perfectè diſpoſitus. Quomodo ab alijs habitibus differat, patebit ex infrà dicendis.

VIII. *Quæritur 5.* Utrum omnis perfecta cognitio debeat eſſe per cauſam?

Reſp. Scientia hoc ipſo, quòd eſt perfecta rei cognitio; debet procedere per cognitionem cauſæ.

Ratio eſt 1. Ex dictis de Demonſtratione.

2. Cognitio eſt imago rei prout res eſt; ſed eſt à parte rei per cauſas.

3. Intellectus rem cognoſcens non ejus cauſam, eſt inquietus, nec illi cognitioni acquieſcit, donec cauſam reperiat, & hâc repertâ ſatiatur & gaudet, ergo talis cognitio eſt imperfecta; ſicut enim forma perfecta appetitum materiæ, & bonum perfectum appetitum voluntatis, ita verum perfectè cognitum appetitum intellectui innatum ſatiat, & ſi non ſatiat, non perfectè cognoſcitur, v.g. intellectus experientiâ cognoſcit, *appetitum acidis provocari, & mordicantibus*, nec tamen pacatur, niſi cauſâ repertâ, quia cùm valde ſint appetibilia & mordicantia fibras ſtomachales, & ipſum os ſtomachi quâdam titillatione & pruritu aperiunt, & calorem naturalem fodicant, excitántque.

4. Ariſtoteles *2. poſter.* docet, per cauſam ſolvi poſſe omnes quæſtiones circa rem, *an ſit, quod ſit, qualis ſit, & propter quid ſit*; cùm enim omne ens creatum ſit cauſatum, quidquid habet, à cauſa habet, & per cauſam probari poteſt, etiam rei eſſentiam per cauſas materiales & formales cum phyſicas tum metaphyſicas probamus: & in omni inquiſitione ſpeculativa quærimus cauſam ſeu rationem aliquid ſciendi, in practicis verò

causas & rationes aliquid faciendi, v. g. ægrotus quærens & appetens sanitatem, rationes simul causásque eam consequendi quærit. Cognitio etiam intuitiva, si est perfecta, aut est *virtualis* discursus, & consequenter scientia, aut saltem cognoscit effectum eiúsque causam ac connexionem utriúsque, & ita æquivalet scientiæ. Quodsi cognitio sit perfectissima, attinget omnes rei causas, etiam increatam; nulla enim est perfectio creata, quæ Deum non habeat pro causa ideali & finali, sitque ejus pulchritudinis, ac perfectionis manifestativa: vix tamen datur scientia humana tam absoluta, quæ omnes rei causas creatas & increatas attingat.

5. Cognitio rei ut est in se, non cognitâ causâ, aut cognitio per effectum, est ad unum objectum limitata, & ipsum objectum cognoscitur tantùm pro tempore, in quo est; cognitio verò per causas est valde universalis, & ad multos effectus ac veritates extensa, nec pro uno tantùm tempore, v. g. qui hodie sereno sudóque cœlo experitur majus esse frigus, quàm heri aëre nubibus obducto, nec causam novit, nesciet, an cras, an perendie & deinceps idem frigus sit duraturum, nec poterit rationes solvere, quæ illam experientiam videntur impugnare, ut siquis arguat: Sereno cœlo possunt stellæ & sol suum calorem liberiùs & sine impedimento diffundere, ergo magis aërem calefacere. At verò qui causam novit (ideo videlicet majorem calorem in terris esse cœlo nubilo quàm sereno, quia nubes densæ frigidæque impediunt, ne calor terrestris dissipetur & in altum evolet, & istum nativo frigore in terras repellunt includúntque, calor verò inclusus major & intensior est: *deinde* cùm nubes sint exhalationes siccæ & calidæ, & ideo leves, etiam ipsæ calorem directè augent causántque) etiam effectûs cognitionem habet, nec tantùm pro tempore, quo illum experitur, sed pro omni tempore, quo eadem causa fuerit, & facillè solvet quæ in contrarium opponuntur.

Quanti intersit rem & causas sciri, maximè apparet in scientijs practicis, v. g. qui novit eum, qui capite vehementer dolet, præcepto jejunij non obligari, nec scit causam, parum novit

novit, & in alijs casibus facilè errabit: qui verò causam novit (quia videlicet leges humanæ non obligant cum gravi damno) infinitas simul veritates, & conclusiones perspectas habebit.

IX. *Quæritur 6.* Quid sit Scientia Habitualis?

Resp. Scientia Habitualis est *habitus intellectûs certus & evidens rei necessariæ per causam.* Patet ex dictis. Hujus verò Habitûs Scientifici unitatem & distinctionem sequentibus conclusionibus aperire aggredimur, rem utique difficillimam, & tamen ubique obviam.

X. *Quæritur 7.* Utrum in omnibus Scientijs sit admittenda aliqua *ratio formalis sub quâ?*

Resp. In Scientijs admitti debet non solùm objectum *materiale*, sed etiam *formale*, quod S. Thomas *rationem formalem sub Qua* appellat *2. 2. q. 1. a. 1.* & nihil aliud est, quàm *ultima formalitas & cognoscibilitas objectiva, per quam aliquod objectum ita uni scientiæ aut potentiæ proportionatur respondétque, ut sub ea ratione attingi ab alia potentia aut scientia non possit*; scientiæ enim sunt limitatæ, nec extenduntur ad quodlibet objectum, sicut nec potentiæ, ut patet; imò nec uni objecto integrè cognoscendo, aut consequendo una potentia, aut scientia sufficit; color v. g. est una & simplex qualitas, ut tamen visibilis (quod fit per species visibiles pyramidaliter diffusas) ad solum oculum spectat: ut intelligibilis (quod fit per species intellectuales multò universaliores, & quæ rationes abstractas entis, accidentis, qualitatis repræsentant) ad solum intellectum; ut inserviens imaginum delineationi, ad artem pictoriam: ut amabilis & appetibilis, ad voluntatem: ut sanitatis & morborum indicativus, ad artem Medicam, &c. ubi vides colorem esse objectum materiale, quòd à multis Scientijs & potentijs attingitur, sed sub alia semper & alia ratione, quàm vocamus *rationem formalem sub Qua.*

Ratio ergo conclusionis est 1. ex modò dictis de limitatione Scientiarum, & potentiarum.

2. Inductione; in omnibus enim scientijs hujusmodi *ratio formalis sub qua* reperitur. In *Theologia* objectum *materiale* est omne ens increatum, & creatum ut increati manifestativum:

ratio verò formalis est divina revelatio *virtualis*, in quam tandem omnia principia Theologica resolvuntur. In *Metaphysica* objectum *materiale* est ens, *formale* quà ens, hoc est, ut abstractum ab omni materia individuali, sensibili, & intelligibili, nec enim agit de hoc vel illo singulari, nec de qualitatibus, ut cadunt sub sensum, sicut Physica, nec de materia intelligibili ut est receptiva formarum; & tandem omnia principia metaphysica resolvuntur in principia entis realis. In *Physica* objectum *materiale* est Corpus naturale, sed non sub tota sua latitudine (nec enim ut creatum ad æternam felicitatem, quomodo pertinet ad Theologiam; nec ut sanabile, quomodo pertinet ad Medicinam; nec ut verum & bonum, quomodo ad Metaphysicam &c.) sed ut naturale, hoc est, ut principium motûs & quietis &c. *naturalitas* ergò est *ratio formalis*. Objectum *Logicæ materiale* sunt tres mentis operationes non quomodocunque; nec enim ut vitales, ut essentiæ, &c. sed ut dirigibiles, & ideo dirigibilitas est ratio *formalis sub quâ* Logicæ.

Ubi *adverte* omnia principia Logicæ in eo convenire, quòd omnia conducant ad directionem trium mentis operationum: omnia principia Metaphysicæ, quòd demonstrent aliquas veritates de ente *ut sic*, & ideo omnia principia Logica & Metaphysica habent sufficientem unitatem specificam *in esse scibilis* (quamvis non semper *in esse rei*) quia manifestant unam aliquam rationem objecti, quæ ut sic in alias non dividitur; corpus enim naturale *ut sic* non dividitur per aliam specificam differentiam corporis naturalis *ut sic*: & color ut visibilis non dividitur per alias visibilitates specie differentes.

Dices: Etiam animal non dividitur per animalitates specie distinctas, sed tantùm per differentias rationalis & irrationalis, & tamen non habet unitatem specificam, sed tantùm genericam, ergo idem dicendum erit de visibilitate v. g. colorum, aliter enim niger, aliter albus videtur, aut si eodem modo videntur, dicam quoque animalis gradum eodem modo reperiri & operari in homine & bruto, cur ergo animalitas sit gradus tantùm genericus, & non æquè visibilitas colorum? & si est gradus tantùm genericus, quomodo specificat potentiam, & tamen gradus ani-

ma-

malis non specificat hominem aut brutum? Idem Argumentum fieri potest de omni *ratione formali sub qua* respectu omnium scientiarum.

℞. Homo & brutum in ratione animalis specie non differunt, dicunt enim omnimodam similitudinem in modo & principijs sentiendi, & ita animal ut principium sentiendi est species, non genus, unde hoc exemplum nostram sententiam confirmat, non impugnat; nam etiam color niger & albus in ratione visibilis omnimodam dicunt similitudinem & convenientiam, habéntque unitatem specificam, & hanc potentiæ tribuunt, nec visibilitas colorum ut objectum potentiæ visivæ per aliam visibilitatem, aut differentiam specificam magis contrahitur aut determinatur, quod fieri oporteret, si aliam unitatem quàm genericam haberet. Animal tamen respectu rationalis & irrationalis est genus, quia gradus sentiendi conjungitur per identitatem cum gradu ratiocinandi, & ab hoc notabiliter perficitur, sicut materia perficitur à forma; visibilitas autem colorum ut objectum visûs non contrahitur per aliam differentiam, ut dictum est.

XI. *Quaritur 8.* An ad specificandas Scientias præter *rationem formalem sub quâ*, sit necessaria aliqua abstractio à materia?

Resp. Ut objectum Scientiam aliquam specificet, oportet à materia aliquo modo abstractum esse. Est ferè *communis* omnium Philosophorum, exceptis paucis è Recentioribus, quorum nec auctoritas, nec rationes tanti sunt, ut in eorum gratiam operæ pretium sit à trita & regia secedere. Vide Aristot. *6. Metaph. c. 1.* & *l. 12. c. 16.* & *1. de Anim. c. 1.* S. Thom. *opusc. 10. q. 5. a. 1.* & *opus. de virt. q. 2. a. 4.* & *l. Poster. c. 23. Lect. 41.* & *1. p. q. 3. a. 3.* & *1. 2. q. 54. a. 2.* Pro explicatione hujus Conclusionis, quam omnes supponunt & nemo satis explicat,

Notandum est, triplicem assignari materiam, quæ impedit & obnumbrat scibilitatem objecti, & consequenter abstrahi objectum potest, ut scientiam specificet, & quò perfectior est abstractio, perfectior etiam erit scibilitas objecti, & consequenter etiam scientia, quam specificat: sicut enim corpus densum mi-

nùs est receptivum lucis, quàm diaphanum & pellucidum, ità ens materiale, quò magis tale est, minus habet cognoscibilitatis, & veritatis, quæ sciri possit, ut patebit ex dicendis.

Prima igitur est *materia singularis*, hæc absolutè impedit objectum sciri, & ideo omnis scientiæ objectum abstrahit à singularibus, singularia enim *ut sic* sunt mutabilia, infœcunda, ignota (quoad differentias numericas substantiales) infinita, inordinata, nec cadunt in nostram cognitionem, nisi per differentias merè contingentes. De Deo quamvis singulari datur scientia, quia est causa effectiva, finalis, & idealis rerum omnium existentium & possibilium, & ita *essendo & causando universalis*.

Secunda est *materia sensibilis*, hoc est, ut effecta qualitatibus sensibilibus: hæc materia non impedit quidem objecti scibilitatem, imò Physica de sensibilibus agit, v. g. de primis qualitatibus, calore, frigore, &c. saporibus, coloribus, sonis, &c. & ex sensibilium experientia (v. g. eclipsibus, motu, ortu, interitu) ad eorum causas indagandas procedit. Habent etiam sensibilia causas necessarias, per quas demonstrari possunt, eclipsin enim lunæ demonstramus per umbram terræ, calorem infimæ regionis aëreæ, per reflexionem radiorum solarium.

Negari tamen haud potest ab hac ipsa concretione cum materia sensibili multùm scientias impediri, adeò ut quamplures Philosophi negaverint scientiam de rebus naturalibus dari, & ratio est, *tum* quia res sensibiles ut tales sunt singulares, de singularibus verò non est scientia: & quamvis intellectus abstrahat à singularibus species universales, istæ tamen retinent semper aliquid de imperfectionibus singularium, à quibus abstractæ sunt, sicut aquæ ex floribus aut herbis extractæ ac distillatæ semper aliquid odoris & qualitatis habent suorum florum, & prunus ceraso insertа aliquid ex pruno sapit, olétque: *tum* quia scientia rerum sensibilium à sensibus est, isti verò sæpe falluntur, maximè objecto non satis applicato, aut medio infecto, aut organo corrupto: *tum* quia experientia sensuum raò est universalis, & ideo non potest intellectum inducere ad ferendum judicium univer-

sale

fale; ficut enim non valet hæc confequentia: *Homo neceſſariò reſpirat equus neceſſariò reſpirat; bos neceſſariò reſpirat, ergo omne animal neceſſariò reſpirat*, ita nec iſta: *Ignis A neceſſariò calefacit, ignis B ignis C neceſſariò calefacit, ergo omnis ignis*: *tum* quia res ſenſibiles licèt habeant cauſas neceſſarias, ſæpè tamen ab alijs cauſis fortioribus impediri poſſunt, ne eveniant, & ita de illis non poteſt ferri abſolutum judicium, ſed tantùm conditionatum, niſi aliud impediat, v.g. eſt mater, ergo neceſſariò amat filium, niſi alia & fortior paſſio impediat: Leo & lepus habent palpebras breves, ſtrictáſque, ergo dormiunt oculis apertis, niſi aliud occurrat, quod palpebrarum brevitatem & defectum ſuppleat: Animalia domeſtica meliùs nutriuntur, minúſque curſu & labore exercentur ſilveſtribus, ergo cæteris paribus, & niſi aliud accedat, ſunt fœcundiora.

Tertia eſt *materia intelligibilis*, hoc eſt, *quantitas*; hanc conſiderat Mathematica ut abſtractam ab omni materia ſenſibili, agit enim de lineis, de triangulis, de ſphæris, circulis, abſtrahendo, an ſint colorati, frigidi, calidi, mobiles, &c. Dantur de quantitate tam continua, quàm diſcreta veræ Demonſtrationes, v.g. linea parallela ſecundùm omnes ſui partes ab alia æquidiſtat, ergo etſi in infinitum producatur, nunquam cum alia concurret: linea recta intra eadem puncta minus occupat ſpatij, quàm circularis, ergo ſemper eſt brevior circulari: Numerus ſenarius bis continet tria, & octonarius bis continet quatuor, ergo ſenarius & octonarius æqualem habent proportionem.

Habet quidem Mathematica Demonſtrationes valde evidentes evidentiâ tam ſenſibili, quàm etiam rationali, dependent enim à certiſſimis & evidentiſſimis axiomatibus, v.g. *Quæ eidem ſunt æqualia, etiam ſibi ſunt æqualia*, ut ſi numerus *A* & C ſint æquales numero *B*, etiam ſibi æquales erunt. *Si æqualibus adduntur æqualia, etiam tota ſiunt æqualia*; ſi enim numeris 2 & 2 addas alios æquales 4 & 4, fient *6* & *6*, qui numeri ſunt æquales, &c. Patiuntur tamen etiam veritates mathematicæ ſuos defectus, *tum* quia dependent à ſenſibus, ut proportiones ſonorum, partium, motus cœleſtes, lineæ viſibiles, &c. *tum* quia nimis remotæ pendent ab illis

illis principijs per se notis, v. g. ex hoc principio; *Quæcunque sunt uni tertio æqualia, sunt etiam æqualia inter se*, deducitur hæc conclusio: *Ergo super datam lineam rectam describi potest triangulus æquilaterus*: cùm ergo conclusiones mathematicæ sint à principijs valde remotæ, facilè in eorum applicatione error contingere potest, & certitudo rationalis deficere: *tum* etiam quia praxes & speculationes mathematicæ à varijs instrumentis dependent, in quibus ex artificum ignorantia, incuria, ex defectu applicationis, medij, halucinari in promptu est, *tum* quia Mathematica nullius entis realis naturam & essentiam considerat ut in se est, hoc enim ad Physicam vel alias scientias pertinet, sed ut imaginationi subest, sub qua ratione nulla res est causa, & principium suarum passionum: *tum* quia principia, quibus Mathematici suas conclusiones demonstrant, talia sunt, ut etiamsi non essent, nihilominus proprietates darentur; non ergo demonstrant per causas proprias & *per se*, sed *per accidens* & *extraneas. Antecedens probatur.* Demonstrant latera trianguli esse æqualia, quia sunt latera ducta ad circumferentiam æqualium circulorum: *tum denique* quia passiones, quæ in Mathematica demonstrantur (loquor de puris Mathematicis, non de mixtis) omnes ferè sunt contingentes & casuales, v. g. super data recta linea triangulum construi, triangulum esse æquilaterum, &c.

Metaphysica verò, quia abstrahit ab omni materia singulari sensibili & intelligibili, considerat enim naturas, quæ secundùm se extra omnem materiam esse possunt, ideo etiam est certissima, & superat certitudinem Mathematicam, *tum* ex parte objecti, quod quò magis est à materia separatum, eò nobilius & immutabilius ac certius est, *tum* ex parte principiorum, tradit enim & considerat, explicàtque omnes terminos, ex quibus principia aliarum scientiarum constant, v. g. quid ens, existentia, substantia, accidens, totum, partes, actus, potentia, possibile, impossibile, & tandem deducendo ad impossibile per illud generalissimum & notissimum, *Quodlibet est, vel non est*, in quod resolvitur tandem tota ars Syllogistica, & consequenter omnes scientiæ. De quo vide Suar. *d. 3. Metaph. sect. 3.*

Patet

Patet ergo ex jam dictis, ut objectum reddatur scibile, necessariam esse aliquam abstractionem à materia, & quò magis ista removetur, eò certius objectum reddi, suámque certitudinem in scientiam derivare, & inductione etiam patet, agentia immaterialia magis esse cognoscitiva, ut in Deo, Angelis, animalibus; & inter sensus externos oculus, quò nobilior & immaterialior, eò etiam nobiliores exercet operationes, magísque objectum suum cognoscit: sicut ergo immaterialitas *subjectiva* est ratio cognoscendi & intelligendi, & ideo S. Thomas *1. p.* probat Deum esse intellectivum, quia est immaterialis; ita immaterialitas *objectiva* est ratio, ut objectum reddatur scibile, objectum enim separatum à materia redditur magis intellectui proportionatum, & consequenter magis intelligibile, intellectio enim fit per assimilationem; tantò autem faciliùs objecto suo Intellectus assimilatur, quantò magis objectum proportionatur intellectui, sicut & elementa symbola faciliùs transmutantur, & ignis faciliùs agit in arida, & tenuia, quàm in humida & densa, quia illa propiùs ad naturam ignis accedunt.

XII. *Quaeritur 9.* An ad Unitatem Scientiarum sit etiam necessarium lumen principiorum?

Resp. Ad unitatem specificam scientiarum pertinent etiam, & concurrunt principia Demonstrationis. Expressè Aristoteles *l. 1. Poster. c. 23.* & ibi S. Thomas *lect. 41. & q. 9. de verit. a. 1. & 1. 2. q. 54. a. 2. ad 2. & 2. 2. q. 1. a. 1. & 1. p. q. 1. a. 1.*

Nota, quòd sicut colores illustrari possunt & reddi actu visibiles non per unam tantùm lucem, sed per multas & diversas, v. g. solis, lunae, facis, gemmae, &c. ita & veritas aliqua & conclusio deduci & manifestari potest per diversa principia, v. g. haec propositio: *Deus de rebus etiam minimis providentiam gerit*: demonstrari potest per principia *Theologica* hoc modo: Deus providentiam habet de passeribus, de folijs arborum, de capillis capitis, de lilijs agri, ut patet ex Evangelio: at haec sunt minima, ergo de minimis providentiam habet. Haec Demonstratio est Theologica non tantùm ex parte principiorum, sed etiam ex parte conclusionis demonstratae, haec enim in hoc Syllogismo cognoscitur non omni ratione & modo, quo cognosci

poteſt, ſed ut deducta, ut illata, ut connexa, & ut cognoſcibilis per principia revelata; ſpecificat ergo cognitionem, ut eſt cognoſcibilis, & ſcientiam, ut eſt ſcibilis (ſicut color ſpecificat viſum ut viſibilis, non ut appetibilis aut intelligibilis) ſed in prætacto Syllogiſmo providentia divina eſt tantùm cognoſcibilis per principia illa Theologica & revelata, ergo ut ſic & non aliter ſpecificat ſcientiam & cognitionem, ergo principia pertinent ad ſpecificationem concluſionum & ſcientiæ actualis, & conſequenter ad ſpecificationem ſcientiæ habitualis, habitus enim talem ſpeciem habent qualem actus habent, nam ex actu cantandi generatur habitus cantandi, non pingendi, aut fidibus ludendi. Poteſt etiam eadem concluſio de providentia Dei etiam in minimis demonſtrari principijs *Phyſicis* hoc modo: Providet Deus Halcyonum partui, ſedatis compreſsíſque ventis, quamdiu ad mare fœtificant; providet Deus minimis etiam floſculis datis fibris, quibus alimentum attrahant, & ſemine, quo propagentur: providet Deus formicis dato illis inſtinctu, quo in hyemem grana convehant, & morſu corrodant, ne herbeſcant, &c. atqui hæc ſunt minima. Poteſt etiam *Metaphyſicè* demonſtrari. Deus eſt infinitæ ſapientiæ & bonitatis, ergo non laſſatur nec impeditur à gubernatione Mundi, curâ rerum finitarum. Plus eſt producere, quàm producta dirigere aut curare: Deus etiam minima produxit, ergo & curat. Et *deducendo ad impoſſibile*: Minima, quorum, ut dicis, nulla eſt Deo cura, vel ſunt, vel non ſunt? Si ſunt, utique illis Deus providet, quia conſervat, niſi enim conſervaret, perirent: quis verò dicat Medicum ægroto non providere, cui vitam fugientem remedijs conſervat & ſanitati reddit? ſi non ſunt, curâ & providentiâ non egent. His ergo exemplis habes eandem concluſionem varijs principijs demonſtrari poſſe, & pro varietate principiorum alias & alias habere cognoſcibilitates, & ita ad alias & alias ſcientias pertinere.

Concluſionis ergo ſic explicatæ *Ratio eſt* ex dictis: Objectum ſpecificat ſcientias prout eſt ſcibile, ſed ſcibilitas objecti eſt connexio hujus cum principijs per quæ demonſtratur, ergo hæc connexio pertinet ad ſpecificationem, & variatis principijs

pijs variatur necessariò scibilitas objecti. Tunc verò habent principia Demonstrationis unitatem specificam, quando intra eamdem abstractionem omnia conducunt conspirántque ad demonstrandas proprietates de suo objecto formali, vel quando intra eamdem abstractionem unum principium derivatur ex alio, tunc enim non censentur habere diversam vim manifestandi, & illuminandi conclusionem, quia secunda principia sortiuntur à primis virtutem inferendi, & ita tandem reducuntur ad unam primam radicem demonstrandi. Vide S. Thom. *l. 1. Poster. lect. 41.*

Ideo ergo omnia principia *Metaphysicæ* habent unitatem specificam in genere scibilis, quia omnia sub perfecta abstractione ab omni materia etiam intelligibili sunt manifestativa unius rationis objectivæ, videlicet entis ut sic. *Idem dicas* de *Physica* & *Mathematica*. *Logica* non habet specialem abstractionem, versatur enim circa tres mentis operationes, quæ licèt sint immateriales, utuntur tamen organis & speciebus corporeis: procedit tamen modo practico regulas præscribendo, non contemplando naturam actuum, quos dirigit, & ideo non opus est illi propriam assignare abstractionem, cùm loquamur de Scientijs merè speculativis.

XIII. Ex dictis *Colliges 1.* Unitatem scientiarum non desumi ex objecto materiali circa quod versantur.

Ratio est 1. Materia quà talis non est radix specificationis.

2. In una scientia innumera sunt ferè objecta, quæ considerantur, ut patet in Physica, & econtrà plures scientiæ circa idem objectum materiale versantur, v. g. Physica & Medicina circa corpus humanum, Metaphysica & Theologia circa Deum, & Intelligentias, &c.

XIV. *Colliges 2.* Unitatem & specificationem Scientiarum desumi ab unitate *rationis formalis sub qua*, *& unitate principiorum* intra eamdem abstractionem. Contra has positas conclusiones

XV. *Objicitur 1.* Intra eamdem abstractionem dantur scientiæ specie distinctæ, ergo unitas specifica scientiarum non attenditur penes abstractionem.

Antecedens probatur. *Arithmetica*, & *Geometria* sunt Scientiæ quæ specie distinguuntur, & tamen habent eamdem abstractionem, utraque enim abstrahit à materia sensibili tantùm, non verò à materia intelligibili, hoc est, quantitate: *econtrà Musica* est una specie scientia, & tamen non habet unam abstractionem; ut enim versatur circa numerum, habet abstractionem *Mathematicam*, ut verò versatur circa sonorum, habet abstractionem *physicam*. Idem dicas de alijs scientijs *Mathematicis* mixtis; *Perspectiva* enim versatur circa lineam visualem, *Astrologia* sphæras & magnitudines cœlestes, *Cosmographia* magnitudinem, figuram, distantiam Mundi & corporum mundanorum, &c. ubi semper apparet abstractio duplex, *Mathematica* & *Physica*.

℞. 1. Unitas Scientiæ non desumitur ex sola abstractione, sed ex unitate principiorum: *Arithmetica* autem & *Geometria* non resolvuntur in eadem principia; primum enim *Geometriæ* principium est *punctum*, primum *Arithmeticæ* principium est *unitas*, hæc demonstrat *multitudines*, illa *magnitudines*, & quamvis tam *unitas*, quàm *punctum*, tam *magnitudo*, quàm *multitudo* sint species quantitatis *in esse rei*, non tamen *in esse scibilis*: *tum* quia *Arithmetica* v. g. non considerat quantitatem ut quantitas est, hoc enim ad *Physicum* pertinet, sed ut discretam & numerabilem, hoc est, varijs modis ordinabilem, & infinitas proportiones induentem: *tum* quia ex solis principijs quantitatis *ut sic*, hoc est, ut est ens extensum & naturale, nullam deduces conclusionem *Arithmeticam* aut *Geometricam*, ut experientiâ & inductione patet.

2. Abstractio *Mathematica*, *Geometrica & Arithmetica* specie differunt; *Arithmetica* enim abstrahit *ratione* ab omni materia *sensibili*, & *intelligibili*, considerat enim proprietates numeri sine omni respectu ad quantitatem continuam, quæ tamen abstractio est tantùm *rationis*, cùm à parte rei nullus numerus naturalis, & sensibilis reperiatur quantitati non conjunctus, & ideo abstractio *Arithmetica* differt ab abstractione *metaphysica*, quæ non tantùm est *rationis* sed etiam *rei*, datur enim ens reale extra omnem materiam intelligibilem. Non ergo mirum, est Arithmeticam, & Geometriam specie differre, cùm habeant abstractiones

nes *specie* & valde *notabiliter* distinctas: & ob hanc etiam rationem multi admittunt, *Physicam* non esse unam scientiam, sed constare ex pluribus specie distinctis *physicis*, quia habet abstractiones à materia *notabiliter* distinctas, Anima enim est objectum à materia sensibili magis abstractum quàm elementa, mixta, cœli, &c. Sed hæc differentia videtur esse tantùm secundùm *magis & minùs*.

3. *Musica* & aliæ *Mathematicæ* mixtæ procedunt sub una abstractione; omnes enim *Mathematicæ* abstrahunt à materia sensibili, nec enim considerant proprietates ut per *sensum* notas, sed per *imaginationem*, sphæræ enim v.g. cœlestes, circuli, poli, gradus, imagines Zodiaci non *sensu* sed *imaginatione* comprehenduntur: *idem dicas* de angulis, triangulis, quadratis, quæ in singulis ferè superficiebus *Mathematicus* notat.

Vel etiam dicendum est, *Mathematicas* mixtas, quæ puris *Mathematicis* subalternantur (ut *Musica*, *Perspectiva*, *Astrologia*, *Cosmographia*, *Machinativa*, *&c.* absolutè loquendo esse scientias naturales, expressè docent Aristoteles 2. *Physic. text.* 2. & ibi S. Thomas *lect.* 2. & 2. 2. *q.* 7. *a.* 2. *ad* 3. habent enim objectum naturale, nec abstrahunt à materia sensibili; *Optica* enim non considerat lineam quà talem ut *Geometria*, sed ut visualem, & *Musica* non considerat numerum *ut sic*, sed quà sonorum; objectum ergo *formale* istarum scientiarum dicit unicam abstractionem, eámque *physicam* seu *naturalem*, hoc est, â materia singulari, non verò à materia sensibili.

Quia tamen *Musica* subalternatur *Arithmetica*, ut postea dicetur, & quia sonorum conjunctum numero tanquam objecto *materiali* fundat alias & alias proprietates, ac proportiones, quas sonus absolutè non habet, ideo ex parte scientiæ subalternantis, ac principiorum, quæ abista derivantur; item ex parte objecti *materialis Musica* induit etiam abstractionem *Mathematicam*, quæ tamen non specificat, cùm sit extranea (pertinet enim ad scientiam subalternantem) & tantùm ex parte objecti *materialis.*

Astrologia ergo, *Cosmographia*, *Geographia*, *Hydrographia & Optica* ex parte objecti & abstractionis *formalis* non distinguuntur à Physica, distinguuntur tamen ex parte obje-

 cti

jecti materialis & subalternationis ad Arithmeticam & Geometriam, quarum principia applicantur ad illuminandas, & demonstrandas veritates simpliciter physicas, & naturales. Quamvis verò quæ differunt genere differant etiam specie, quia differentia specifica genericæ identificatur, non tamen, quæ differunt materiâ differunt etiam formâ, ut patet in circulo aureo & ferreo; numerus autem, ut dixi, se habet tantùm *materialiter* ad objectum *Musicæ*, cujus *formale* est sonus, & proportio soni. Alio tamen respectu principia *Arithmeticæ*, quibus proprietates *Musicæ* demonstrantur, vocari possunt objectum *formale*, quia reddunt conclusiones musicas actu scibiles, & demonstrabiles. S. Thom. *l. 1. Poster. lect.* 25. & 2. 2. *q.* 9. *a.* 2. *ad* 3. quamvis hoc sit *Arithmeticæ* (idem dicas de alijs scientijs subalternantibus) merè *per accidens* & *extrinsecum*: sicut luci corporali per accidens, & extraneum est, quòd possit illuminare hominem, & equum, &c.

Objicitur 2. Ergo *Theologia* & *Metaphysica* specie non distinguentur, habent enim eamdem abstractionem ab omni materia etiam intelligibili.

℞. 1. Objectum *Metaphysicæ* abstrahit â materia corporea tantùm *præcisivè*, non *negativè*; nec enim repugnat enti reali ut sic (quod est objectum *Metaphysicæ*) cum materia physica conjungi, & ideo *Metaphysica* agit etiam de substantia & essentia *materiali*, de essentia quantitatis, &c. Multò minùs repugnat objecto *Metaphysicæ* compositio ex materia *metaphysica*, hoc est, ex genere & differentia. At verò objecto *Theologiæ*, quod est Deitas, repugnat omnis materia tam *physica*, quàm *metaphysica*, cùm enim Deus sit actus purus, non potest concipi cum ulla potentialitate generica.

2. Specificatio Scientiarum præcipuè ex principijs sumitur, principia verò *Theologica* non sunt ejusdem speciei cum principijs *metaphysicis*, *tum* quia supernaturalia, *tum* quia non ordinata ad idem objectum formale cognoscendum, *tum* quia non *intrinsecè* cum objecto connexa, revelatio enim divina, & habitus fidei nec sunt causæ, nec proprietates entis realis; &c.

Obj-

Objicitur 3. Habitus principiorum specie distinguitur ab Habitu scientiæ, & tamen potest habere eandem abstractionem, ergo specificatio, & unitas scientiarum non potest ex abstractione peti. *Antecedens* probatur in hoc Syllogismo: *Omne album disgregat visum, nix est alba, ergo disgregat visum. Major & minor* sunt per se notæ; ergo pertinent ad habitum principiorum, & tamen abstrahunt à materia tantùm singulari, non verò sensibili.

℞. Scientia est habitus discursivus & deductivus, & ideo pro objecto habet necessariò veritatem aliquam non per se notam, sed ex per se notis demonstrabilem: ut ergo duo habitus sint ejusdem speciei, non sufficit, ut habeant eamdem abstractionem, sed oportet objectum sub eadem abstractione esse per notiora cognoscibile, quod non reperitur in objecto Habitûs principiorum, non ergo mirum distingui.

Objicitur 4. Immaterialitas objecti potest una & eadem esse, & tamen de illo dari distinctæ scientiæ, sicut de Deo agit *Theologia* & *Metaphysica* & *Physica*, non ergo immaterialitas objecti scientias specificat.

℞. Si omnes Scientiæ cognoscerent objectum *sicuti est*, una tantùm de omni objecto daretur scientia; sicut quia Beati omnes vident Deum *sicuti est*, una est omnium Visio Beatifica; scientiæ verò naturales nec totum objectum suum cognoscunt, nec eodem modo: *Metaphysica* Deum cognoscit ut causam totius entis creati, *Physica* ut primum motorem omnium motuum sensibilium, *Theologia* Deum ut Deum: *Metaphysica* omnes perfectiones entis creati in Deo notat, quia est causa totius entis: *Physica* omnes perfectiones sensibiles *eminenter*, quia est causa omnium sensibilium; *Ethica* omnes perfectiones morales, quia est causa idealis & finalis omnium virtutum; *Theologia* verò omnes omnino & infinitas perfectiones, quia utitur lumine divino & naturam excedente; quamvis ergo Deus sit semper & eodem modo immaterialis, non eodem tamen lumine, nec sub eadem abstractione est cognoscibilis, & ideo pro diversitate luminum & abstractionum est etiam diversitas scientiarum: sicut color, quamvis sit unus idémque respectu oculi & intellectûs, non est tamen æquè cognoscibilis, & ideo duabus distinctis potentijs opus

pus eſt, & quamvis luna ſit eadem reſpectu Aſtrologi, Nautæ & Medici, alijs tamen inſtrumentis opus eſt ut *aſtrologicè*, alijs ut *nauticè*, aut *medicè* cognoſcatur: & marmor idem eſt reſpectu Architecti, & ſculptoris, alijs tamen inſtrumentis, alijſque artibus opus eſt, ut in ſtatuam, aut domum aptetur.

Obijcitur 5. Scientia *à priori & poſteriori* ſpecie diſtinguuntur, & tamen habere poſſunt eamdem abſtractionem *phyſicam*, v.g. poſſum demonſtrare hominem eſſe riſibilem, *quia eſt rationalis à priori*, vel *quia ridet*, à *poſteriori*, & tamen utraque hæc propoſitio, *Homo eſt rationalis*, *homo eſt riſibilis*, pertinet ad objectum & abſtractionem *phyſicam*.

℞. 1. Iſte aſſenſus, *Homo eſt riſibilis*, *quia rationalis*, differt ab iſto, *Homo eſt riſibilis*, *quia ridet*, ſpecie *materiali* tantùm, ſicut circulus aureus à circulo ferreo, & manus ab oculo; quamvis enim motiva ſint *realiter* & *entitativè* diſtincta, non tamen *formaliter* & in *eſſe ſcibilis*, habent enim eamdem abſtractionem *phyſicam*, & ordinantur ad objectum naturale, quà naturale, demonſtrandum.

2. In rebus phyſicis multi admittunt abſtractiones ſpecie diverſas, effectus enim (per quem fit demonſtratio *à poſteriori*) *immediatè* cadit ſub experientiam ſenſuum, nec aliter eſt cognoſcibilis, cauſa verò *mediatè* tantùm; ſed hoc arguit tantùm Demonſtrationes *Quia* & *Propter quid* ſub eadem abſtractione & connexione ad idem objectum *formale* demonſtrandum, differre tantùm, ut *magis* & *minùs* perfectum, ſicut lux cœleſtis & elementaris. De quo vide S. Thom. *in 4. d. 44. q. 2. a. 4.* Conimbr. *l. 2. de cœlo. c. 6. q. 3.* Sicut ergo eadem lux eſt id, *quod* videtur, & *quo* omnia colorata videntur, quamvis *materialiter* diſtincta, & unum alio magis viſibile, & ipſa cognoſcitur, & eſt ratio, ut alia omnia intra ſphæram ſcibilitatis & abſtractionis cognoſcantur; v.g. *Phyſica* agit de Cœlo, ut eſt corpus mobile & ſenſibile; & de Anima, ut eſt actus corporis mobilis & ſenſibilis, ergo omnia tandem principia phyſica reſolvuntur in principia mobilis, & motûs ſenſibilis, & hinc habent unitatem; ſicut omnes lineæ à diverſiſſimis & diſtantiſſimis imò oppoſitis partibus circuli tandem in centro uniuntur, & hinc habent unitatem, quamvis

vis extra centrum spectatæ non tantùm sint multæ, sed etiam oppositæ, sic conclusiones & Demonstrationes physicæ v. g. Si extra abstractionem physicam & *formalem rationem sub qua* considerentur, nullam habent unitatem, sed distinctionem, & difformitatem.

Objicitur. 6. Sufficit unus intellectus pro omni objecto intelligibili, ergo & una scientia pro omni objecto scibili; sicut enim verum est objectum unius potentiæ, cur non etiam unius scientiæ?

℞. Tanti hoc Argumentum est, quanti istud: Sufficit una manus pro omni operabili, cur non & unum instrumentum? & sicut una est manus, quæ pingit, quæ sculpit, quæ texit, cur non quoque eodem penicillo & pingat, & sculpat, & texat? Sicut ergo non valet consequentia de manu ad instrumenta, ita nec de Intellectu ad scientias, nam & istæ sunt Intellectui instrumenta ad veritatem cognoscendam.

Ratio ergo *disparitatis est*, quia potentia est illimitatior & universalior, & instar causæ principalis ac altioris, cujus quoque objectum latius & illimitatius; Habitus verò sunt causæ instrumentales intellectui deservientes, & ideo habent objectum limitatius. Quanta autem sit latitudo & sphæra habitûs scientifici, optimè desumitur ex abstractione objecti, ejúsque *ratione formali sub qua. Rursus* Scientia habitualis, & actualis sunt in Intellectu sicut formæ in sua materia & subjecto, potentia autem materiæ & subjecti est ad plures formas: sicut ergo non sequitur; Sufficit unum speculum ad recipiendas imagines rerum plurimarum, ergo etiam sufficit una imago ad hoc ut exprimat res & facies innumeras: sufficit una cera mille figuris & sigillis imprimendis, ergo & una figura; ita non sequitur, &c.

Objicitur 7. Omnium Scientiarum principia resolvuntur tandem in principia metaphysica, aut in experientiam sensuum, ergo duæ tantùm sunt scientiæ, *Metaphysica* & *Physica*, si unitas Scientiarum ex unitate principiorum desumenda est. *Antecedens* probatur, *tum* quia omnes conclusiones Logicæ, Physicæ, ac etiam Mathematicæ tandem ad hæc principia reducuntur, *Quodlibet est aut non est: Dictum de omni dictum de nullo: Quæcunque sunt ea-*

dem uni tertio, &c. Quæ eidem sunt æqualia, etiam inter se sunt æqualia: Si ab æqualibus auferantur æqualia, quæ remanent sunt æqualia: Si inæqualibus addantur æqualia, tota sunt inæqualia, &c. tum quia nihil est in intellectu, quòd non priùs fuerit in sensu, ergo omnes habitus intellectuales, quales sunt scientiæ, utuntur principijs, & abstractione sensibili, cur ergo non omnes sint physici?

℞. 1. Omnes conclusiones scientificæ resolvuntur in principia metaphysica tanquam in principia extranea & remota, & extra propriam abstractionem, & ideo etiam sine illis dari possunt Demonstrationes perfectissimæ, & ex proprijs, v. g. in Physica hoc est principium per se notum, *Contraria contrarijs pelluntur*: in Mathematica, *Ab omni parte circuli duci potest linea recta ad centrum:* in Arithmetica, *Omnis numerus in se ductus & multiplicatus est quadratus*: in Ethica, *Nemo amat nisi bonum*, Principia tamen *metaphysica* ideo sunt utilia, quia cùm sint universalissima, sunt etiam clarissima; sicut enim nemo est tam rudis, qui non omnia cognoscat sub ratione entis (quis enim nescit ignem esse aliquid, oculum esse aliquid, &c?) ita qui principijs immediatè cum ente connexis non assentiatur. *Deinde* cùm res definimus, eásque ab alijs distinguimus, *Metaphysica* medium demonstrandi ministrat, quia ipsa de essentijs rerum, & distinctionibus agit; quæ tamen media non sunt propria, sed extranea & remota, cùm inserviant pluribus Demonstrationibus, v. g. hoc principio, *Quæ realiter non distinguuntur, non tantùm realiter separari*, non tantùm probabis in homine animam rationalem & vegetativam separari non posse, sed etiam nec gradum sensitivi à gradu substantiæ, nec potentiam receptivam à materia, nec aptitudinem inhærendi ab accidentibus, &c.

2. Verum etiam est omnes scientias, etiam *Metaphysicam*, uti ministerio sensuum: sed Physica hæret inter sensibilia, Mathematica verò pergit ultra sensum, & Metaphysica super omnem materiam; sicut v. g. omnia metalla ex terra & in terra nascuntur, sed non omnia æquè à sole elaborantur; uni enim perfectior forma & excoctio, quàm alteri, par origo, sed impar progressus, & absolutio; sic omnis veritas ab objecto sensibili in Intellectum cadit, sed ab hoc, auxilio scientiarum, perfectiùs, & perfectiùs consideratur.

Cur

Cur ergo non tot ſcientiæ phyſicæ, quot ſenſus externi?

Reſp. Quia Intellectus ut ab objectis ſenſibilibus propoſitionem aliquam ſcientificam educat, non ſiſtit in cognitione & ſenſatione unius tantùm ſenſibilis, ſed plura confert, & conſiderat, quæ ſenſu exploravit; ſi enim ſemel tantùm vidiſſes nivem albam, non poſſes pronuntiare, *Nix eſt alba*, vel, *Albedo eſt proprietas nivis*; hæc verò plurium collatio requirit memoriam præteritorum: memoria non eſt in ſenſu externo (fertur enim tantùm in præſentia) ſed in ſolo interno; cùm ergo ſint duo ſenſus interni præcipui, ſenſus communis, & imaginatio, horum miniſterio Intellectus utitur; ſenſu quidem communi in Phyſicis, imaginatione in Mathematicis.

XVI. *Quæritur 10.* Utrum Scientia ſit una ſimplex qualitas?

Reſp. Ex Sententia S. Thomæ, *1. 2. q. 54. a. 4.* habitum ſcientiæ eſſe ſimplicem qualitatem, ſicut enim una eſt, & ſimplex anima, quæ aures ad audiendum movet, oculos ad videndum, caput ad ratiocinandum, ſanguinem ad alendum, ità unum, & ſimplicem habitum ſufficere ad inſtruendum, & illuminandum Intellectum circa totum objectum, & omnes concluſiones unius ſcientiæ, v. g. *Phyſica*. Suarez cum Recentioribus negat habitum eſſe ſimplicem qualitatem, ſed ex multis partialibus conflatum, ordine tamen conjunctis, & ſubordinatis, ita ut ſinguli habitus partiales inclinent Intellectum ad aſſenſum certarum concluſionum, & ad vincendas difficultates, quæ circa ſingulas concluſiones occurrunt. Res eſt parvi momenti.

Hactenus de *unitate ſcientiarum*, nunc ad earum *ſubalternationem* veniendum eſt, nam & hæc eſt aliqua ſpecies unitatis.

XVII. *Quæritur 11.* Quid, & quotuplex ſit ſubalternatio ſcientiarum?

Reſp. Scientia ſubalternata dicitur, quæ ſub altera continetur. Poteſt autem multis modis una ſcientia alteram ſub ſe continere; *Primò ratione finis*, quando videlicet finis unius ordinatur ad finem alterius; ſic *Fræno-factoria* ars ſubordinatur *Equeſtri*, hæc *Militari*, Militaris *Politicæ*. Hæc prima ſubalternatio non eſt propria, nec de illa agimus; Propria enim & ſcientifica ſubalternatio eſt, quando ſubalternata non habet principia per

ſe nota, ſed tantum per principia ſubalternantis, & ideo in *ratione ſcientiæ* eſſentialiter dependet à ſubalternante tanquam ab habitu principiorum: ſicut color licèt *in eſſe rei* non dependeat à luce, dependet tamen neceſſariò *in eſſe viſibilis*; ſola ergo ſubordinatio *finis* non ſufficit, niſi accedat ſubordinatio *illuminationis.*

Secunda eſt ſubordinatio principiorum; ſi ergo ſcientia aliqua non habeat ulla principia per ſe nota, ſed illa tantùm à ſubalternante accipiat, erit *propria* & *ſimpliciter* dicta ſubalternatio, quomodo *Muſica Arithmeticæ, Optica Geometriæ*, & ex ſententia S. Thomæ *Theologia Viſionis Beatificæ* ſubalternantur. *1. p. q. 1. a. 2.* Si verò aliqua ſcientia ſuas concluſiones reſolvat quidem in principia per ſe nota, unum tamen aut alterum principium ab alia ſcientia accipiat, ut ſuas concluſiones demonſtret, erit ſubordinatio *impropria* & *ſecundùm quid*: ex hoc capite *ſcientiæ naturales* propriè non ſubalternantur *Metaphyſicæ*, quia pleraſque concluſiones reſolvunt in principia intra eamdem abſtractionem per ſe nota, & pauca tantùm ac valde remota recipiunt à *Metaphyſica*: & *Chirurgica* propriè non ſubalternatur *Geometriæ*, quamvis ab iſta unum, alterúmve principium accipiat, v. g. *figura rotunda nullos habet angulos, ergo vulnera rotunda tardius obducuntur & curantur.* Sic etiam *Theologia* multa principia ex *Philoſophia* naturali petit, nec ideo tamen ſubordinatur *Philoſophiæ*, quia ſuas concluſiones *immediatè* reſolvit in principia revelata, non in naturalia, ut patet in hoc Syllogiſmo: *Omnis homo eſt riſibilis; Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt riſibilis*, tota ratio, ob quam Chriſtus eſt riſibilis, eſt, quia eſt homo, non verò quia Petrus & Paulus, & alij homines ſunt riſibiles: illa tamen *Major* naturalis eſt neceſſaria Logicè, & ut vi formæ, non verò ut vi materiæ concludatur Chriſtum eſſe riſibilem: illa ergo *Major* eſt neceſſaria deducendæ concluſioni *non ſecundùm ſe*, quia non eſt cauſa nec ratio concluſionis, ut modò dictum, ſed *ſecundùm nos*, quia ſiquis credat, Chriſtum eſſe hominem, neſciat verò hominem eſſe riſibilem, nunquam deducet hanc concluſionem, *Chriſtus eſt riſibilis. Idem dicendum eſt* in alijs Demonſtrationibus, quæ ſi duabus præmiſſis conſtent ex duabus, & diverſis ſcientijs petitis, illa ſolùm præmiſſa *per ſe* & *neceſſariò* influet, quæ idem objectum & eamdem abſtractionem

habet

habet, quàm conclusio; exemplum sit in hoc Syllogismo: *Figura rotunda cæteris paribus & intra eadem puncta est capacissima: sed caput est figura rotunda, ergo caput inter omnia membra corporis humani est capacissimum. Major* est *mathematica*, & *probatur Geometricè, quia linea curva est longior rectâ, ergo quò curvior eò longior; sed rotunda (* inter lineas puras *) est omnium curvissima ergo omnium longissima & capacissima. Minor* est *Physica* & sensibus nota, & ab ea sola pendet conclusio; si enim per impossibile nulla daretur figura rotunda, & nulla capacissima, præter solam figuram & rotunditatem capitis humani, adhuc sequeretur conclusio non obstante impossibilitate *Majoris*; quòd enim rotunditas figuræ consideretur, ut conjuncta materiæ sensibili capitis, non mutat ejus naturam, & vim inferendi conclusionem *physicam* & naturalem: sicut figura circularis in auro, aut marmore non amittit proprietates circuli. Imò sicut sol cum arbore habet vim producendi non alium solem, sed fructum arbori debitum, ita præmissa, & veritas *mathematica* conjuncta præmissæ, & materiæ naturali, ac *physica*, vim habet producendi conclusionem naturalem ac *physicam*, non *Mathematicam*; scientia enim *mathematica* respectu *physica* habet se instar causæ universalis, quia altioris est ordinis, & magis à materia abstrahit, ut suprà dictum.

Tertia subordinatio est, cùm objectum unius scientiæ sub objecto alterius continetur. Si objectum unius scientiæ contineatur sub objecto alterius tanquam *species sub genere*, non oritur propriè dicta subordinatio, v. g. *Physica* non subordinatur *Metaphysica*, quamvis objectum mobile sit species entis realis, & huic addat differentiam essentialem. Scientia *de cœlis* non subordinatur scientiæ *physica* de corpore naturali *ut sic*, quamvis cœlum sit species corporis naturalis. Vide S. Thomam *1. Poster. c. 13. Lect. 15.* & *25* & *1. p. q. 1. a. 2.*

Ratio est, *tum* quia ejusdem scientiæ est agere de genere, & specie eorúmque proprietatibus intra eamdem abstractionem, & *rationem formalem*: *tum* quia proprietates sunt à gradu specifico tanquam à causa & à priori, non verò à gradu generico; ergo scientia, quæ agit de specie corporis naturalis, v. g. de cœlis, potest proprietates cœlorum à priori per eamdem differentiam specificam demonstrare, non recurrendo ad gradum genericum corporis naturalis, ergo non est scientia subalternata, hæc enim

non probat, & ideo *in esse scientiæ* dependet essentialiter à subalternante, ut patet in *Musica*, quæ subalternatur *Arithmeticæ*, & *Optica* quæ subalternatur *Geometriæ*.

Propria ergo subalternatio contingit, cùm objecto scientiæ subalternantis additur differentia tantùm accidentalis, quæ objecto subalternantis addita, novas & demonstrabiles proprietates fundet: sicut *Optica* addit lineæ rationem visibilis, & *Musica* objecto *Arithmeticæ*, hoc est, numero, rationem sonori; numerus verò coloratus non fundat proprietates aliquas demonstrabiles, & ideo nec constituit scientiam aliquam subalternatam.

Ratio hujus est, quia ad scientias subalternatas requiritur, ut & sint distinctæ & sint connexæ; si non sunt distinctæ, nec ordinem nec dependentiam habebunt, & ideo nec erunt subordinatæ; ordo verò & dependentia distinctionem dicunt. Si non aliquo modo conveniant, non erit ratio, cur una potiùs quàm alia subalternetur. Si ergo distinguuntur, ergo habent distinctum objectum (hoc enim est prima radix scientias distinguendi) sed differentia specifica & essentialis generi addita non causat distinctionem objecti, imò potiùs identitatem essentialem & intra eamdem abstractionem (animal enim *ut sic* & animal rationale continentur intra idem objectum eamdémque physicam abstractionem) ergo debet generi addi aliqua differentia accidentalis, quæ subjectum nec omnino relinquit idem, nec omnino diversum.

Tres ergo conditiones ad hanc subalternationem necessariæ sunt; Prima, *ut subjectum subalternantis prædicetur in recto de subjecto subalternatæ*, v. g. *Numerus sonorus est essentialiter numerus*. Defectu hujus *Chirurgia* non subalternatur propriè *Geometriæ*, quia non possum dicere, corpus aut vulnus sanabile est linea vel planum. *Nec Theologia* subalternatur *Physicæ*, quia non possum dicere, Deus est corpus naturale: & nihilominus quando conclusio *Theologica* est mixta, hoc est, constat duobus terminis, quorum unus est *Theologicus*, alter *naturalis*, oportebit quoque adhibere præmissas *Theologicam*, & *naturalem*, quod etiam in alijs Scientijs notandum, de quo vide eleganter Kekerm. *System. Logi*-

gici l. 3. c. 9. à n. 20. & Aristot. *lib. 1. Poster. c. 7.* ubi latè de ὁμογένεια τῶν ὅρων.

Secunda conditio, *ut differentia contrahens non pertineat* per se *ad illud genus, sed* per accidens, *nec sit ejus proprietas, alioquin ad unam non duas scientias tale objectum pertinebit*, & ideo scientiæ naturales non subordinantur *Metaphysicæ*, sine hac enim intra propriam abstractionem perfectè resolvunt suas conclusiones, in principia propria, licèt perfectissima & intima cognitio rerum dependeat à cognitione *Metaphysicæ*, & aliarum scientiarum; sicut enim res connexæ sunt, & sæpè una sine alijs multis esse non potest, ita & cognitiones ac scientiæ connexæ sunt.

Tertia conditio est, *ut principia subalternata sint conclusiones subalternantis & in ea probentur*, sic v. g. *Opticus* pro principio habet, *super oculum posita non videri*, quæ propositio absolutè est naturalis, ut supradictum, quia tamen demonstrari non potest, nisi principijs *Geometricis*, subordinatur *Geometriæ*, quæ sic illam probat: *Objectum oculo immediatè conjunctum jacit species non per modum anguli pyramidalis, quo modo fit visio, sed per modum basis, & ideo oportet objectum nec nimis esse remotum, quia angulus, quò magis extenditur, eò cuspidem habet debiliorem, nec nimis vicinum, quia lineæ circa basin non formant angulum, ergo nec sunt visibiles.* Sic etiam hæc propositio *Diatessaron consonat*, est veritas simpliciter *Musicæ*, probari tamen non potest, nisi adjuncto principio aliquo *Arithmetico* in hunc modum: Illic est consonantia, ubi est proportio vocum; sed *Diatessaron* hanc proportionem habet, videlicet sesquitertiam, qualis est inter numeros 4 & 3. sicut enim 4 semel includit 3. & insuper tertiam ejus partem, ita *Diatessaron* complectitur tres partes seu intervalla monochordi (in hoc enim explorantur proportiones sonorum) & unam tertiam.

Bene autem docet Aristoteles *l. 1. Poster. c. 7. text. 5.* propriam Subalternationem reperiri inter solas scientias *Mathematicas*, videlicet, *Musicam*, *Astrologiam*, & *Opticam*: *Musica* numerum *arithmeticum* per se purum, & abstractum applicat sono sensibili: *Astrologia* figuras *geometricas*, parallelos, circulos, &c. per se puras & abstractas applicat ad cœlestia & mobilia corpora. *Optica* lineas, angulos, triangulos *geometricos* puros applicat ad visum

visum respectu corporis perspicui, &c. *Alij* addunt scientiam *Medicam*, quæ considerat corpus naturale, ut sanabile. Vide Zabarell. *l. 1. de trib. præcognit. c. 12.*

Contra has conditiones.

Obijcitur 1. Theologia subalternatur Visioni Beatificæ secundùm S. Thomam *1. p. q. 1. a. 2.* & tamen Theologia æquè ac Visio Beatifica habet pro objecto *materiali* Deum ut Deum, nec ullam differentiam accidentalem illi adjungit.

℞. Admissâ sententiâ S. Thomæ, sicut numerus *per se* est objectum *Arithmeticæ*, ut *sonorus* est objectum *Musicæ*, ita ut ratio sonori & sit differentia accidentalis numero addita, & *ratio formalis Musicæ*, idem de linea ut visuali, ita Deus, ut *in se*, est objectum visionis Beatificæ, ut *virtualiter* revelatus est objectum *Theologiæ*, & simul differentia accidentalis *extrinsecè* Deo addita, & quamvis non *alia* proprietates per Theologiam de Deo sint cognoscibiles; quàm per visionem Beatificam, sufficit ut *aliter* sint cognoscibiles, & ut principia Theologica inevidentia reddantur clarè & evidenter cognita per causam non qualemcunque, sed infinitam, intimam, adæquatam, & omnium causarum maximè primam & necessariam, qualis est essentia divina clarè ac evidenter cognita; & illa conditio, ut videlicet objecto subalternantis aliqua differentia adjungatur, quæ sit radix novarum proprietatum, intelligenda est de objecto finito & limitato, & cui addi aliquid potest.

Obijcitur 2. De ente per accidens non datur scientia; sed objectum scientiæ subalternatæ est ens per accidens, ut patet ex dictis & exemplo *Musices*, cujus objectum est numerus sonorus, &c. *Major* est communis & traditur ab Aristotele *6. Metaph. c. 2.* & ibi S. Thom. *lect. 2.* cùm enim non sit unum, nec unam habeat definitionem, non potest esse objectum unius scientiæ.

℞. De ente per accidens non potest dati scientia absolutè & simpliciter, cùm non habeat causas necessarias ut sit, & ideo licèt ista propositio demonstrari possit, *Petrus est risibilis*, non tamen istæ, *Petrus movetur*, *Petrus calefit*, *Petrus ridet*. Factâ tamen aliquâ suppositione etiam ens per accidens demonstrari potest,

si

si enim Petrus currit, ergo movetur, ergo calefit, &c. *Idem dicas* in scientijs subalternatis, v. g. in *Musica* si plures voces sint omnino æquales & homophonæ, certũ est & demonstrari potest, nullam habere consonantiam, quia consonantia est acuti, & gravis soni proportio, ergo certum est de ente per accidens, ordinato tamen & connexo, dari scientiam. Numerus quidem & sonus non sunt una, sed duæ res, sed una res est connaturalitas, & proportio soni cum numero, quam harmoniam vocamus, hæc est una, hæc distinctas proprietates & scibilitates fundat; & quemadmodum isti quatuor numeri 2. 4. 8. 16. non sunt unus sed plures, una tamen est omnium proportionalitas, videlicet dupla, quæ est objectum unius scientiæ, habétque proprietates demonstrabiles, quæ illis numeris solitariè sumptis non convenit. Dici etiam potest, *Musicam* v. g. habere pro objecto sonum, & ideo simpliciter ad *Physicam* pertinere, ut suprà notatum, sed tamen ut connotat numerum, & cum hóc conjungitur, sic enim habet alias & novas proprietates: sicut aliæ sunt operationes animæ ut est in manu, aliæ ut est in oculo, &c. *Musica* ergo non considerat numerum in recto, aliquas de illo proprietates demonstrando, sed tantùm in obliquo, ut in illo sonus suas proprietates & proportiones explicat, quæ solæ à *Musico* demonstrantur; quia tamen istæ proportiones soni dependent à principijs numeri, ideo *Musica* subalternatur *Arithmetica*. His ita de subalternatione notatis ponendæ sunt Conclusiones.

XVIII. *Quæritur 12.* An Scientia subalternata sit propriè dicta Scientia?

Resp. 1. Scientiæ subalternatæ sunt veræ scientiæ. Ita Aristoteles *l. 1. Poster c. 7.*

Ratio est. Scientia subalternata ut sic unitur subalternanti, & resolvit in principia certa & evidentia, sicut corpus ut unitum animæ verè vivit, verè movetur, & sentit; nihil ergo scientiæ subalternatæ, *quà tali* deest, ut verè scientia non sit: & quamvis procedere videatur per principia extranea, v. g. *Musica* ex principijs *Arithmetica*, extranea tamen non sunt; sicut enim corpus non est extraneum animæ, quia essentialiter unibile est

animæ, nec lux extranea colori, quem naturaliter illuminat; ita nec ſubalternans ejúſve principia extranea ſunt ſubalternatæ, quia huic eſſentialiter connectuntur; alioquin & concluſio ſcientifica ſcientia non eſſet, quia non eſt per ſe nota, & evidens, ſed evidentiam à primis principijs & per ſe notis accipit.

Reſp. 2. Scientia ſubalternata eſt verè ſcientia, etiam in illo qui ſubalternantem non habet, v. g. *Muſicæ* ſcientiæ peritus, quamvis *Arithmeticam* non calleat, verè ſcit *Muſicam*.

Ratio eſt 1. Auctoritas S. Thomæ *q. 14. de Verit. a. 9. ad 3.* & *opuſc. 70. q. 2. a. 2. ad 5. ad 6. ad 7.* & *1. p. q. 1. a. 2.* & *ſuper Boëtium de Trinit. q. 2. a. 3. ad 5.*

2. Si aliqua ratio eſt, ob quam ſubalternata ſcientia dici non poteſt in eo, qui caret ſubalternante, ea erit, *vel* quia caret evidentiâ, *vel* quia caret certitudine; neutrum obſtat; non evidentia, quia licèt hæc propoſitio: *Diateſſaron habet conſonantiam*: in eo, qui caret *Arithmetica*, non habeat *actualem* evidentiam, habet tamen *radicalem*; cùm enim ſit eſſentialiter connexa cum principijs numeri, & contineatur ſub objecto numeri ſonori, eſſentialiter poteſt, & petit demonſtrari evidenter in *Arithmetica*, & hæc *radicalis* evidentia ſufficienter diſtinguit principia ſubalternatæ à veritatibus merè probabilibus & opinativis, quæ nullam habent veritatem neceſſariam & demonſtrabilem, ne quidem *radicaliter*. *Radicalem* evidentiam habere nihil aliud eſt, quàm eſſentialiter dependere à principijs evidentibus: ſed ita dependenr veritates ſubalternatæ, nec enim aliud eſt ſubalternari; nulla autem opinio *ut ſic* dependet eſſentialiter à principijs certis & evidentibus, ergo hoc eſt proprium ſcientiæ: ſicut ergo eſſentia & natura plantæ non eſt florere & germinare, ſed poſſe; & eſſentia hominis non ratiocinari, ſed poſſe, & eſſentia coloris non videri, ſed poſſe videri, ita eſſentia & natura ſcientiæ non eſſe actu evidentem, ſed poſſe & debere.

Eſt tamen diſcrimen inter lucem corpoream & evidentiam; illa enim eſt colori neceſſaria ut *actu* videatur, evidentia verò non eſt veritati neceſſaria ut *actu* & certò cognoſcatur, ut

ut patet in fide, & jam est ostensum, per solam evidentiam *radicalem* veritates subalternatas non esse opinativas, ergo scientificas.

Deinde nec evidentia *actualis* subalternatæ deest, datur enim aliqua evidentia *moralis*, quæ omnem evidentiam *physicam* superat; cui enim non est certum & *moraliter* evidens, Romam, Carthaginem, Indos existere? & quis non audeat juramento asserere Ciceronem vixisse, quem nunquam videt? quamvis non audeat jurare solem centies sexagies ter majorem terrâ esse, stellas firmamenti à nobis 17. milliones milliariorum Belgicorum, qui horâ constant, distare. Eumdem Solem unius minuti spatio leucas horarias 480. percurrere, principia naturalia esse tantùm tria, &c. Veritas ergo & evidentia naturalis non pariunt tantam certitudinem, quantam *moralis*, cùm summa est, & tamen hæc nititur solo hominum testimonio; hanc verò habet subalternata: sicut enim multi Romæ fuerunt, & hi omnes testantur esse, nemo econtrà id negat, & ideo certum hoc est: ita omnes, qui *Geometriam* callent, figuram circularem angulis carere dicunt, & angulum quò remotiorem eò minorem esse, quæ sunt principia *Chirurgica* & *Optica*, in quibus nemo dissentit; habent ergo certitudinem & evidentiam omni *physicâ* majorem. Imò nec *physica* certitudo & evidentia abest, hoc enim principium *Musicum Unisonum non facit consonantiam*, & istud, *Opticum Objectum aut nimis remotum, aut nimis propinquum sensui non videtur*, habent evidentiam sensibilem & à *posteriori*; duplex ergo hæc evidentia & certitudo cum *moralis* tum *physica* sufficiunt ad scientiam.

Certum tamen videtur, subalternatam non esse in statu perfecto, nisi subalternanti conjungatur, ab ista enim sortitur evidentiam & certitudinem à *priori* & *intrinsecam*. Vide S. Thomam *q. 14. de verit. a. 9.* & *in 3. d. 33. q. 1. a. 2. quæstiunc. 4.*

2. Ex consensu omnium Philosophorum, & præsertim Aristotelis & D. Thomæ, receptum est instar axiomatis, *scientiam subalternatam scire Quia, & subalternantem, Propter quid: Optica* enim scit à posteriori, *objectum quod propè est, efficere majorem angulum visualem*, quæ tamen veritas est essentialiter & à priori in Geo-

metria demonſtrabilis, *quia lineæ ab eadem baſi productæ quò propiùs conjunguntur, eò majorem angulum efficiunt.* Euclid. *l. 1. Elem. prop. 21.* non quòd Geometria conſideret angulos in linea viſuali, hoc enim ad ſolam *Opticam* pertinet, ſed quia conſiderat angulos *ut ſic*, qui lineæ viſuali conjuncti proprietates efficiunt demonſtrabiles per principia anguli *ut ſic*. Si ergo ſubalternata ſcit *Quia*, idque etiam ſeorſim ſpectata, ergo vera eſt ſcientia, & veras habet demonſtrationes independenter à ſubalternante, multò tamen imperfectior, quàm cùm iſti conjungitur. Objectiones ſolvi facilè ex dictis poſſunt.

Conſideratis, quæ ad ſcientiam pertinent, agendum de illis Habitibus, qui aliquid cum ſcientijs commune habent.

XIX. *Quæritur 13.* An admittendus ſit habitus principiorum.

Reſp. Dantur aliqua prima principia, ex quibus Scientiæ deducuntur. Vide S. Thom. *1. 2. q. 57.* & *6. Ethicor.* Hæc eſt certa, nec indiget ullâ probatione; ſicut enim in Mundo ſenſibili ex nihilo nihil fit, ita in Mundo intelligibili. Sunt ergo prima principia quædam ſemina veritatum, ex quibus accedente induſtriâ, ſtudio & experientiâ ſcientiæ firmantur, & ideo non malè à quibuſdam definiuntur: *Principia ſunt notitia nobiſcum nata*, quas Deus velut radios ſapientiæ ſuæ increatæ in homines ſparſit, ut ſint teſtimonia de Deo, & diſcernant à beſtijs, & regant vitam, gignántque honeſtas artes, quarum uſus in vita neceſſarius eſt.

Revocantur Principia ad tria capita. Primum eſt eorum, *quæ experientiâ univerſali conſtant*, quando videlicet de ijs, quæ ſenſu percipiuntur, ſani omnes eodem modo judicant; talia ſunt v. g. fœminam, non maſculum parere, piper & vinum calefacere, cœlum circulariter moveri, eclipſes lunæ plenilunio tantùm fieri, nivem eſſe albam, mortuos non reſpirare, &c. De hac ſenſuum univerſali experientia dicit Ariſtoteles: *Senſum habere vim ſcientiæ. 3. de Generat. c. 10.* & *1. Topicor. Verberatione dignum eſſe, qui dubitet ignem urere, nivem albere.* Siquis ergo hoc principium à communi omnium experientia neget, nihil ampliùs cum

cum illo disputandum est; quidquid enim dixeris, obscurius eo principio erit, multóque magis negari poterit, quàm facem accendes solem non videnti? Peti tamen ab eo poterit, an aliqua principia admittat, an nulla? si aliqua, ex illis convincendus erit.

Potest quidem falli sensus, sicut cùm oculo sol palmaris apparet; sed hoc provenit, quia objectum aut nimis remotum, aut medium infectum, aut organũ corruptum, & tunc sensus ab intellectu corrigitur, aut etiam ab ipso sensu, & aliâ, ac certiore experientiâ; omnes enim sapientes omnísque experientia in hoc conveniunt, *sensibilia non ritè applicata non semper apparere, quod sunt, ritè verò applicata apparere, ut sunt*; & ideò licèt navi procul, & eminus visâ dubitare possis, remo an velis agatur, nemo tamen sanus dubitabit, si propè & cominus videat, velo explicato, remísque otiosis ferri; & ideo Galenus Empiricos Medicos damnat, qui nudam & particularem experientiam ratione & arte non regunt, hoc ipso enim contra experientiam agunt, quæ habet, remedium, quod pluribus, quod multis morbis, quod sæpe profuit, non omnibus prodesse, variatis videl. circumstantijs temporum, corporum, morborum, temperamenti, quorum cognitionem Empiricus non habet.

Secundum caput eas notitias complectitur, quæ specificè *principia* vocantur, Aristoteles *virtutes insitas*, Galenus *criteria & judicia naturalia*, Damascenus *communes cogitationes, anticipationes & inclinationes naturales* appellant.

Sunt hæc principia aut *speculativa* aut *practica*: Speculativa sunt notitiæ naturales & universales, quibus scientiæ speculativæ utuntur, videl. Philosophicæ & Mathematicæ; talia sunt: *Omne totum est majus suâ parte*, *Quodlibet est vel non est*: *Quæ sunt æqualia, inter se sunt æqualia, &c.* Practica principia sunt, quæ regunt hominum mores, & sunt normæ universales virtutum, v. g. *Deo obediendum est*: *Malum non est faciendum*: *Parentes colendi, &c.* Principia speculativa acuuntur, excitantur, & declarantur inductione & sensu, practica verò, ut ait Aristoteles *1. Ethic.* assuefactione, & ideo practica non tam clara omnibus apparent, nec ita communiter

recipiuntur, quia cum natura, corruptóque affectu & moribus pugnant.

Rursus. Principia dividuntur in *Axiomata*, *Positiones*, *Definitiones*, *Hypotheses*, *&* *Postulata*, Græcè ἀξίωμα, θέσις, ὅρος, ὑπόθεσις, αἴτημα. *Axioma* est principium universale, ita fide dignum, ut illi omnes sine disputatione & contradictione assentiantur, v. g. *vim vi repellere licet: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; *Quidlibet est vel non est*, *&c.* vocantur etiam *Maxima*, *Dignitates*. *Positiones* seu *Theses* sunt principia non quidem naturaliter, nec omnibus nota, sed tantùm in aliqua scientia & opera docentis, ita ut quamvis in illa scientia non demonstrentur, demonstrari tamen in alia possint deducendo ad impossibile, vel mediâ inductione & experientiâ. Talis in Scientia physica est hæc propositio: *Omne corpus constans qualitatibus contrarijs naturaliter est corruptibile*: hæc inductione & experientiâ demonstrari potest; & ista: *Punctum est cujus pars nulla est*, est apud Mathematicos per se nota, nec ab ijs demonstratur; potest tamen demonstrari deducendo ad impossibile, si enim habet partes, ergo non est indivisibile, ergo non est punctum, ergo erit punctum, & non erit punctum.

Definitio explicat rem genere & differentiâ, & si est essentialis, à priori non demonstratur, potest tamen à posteriori, vel ad hominem, v. g. si neges naturam esse principium motûs & quietis, probabo vel sic: *Nullum est corpus naturale, quod non sit principium alicujus motûs, vel quietis sensibilis*, *&* *corporea*. Vel sic: *Natura est aliquid*; *sed non potest dici, quid sit aliud quàm principium motûs & quietis*, *ergo hoc est*, *vel aliud assignetur*. *Hypothesis* est propositio & principium scientiæ proprium, aliquid esse, aut non esse indicans: differt à *Definitione*, quia ista dicit, quid *aliquid* sit, non verò *quòd* sit; Hypothesis verò dicit rem esse. *Thesis* est genus ad definitionem & Hypothesin. Habet quidem Hypothesis Demonstrationem, sed tamen admittitur vel supponitur sine Demonstratione; talis est ista: *Natura agit propter finem*, quæ in *Ethica* supponitur, quamvis demonstrari possit. *Postulatum* est propositio aliqua, de qua Artifex cum auditore aliquamdiu paciscitur, eámque sibi interim concedi postulat, ut ex ejus concessione aliquid

quid deducat; tales sunt in Mathematica istæ propositiones: *Potest à quovis puncto circumferentiæ duci linea recta ad centrum: Potest quævis linea finita ulterius semper produci;&c.*

Tertiò denique lumine naturæ quædam propositiones & connexiones unius veritatis cum altera, quæ vocantur consequentiæ, v.g. *Est vas vitreum, ergo fragile est: Sol lucet, ergo dies est, &c.* cui non sit nota primo intuitu, & sine alio discursu bonitas hujus consequentiæ? Illud quoque verum est, principia non esse æquè omnibus nota, sed sapientissimis, & ideo Aristoteles notat, principiorum notitiam esse plus quàm dimidiam omnium rerum scientiam, & ideo septem sapientum gnomæ tanti adhuc fiunt, Cleobuli, *Modum serva*: Pittaci, *Ne quid nimis*: Periandri, *Iram rege*: Solonis, *Respice finem*: Biantis, *Plures mali*: Thaletis, *Nolli spondere*: Chilonis, *Nosce teipsum.*

XX. *Quæritur 14.* An Habitus Principiorum distinguatur â potentia intellectivâ.

Resp. Affirmativè. Sentiunt aliqui, Intellectum naturaliter, & sine alio habitu ferri in assensum principiorum.

Conclusionis nostræ *Ratio est 1.* Auctoritas S. Thomæ *6. Ethic. c. 3. lect. 5.* & *2. contra Gent. c. 78.* & *1. 2. q. 57. a 3.*

2. Si absque habitu Intellectus principijs assentitur, ideo est, quia naturaliter & facilè veritati clarè propositæ assensum præbet; atqui hæc ratio non convincit, nam & lapis naturaliter & facillimè deorsum fertur, & ignis sursum, utpote in centrum naturale, & tamen qualitatibus distinctis & superadditis, levitate, & gravitate opus habent: cœli naturaliter in gyrum volvuntur, & tamen Intelligentijs reguntur: oculus naturaliter & immediatè in lucem fertur, & hæc est immediatè visibilis, & tamen oculus non videt, nisi oculo & medio luce perfusis; idem ergo de Intellectu dicendum.

3. Multi Philosophi negârunt prima principia, ut Phyrronici & Empirici, de quibus vide Aristotelem *4. Metaph.* ergo carebant habitu principiorum, nec tamen carebant potentiâ intellectivâ.

4. In assensu principiorum ab initio magnam experimur difficultatem, postea usu, & experientiâ facilitas, & delectatio sequi-

ſequitur, ex qua ratione alios habitus ſcientiarum, & artium admittimus, aut ergo omnes habitus negandi, aut ex eadem ratione admittendi habitus principiorum.

Hæc difficultas principiorum in eo eſt, quòd cùm ſint propoſitiones univerſales, colligi debent ex inductione ſingularium, conſideratis omnibus circumſtantijs & neceſſariâ connexione ſubjecti cum prædicato, & ideo pauciſſimi ſunt, qui principia ſtatuerunt, ijque pro hominibus divinis ac ſapientiſſimis habiti, cùm econtrà qui ex principijs concluſiones deduxerint, plurimi fuerint, nec ingenio exquiſito. Quam ſcientiam doctrinámque principijs Euclidis, aphoriſmis Galeni, ſententijs Senecæ, & præſertim proverbijs Salomonis comparaveris? una radix mille floribus, unus Architectus mille fabris præſtat: & quamvis inductio omnium ſingularium fieri non poſſit, poteſt tamen ſapiens ab effectibus, multiſque ſingularibus attentè conſideratis in cognitionem cauſæ adeò intimè perduci, ut in omnibus ſingularibus, ubi ea cauſa fuerit, poſſit concludere eumdem effectum fore, niſi à cauſis potentioribus vincatur; exemplum ſit in hoc proverbio, Τρία Κάππα κάκιςα, id eſt, tria C. peſſima ſ Cretenſes videl. Cilices, Cappadoces: natum hoc proverbium ex longiſſima experientia, ab hac in cauſas proceſſum, inventæ ſunt educatio, exempla, voluptates, cœli, ſolique genius, ab his reperta neceſſaria connexio inter prædicatum & ſubjectum, & ſic formata parœmia: idem in alijs principijs obſervatum.

Accedit quòd principia etiam evidentiſſima nunquam exhibent Intellectui tam immediatam connexionem, ut non aliquas habeant exceptiones & difficultates, ob quas impugnentur: quid certius, quàm duas contradictorias non poſſe ſimul eſſe veras? & tamen quamplures objectiones, ſolutúque difficiles habet, ut ſupra oſtenſum. Si ergo in aſſenſu principiorum, maximè, quæ non ſunt communia omnibus ſcientijs, eſt difficultas, ergo & habitus.

Aliud eſt in voluntate, quæ bonum *ut ſic* ſine habitu amat. S. Thomas *1. 2. q. 56. a. 6.* & *q. 62. a. 3. ad 1.* quia voluntas eſt eſſentialis propenſio in bonum, non ergo alio habitu eget, ut propen-

pendeat, & in illud feratur; Intellectus verò non est essentialis determinatio ad verum, maximè cùm multis difficultatibus involvitur; sed determinatur à speciebus & ab habitu superante difficultatem.

Hanc ipsam ob causam docet S. Doctor *cit.* habitum principiorum non esse congenitum, sed cognito, *quid est totum & quid est pars*, per species acceptas à sensibilibus, Intellectum statim cognoscere, quòd omne totum est majus suâ parte, & hinc resultare habitum in Intellectu.

Alij dicunt habitum principiorum esse naturaliter congenitum, quod multis locis docere videtur S. Thomas. ut *1. p. q. 79. a. 12.* & *1. 2. q. 91. a. 3.* & *2. 2. q. 8. a. 2. ad 1. & de verit. q. 16. a. 2.*

Alij denique esse habitum experientiâ acquisitum, ut suprà explicavi, quod saltem verum est de principijs scientiarum proprijs, & de cognitione terminorum, quibus etiam communissima principia constant; cognito enim, quid sit totum & quid partes(quod experientiâ, usúque & inductione ac habitu ex istis nato fit) facilè & innato lumine ac naturaliter Intellectus videt, connexionem & proportionem totius cum suis partibus.

Habitus primorum principiorum probabilium distinguitur essentialiter ab habitu principiorum evidentium, sicut ipsi actus evidentes & non evidentes; nituntur enim motivis specie differentibus, habéntque proprietates *notabilissimè* distinctas. Sic etiam habitus principiorum practicorum, qui vocatur *Synthersis*, distinguitur ab habitu principiorum speculativorum, qui appellatur *intellectus*, sunt enim maximæ & propriæ difficultates circa praxin, quæ non sunt circa speculationem, & ideo speciali habitu egent quo vincantur. Habitus verò principiorum speculativorum, quamvis habeat objecta *Materialiter* diversa (loquor de communissimis principijs) non videtur habere distinctam *rationem formalem sub qua*, fertur enim in veritates ut imediatè connexas & sine speciali difficultate. Vide S. Thomam *Opusc. 70.* & *1. 2. q. 57.*

XXI. *Quæritur 15.* An *Scientia* & *Opinio* in eodem intellectu de eodem objecto dari possint?

Resp. 1. Non potest simul & semel ab eodem homine de eadem omnino re & objecto dari *actus* opinionis, & scientiæ.

Ita ut uterque actus Intellectui suum effectum formalem communicet. Expressè & latè Aristoteles *l. 1. Poster. c. 26.* & S. Thom, *ibid.* & *q. 14. de verit. a. 9. ad 6.* & *1. 2. q. 67. a. 3.* & *2. 2. q. 2. a. 5. ad 4.*

Ratio est 1. Auctoritas Philosophi & S Thomæ cit.

2. Scientia nititur motivo evidente, claro, certo, & non fluctuante, ergo est cognitio evidens, clara, certa, & non fluctuans; opinio econtrà est cognitio inevidens, obscura, incerta, & fluctuans (qui enim opinatur, hanc habet cognitionem, v. g. Papa, ut opinor vivit, sed fortè mortuus est) sed implicat simul & semel & de eodem objecto esse in Intellectu cognitionem evidentem & non evidentem, certam & incertam, & consequenter Intellectum convinci, & non convinci, certum esse & non certum, fluctuare, & non fluctuare; hæc enim non minùs sunt formæ contradictoriæ, quàm currere & non currere, lucere & non lucere, &c.

Dices. Potest opinio dari sine omni *actuali* formidine & incertitudine (qui enim Romam non vidit, credit tantùm aut opinatur Romam esse, nec tamen formidat aut incertus est) ergo illi effectus contradictorij non sequuntur. Occasione hujus argumenti,

XXII. *Resp. 2.* Si Opinio usque ad certitudinem moralem perveniat (quod fieri utique potest, possunt enim tot motiva probabilia conjungi, ut tandem efficiant rem *moraliter* certam, imò magis certam, quàm quæ *physicam* certitudinem habent) in talibus, *inquam*, non repugnat opinionem certam, & scientiam conjungi, quo casu non uterque actus, sed unus tantùm (videl. scientiæ) suum *effectum formalem Intellectui tribuet.* Nam diligenter *notandum est.* Ut docet S. Thomas *1. 2. q. 67. a. 3. aliud* esse opinionem & scientiam in intellectu dari, *aliud* intellectum de eadem re scire & opinari posse, hoc repugnat, & convincit factum argumentum, illud verò non repugnat, nec inducit contradictionem: cognitio enim per medium probabile ex se & intrinsecè erit fluctuans, dubia & incerta, sed tamen hunc effectum intellectui scienti non tribuet, quia est incapax; cùm enim sit certus, non potest reddi incertus, & sicuti stante vel adveniente lumine, & causâ luminis tenebræ luci cedunt, non econ-

trà

trà, ita stante, vel adveniente scientiâ ac certitudine cedit incertitudo & obscuritas, quæ aliàs ab opinione intellectum occuparet, sed impedit, ut dixi, præpotentior certitudo, quam intellectus à scientia haurit. *Opinio* igitur est essentialiter incerta, sed hunc effectum non semper intellectui communicat; sicut anima hominis est essentialiter rationalis, sed hunc effectum non semper quoad *actum* homini & omnibus partibus corporis, quas informat, communicat; & hoc modo est intelligendus S. Thomas, cùm expressè concedit, posse in eodem subjecto de eodem objecto scientiam, & opinionem conjungi. *1. 2. q. 67. a. 3.* & *3. p. q. 9. a. 2. & 3.* & *in 3. d. 31. q. 2. a. 1.* ex quibus locis convincitur, non posse quidem intellectum scire, & opinari de eodem objecto, posse tamen habere scientiam, & opinionem.

Et *Ratio* est, *tum* quia licèt scire & opinari sint actus contradictionem inferentes, quamvis ex diversis causis & medijs proveniant (sicut esse clarum & obscurum, calidum esse & non esse calidum, quamvis alia sit causa clari, alia obscuri, &c.) non tamen ipsæ formæ & cognitiones opinativa & scientifica, sunt enim formæ *positiva*, non *privativa*; & quamvis *opinio* sit essentialiter inevidens, quia essentialiter medio nititur defectibili, & non convincente, non tamen hanc inevidentiam intellectui communicat, quando is aliunde *scientiam* de objecto & certitudinem habet: sicut v. g. frigus dicit essentialiter negationem caloris, potest tamen in eodem subjecto cum calore reperiri, & tunc non denominabit subjectum non calidum, quia stante calore subjectum hujus denominationis est incapax: *tum* quia potest eadem res habere causas sui & effectus necessarios, & contingentes, ut de effectibus ab experientia patet, & de causis etiam, homo enim habet causas suæ mortalitatis tam necessarias, quàm contingentes ab aëre, à cibo potúque, à morbis, venenis, plagis, &c. vide eleganter Plin. *l. 7. c. 7.* Si ergo non repugnat, eamdem rem contingentem & necessariam esse, respectu causarum, & effectuum diversorum, multò minùs repugnabit per diversa media contingenter, & necessariò cognosci; si enim non repugnat dari ejusdem rei causam & effectus contingentes, & necessarios, cur repugnabit dari cognitiones contingentem, & necessariam, hoc

est, *opinativam* & *scientificam*? cùm minùs repugnet aliqua simul cognosci, quàm aliqua simul esse; ubi ergo hoc non repugnat, nec illud repugnabit. *Tum denique* quia non repugnat intellectum assentiri objecto per actum nitentem duobus motivis, altero fallibili & inevidente, altero infallibili & evidente, ergo etiam non repugnat assentiri objecto per duos actus, quorum unus nitatur motivo fallibili & sit opinio, altero infallibili, & sit scientia: *consequentia* videtur clara; aut enim illa duo motiva, fallibile & infallibile, certum & incertum repugnant, aut non repugnant? Si non repugnant, cur negas posse in eodem intellectu conjungi? Si repugnant, cur concedis posse in eodem actu conjungi? planè, quæ repugnant, minùs in uno subjecto conjungi, quàm in duobus possunt: possum uno oculo videre, altero non videre, sed uno eodémque videre & non videre, hoc fieri non potest, vel si hoc fieri potest, multò magis illud.

Antecedens probatur. In Syllogismo duabus præmissis nitente, quarum una est probabilis, altera evidens: *deinde* qui Papam viventem videt & simul à centum alijs audit eum vivere, cognoscit Papam vivere tum testimonio sensuum, quæ probatio est evidens, *tum* auctoritate aliorum, quæ probatio est inevidens; quæ auctoritas in hoc casu concurrit non ut motivum speciale, sed ut subordinatum evidenti, cum eóque connexum, movet enim me ad assensum evidentē non præcisè ut auctoritas hominum, qui fallere possunt, sed ut consonans certæ, & evidenti probationi: sicut ergo quælibet gutta mari injecta fit mare, ita motivum ex se tantùm probabile evidenti conjunctum fit evidens: & si plura motiva, quorum singula præcisè sunt fallibilia, sibi conjuncta evadunt infallibilia, & ad assensum infallibilem concurrunt (hæc enim propositio: *Roma est*: est infallibilis ex testimonio multorum, quorum singuli fallere & falli possunt) quantò magis motivum fallibile infallibili conjunctum? & in hoc sensu multi, gravésque Doctores asserunt, præmissam naturalem præmissæ fidei conjunctam ad assensum Theologicum concurrere ut elevatam, & approbatam à præmissa fidei.

XXIII.

XXIII. *Resp.* 3. Ex hactenus dictis facilè *colligitur*, posse in eodem intellectu & de eodem objecto dari etiam *habitum* scientiæ & opinionis; habitus enim ex actu nascitur, jam verò ostendimus, actum opinionis & scientiæ non repugnare. Habitus tamen *opinionis*, quamvis essentialiter incertus, non tamen relinquet intellectum incertum & suspensum formidine, habitu *scientiæ* hanc incertitudinem, & formidinem reprimente. Pone turbato mari, ventísque agitato navim aliquam in anchoris stare, certum est hoc fieri posse, nec ideo tamen fluctuat navis, quia in fluctibus est, & à ventis pulsatur, sed anchoræ insistit, & ab hac contra ventos firmatur: Sic intellectus potest de eodem objecto & scientiam & opinionem habere, non ideo tamen fluctuabit & opinionum vento incertus feretur, scientia enim illi pro anchora, & statione est. Eodem modo dicendum est, posse de eodem objecto dari actum fidei & scientiæ, non ideo tamen intellectus credet, quia credere est cognoscere objectum obscurè; sed intellectus qui habet scientiam, clarè objectum cognoscit, non ergo cognoscit obscurè, ergo non credit. Et hoc modo intelligendus est S. Thomas *2. 2. q. 1. a. 5. ad 5.* Fides enim licèt essentialiter sit obscura, non tamen hunc effectum semper intellectui tribuit, sicut calor licèt essentialiter dicat negationem frigoris (calor enim essentialiter non est frigus) non tamen semper hanc negationem subjecto tribuit, si videlicet aliunde aliquos gradus frigoris habeat.

Idem S. Thomas *2. 2. q. 175. a. 3. ad 3.* docet S. Paulum in suo raptu non habuisse actum fidei, quia Deum clarè cognovit, quod verissimum est, *vel* quia visio beatifica totas vires & intellectum adeò occupaverat, ut non posset in alios actus extendi; *vel* quia, ut sæpè dixi, fides (idem proportionaliter dicas de opinione) adæquatè sumpta non tantùm dicit obscuritatem cognitionis, sed etiam subjecti, cui illa communicatur; quando ergo obscuritas actûs subjecto non communicatur (ut fit, quoties scientia, aut alia evidens & clara cognitio præstò est) absolutè non dicitur fides, & in hoc sensu negat S. Doctor posse fidem cum scientia conjungi, quod tamen alibi affirmat, ut supradictum.

Complutenses quidem volunt, S. Thomam de habitu non de actu loqui, sed tam clarum est legenti, eum de *actuali* opinione & fide, non de *habituali* loqui, ut pigeat refutare.




§. Ultimus.

Regulæ quædam generales, & Selectæ circa formas argumentationum.

Summaria.

1. *Syllogismus non contentus illis versiculis*, Barbara &c. *est vitiosus.*
2. *Ex meris negativis nihil sequitur.*
3. *Regulæ particulares syllogismorum absolutorum in tribus figuris.*
4. *Pro Enthymemate.*
5. *Pro Syllogismo conditionali.*
6. *Pro Modali tam ex necessarijs, quàm contingentibus.*
7. *Ex obliquis.*
8. *Principia Syllogismi demonstrativi, & probabilis.*
9. *Regula synoptica Syllogismorum complectens omnes alias Regulas.*

ut



I.

UT in bellis, ita & in ſcholis non ſemper melior cauſa Triumphum canit; vincit, qui pugnandi artes meliùs callet, adhibétque; ars verò pugnandi non ſolùm Philoſophiæ, ſed etiam Theologiæ à Dialectica, & Syllogiſmis eſt. Ne ergo veritati noceas ignorantiâ pugnandi, regulas aliquas generales, ſelectas tamen, notabimus, quæ, ſi obſerventur, tutum te ab inſidijs Logicorum præſtent.

Regula 1. *Omnes boni Syllogiſmi comprehenduntur illis verſiculis.*

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
Felapton, Diſamis: Datiſi, Bocardo, Feriſon.
Qui illis non includitur malus eſt.

Sufficit ergo oſtendere datum Syllogiſmum non eſſe ex illis: facilè verò deprehendes vitium in prima figura, ſi Syllogiſmum reſolvas in enthymema: v. g.

Quoddam bipes eſt homo, Gallina eſt bipes, ergo eſt homo.

Hic Syllogiſmus in prima figura eſt, ſed malus, quia non continetur vulgatis verſibus: vis vitium? reſolve in enthymema: *quoddam bipes eſt homo, ergo gallina eſt homo*: en defectum! à particularibus proceditur ad univerſalia, nec ſervatur *dictum de omni.*

Limitatur 1. In prima figura, ſi *Major* eſt convertibilis, poteſt *minor* eſſe negativa, & ſemper ſequetur bona conſequentia, quamvis talis Syllogiſmus dictis verſiculis non contineatur, v. g. *Omnes fide vivâ credentes in Chriſtum ſalvantur, Turca non ſunt fide vivâ credentes in Chriſtum, Ergo Turca non ſalvantur.*

Ra-

Ratio est, quia talis Syllogismus reduci potest ad modos legitimos *secundæ figuræ*, per conversionem *majoris* hoc modo: *Omnes, qui salvantur, credunt in Christum, Nulli Turcæ credunt in Christum, ergo nulli Turcæ salvantur.*

Limitatur 2. In Syllogismis ex terminis infinitis, in quibus sæpè videtur legitima figura servari, nec tamen servatur: v. g. *Omne non vivens est non homo, Nullus lapis est vivens, ergo nullus lapis est homo.* In hoc Syllogismo sunt quinque termini, videlicet: *Non vivens, non homo, lapis, vivens, homo.* Aliud enim est vivens, aliud non vivens, &c. in *minori* ergo debebat sic assumi, *nullus lapis est non vivens*, & in conclusione, *ergo nullus lapis est non homo*, & tunc tam *minor*, quàm *conclusio* est falsa.

Limitatur 3. In hoc Syllogismo: *Omne individuum cujusdam speciei infimæ est homo, Bucephalus est individuum cujusdam speciei infimæ, ergo Bucephalus est homo.* Videtur esse in *Darij*, nec tamen est, quia signum *omne* particularizatur per signum *cujusdam*, & perinde est, ac si dicas: *aliqua*, vel *multa individua*.

Limitatur 4. In Syllogismo primæ figuræ, cujus una præmissa est cum modo *de necessario*, altera verò absoluta, & *de inesse*: v. g. *Omne animal movetur, Petrus necessariò est animal, ergo Petrus necessariò movetur:* falsa est *conclusio*, & malus Syllogismus: *Ratio est*, quia plus ponitur in *consequente*, quàm in *Antecedente*, ut patet, si Syllogismum resolvas in enthymema, & reducas ad principium *de omni*, hoc modo: *Omne animal movetur, ergò aliquod animal* (videlicet Petrus) *necessariò movetur.* In *prima* ergo figura ex *majori* tantum *de necesse* tam affirmativa, quàm negativa colligitur *conclusio* etiam *de necesse*.

Prima figura est omnium perfectissima, & notissima, & comparandis, ac tradendis scientijs accommodatissima, *tum* quia nititur principijs evidentissimis, videlicet *dicto de omni, & dicto de nullo*, *tum* quia sola habet conclusiones particulares, & universales, affirmativas, & negativas, *tum* quia *secunda*, & *tertia* figura reducuntur ad primam, hæc verò ad nullam aliam.

II. Regula 2. *Ex puris negativis nihil sequitur vi formæ. Ratio est*, quia *conclusio* Syllogistica ideo est vera, quia extrema in præmissis cum medio connectuntur, atqui ubi omnia negantur, nulla

nulla est connexio, sed mera dissipatio. Sunt tamen aliqui Syllogismi, qui videntur ex meris negativis concludere: v. g. *Nemo, qui non habet pedes, potest ambulare, nullus lapis habet pedes, ergo nullus lapis potest ambulare.*

Resp. 1. Quæ rarò, & *per accidens* fiunt, non destruunt *regulam*: sunt quidam dies æstivi frigidiores hybernis, sunt quidam hyberni calidiores æstivis, nec ideò tamen falsa est *regula: æstas est calida, hyems est frigida.*

Resp. 2. Illum Syllogismum esse *virtualiter* hypotheticum, videlicet: *Si aliquid est, quod non habet pedes, non potest ambulare, sed nullus lapis habet pedes, ergò nullus lapis potest ambulare*: negatâ verò causâ, aut conditione necessariâ, negatur quod ex ea sequitur.

Resp. 3. Ex meris negativis potest inferri *conclusio per accidens*, quatenus negativa æquivalet affirmativæ, atqui in dato Syllogismo *minor* negativa æquivalet affirmativæ, ex *minori* enim affirmativa de extremo infinito potest inferri negativa de extremo finito; illa ergo *Minor*: *Nullus lapis habet pedes*: æquivalet huic: *omnis lapis est non habens pedes*: hæc verò est affirmativa, & ita Syllogismus est in *Celarent.*

III. *Regula 3.* Omnium figurarum leges tribus hisce versiculis comprehenduntur.

Pro prima Figura.

Sit Minor affirmans, nec Major sit specialis.

Ratio est: quia in *prima figura* aliquid asseritur, aut negatur de inferiori, quia inferius includitur in superiori, oportet ergo in *minori* ostendere, quòd inferius includatur in superiori, quod fit per affirmativam, non per negativam. Si verò *Major* sit particularis, non servatur *dictum de omni, dictum de nullo.*

Pro Secunda Figura.

Una negans præeat, nec major sit specialis.

Ratio est, quia tota bonitas *consequentiæ* in hac figura ex eo nascitur, quòd genus, species, differentia, aut proprietas, quæ uni v. g. Petro attribuitur, negatur Paulo, ex quo infertur: *Petrum non esse Paulum*: si enim *A.* est *C.* & *B.* non est *C.* ergo *B.*

Ffff non

non est *A*. Principium enim *directivum secundæ* figuræ est hoc: *si primum non convenit cum tertio, & secundum convenit cum tertio, sequitur secundum non esse primum.* Vel. *Quæ non conveniunt in uno tertio, non conveniunt inter se.* Si verò *major* esset particularis, procederetur à non distributo ad distributum, v. g. *Aliqua avis est alba, Corvus non est albus, ergo Corvus non est avis.*

Pro tertia Figura.

Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.

Ratio est, quia principium *directivum* hujus figuræ est hoc: *quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* Oportet ergo ostendere, quòd extremum uni tertio conveniat, quod fit in *minori* affirmativa.

Pro Enthymemate.

IV. Enthymema est virtualis Syllogismus; si prædicatum *conclusionis* non appareat in *antecedente*, signũ est deesse *majorẽ* propositionem, quæ si addatur, fiet Syllogismus: v. g. *Homo est animal, ergo homo sentit*: prædicatum hujus *conclusionis, sentit*, non est in *antecedente*, deest ergo *Major*, eam sic supple: *omne animal sentit, omnis homo est animal, ergo omnis homo sentit*: Si verò *subjectum conclusionis* non appareat in *antecedente*, signũ est deesse *minorẽ*, v. g. *Omne animal sentit, ergo omnis homo sentit*, supple *minorẽ*, sed *omnis homo est animal, &c.*

Pro Syllogismo conditionali.

V. *Regula* 1. Tota vis syllogismi *conditionalis* cõsistit in connexione *conditionis* cum suo *consequente*: tunc verò connexio est vera, si ex illa possit confici propositio *categorica* vera v. g. *si Petrus est animal sentit, sed est animal, ergo, &c. si bos haberet alas volare posset: si Angelus aliquid contra verbum Dei prædicet, anathemate dignus est*: verti in propositiones *categoricas* possunt, v. g. *quidquid est animal, sentit, quidquid habet alas volare potest: quisquis prædicat contra verbum Dei, anathemate dignus, etiamsi Angelus sit.* Econtrà hæc *hypothetica* est falsa: *Si cervus habet cornua, velociter currit*, quia *categorica* est falsa; *omne quod habet cornua, velociter currit.*

Regula 2. Multa tradi solent præcepta Syllogismo *hypothetico*, an legitimus sit, dignoscendo; sed optimè cognosci potest, cùm ad *categoricum* reducitur *primæ*, vel *secundæ* figuræ; mox enim viti-

vitium patebit: v. g. iste Syllogismus *hypotheticus*: *si equus est, animal est, sed homo equus non est, ergò homo animal non est*: non est legitimus, qui si reducatur ad *primam* figuram, *Minor* est negativa, videlicet: *Omnis equus est animal, homo non est equus, ergò homo non est animal.*

Pro Syllogismo Modali ex necessarijs.

VI. *Regula.* Ex *Majori de necesse, & Minori absoluta*, sequitur conclusio *necessaria*, v. g. *necessè est omne animal vivere, omnis homo est animal, ergò necessè est omnem hominem vivere. Necessè est omne album disgregare visum, Caucasus est albus, ergò necessè est Caucasum* (ex hypothesi quòd sit albus) *disgregare visum, &c.*

Limita 1. In *secunda figura*, in qua si propositio negans sit universalis de *necessè*, etiam conclusio erit *necessaria*, v. g. *necessè est, nullum lapidem esse animal, omnis homo est animal, ergo necessè est, nullum hominem esse lapidem. Ratio est, quia si necessè* est, nullum lapidem esse animal, per bonam conversionem sequitur, *ergo necessè est, nullum animal esse lapidem*, sed quod animali *necessariò* convenit, convenit etiam homini, qui est species animalis, juxta *dictum De Omni.*

Limita 2. In tertia figura in *Disamis*, in quo si *Minor* est *necessaria*, etiam *conclusio* erit *necessaria*, v. g. *aliquod expetendum est virtus, necessè est omne expetendum esse bonum, ergo necessè est, aliquod bonum esse virtutem. Ratio est.* quia si *necessè* est, omne expetendum esse bonum, ergo *necessè* est & virtutem esse bonam, quæ est aliquod expetendum (per conversionem *Majoris*) juxta *dictum De Omni.*

Limita 3. In *Bocardo* tertiæ figuræ, in quo nunquam colligitur *conclusio necessaria*, si *Minor* sit *contingens*: nam si *Minor* esset in materia *necessaria*, etiam *conclusio* foret *necessaria*: v. g. *necessè est aliquem Philosophum esse hominem, omnis Philosophus honoratur, ergo aliquid, quod honoratur, est homo.*

De Syllogismo Modali ex contingentibus.

Regula 1. Ex duabus *de contingenti* in *prima*, & *tertia figura* sequitur conclusio *contingens*; v. g. *contingens est, omnem vigilantem currere, contingens est, omnem hominem vigilare, ergo contingens est omnem hominem currere.*

In *secunda figura* ex duabus *de contingenti* non sequitur contingens, v. g. *contingit nullum canem currere, contingit omnem equum currere, ergo contingit nullum equum esse canem.* Et, *Probabile est Sacramentum Confirmationis debere constare vero Balsamo, probabile est non dari verum balsamum, ergo probabile est non dari Sacramentum Confirmationis. Ratio est*, quia proceditur à *divisivo* ad *distributivum*, seu *copulativum*: non enim præmissæ *simul* sumptæ sunt veræ, sed *seorsim*; sicut ergo in hoc Syllogismo. *Probabile est non dari animam, nisi distinctam à potentiis. Probabile est non dari animam distinctam à potentiis. Ergo probabile est, non dari animam.* Non benè concluditur, quià ex præmissis *divisim*, hoc est *seorsim* sumptis, & ut sic veris, proceditur ad conclusionem ut deductam ex utrâque præmissa *simul & copulativè* sumptâ: ita in priori Syllogismo.

Regula 2. In *1. figura* ex *Majori contingente*, & *Minori de inesse* sequitur *conclusio contingens*, ut supra *de necesse* dictum est, eadem enim est ratio, videlicet, *dictum de omni, & dictum de nullo.* In *2. figura*, si propositio affirmativa est *contingens*, etiam *conclusio*, non verò si negativa: sed hoc subindè fallit. In 3. *figura*, si una est de *contingenti*, etiam conclusio erit.

Pro Reductione Syllogismi ex obliquis.

VII. *Regula.* Reducendus est ad propositiones & terminos rectos, servato eodẽ sensu, mox enĩ apparebit, an sit bonus. v. g. *Christus est in Cœlis, Christus est in terra* (videlicet in S. Eucharistia) *Ergo terra est in Cœlis.* Reduc, & patebit, ac corrigetur vitium: *Christus habitat Cœlum, Christus habitat terram, ergo aliquod habitans terram, est habitans Cœlum.*

Pro Reductione Syllogismi Demonstrativi, & Probabilis.

VIII. Omnis Demonstratio tam quoad *formam*, quàm quoad *materiam* resolvitur in principia aliqua evidentissima.

Principia *formæ* Syllogisticæ sunt: *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo.* Item, *Quæ in uno tertio conveniunt, etiam inter se conveniunt: quæ in uno tertio dissentiunt, etiam inter se dissentiunt.* Rursus. *Ex vero non sequitur nisi verum. Ut inductio concludat, oportet saltem virtualiter omnia singularia numerari. Ex Universali rectè sequuntur ejus particulares, non contrà. Dato uno inconvenienti, sequuntur infinita. A posse ad*

ad inesse non valet consequentia. Talia sunt prædicata, qualia permittuntur à suis subjectis, &c.

Ex parte *Materiæ* sunt ista: *quod convenit generi, convenit speciei: positâ specie ponitur genus. Posito, vel remoto subjecto proprio, ponuntur vel removentur omnia accidentia illi subjecto propria: posito toto ponuntur partes, remotis partibus removetur & totum: quod definitioni convenit, convenit & definito, vel è contrario. Positâ causâ necessariâ, & sublatis impedimentis, ponitur effectus: positis medijs omnibus, ponitur finis, nisi aliud obstet. Posito effectu proprio, & immediato ponitur causa &c.*

Sic etiam Syllogismus *Probabilis*, resolvitur in principia, quæ immediatè sunt *probabilia*: v. g. *Similitudo est mater amoris: nemo gratis amat: qui malè agit, odit lucem: tonitru est signum pluviæ, &c.*

IX. Quodsi hæ Regulæ nimis multæ videantur, hanc unam pro omnibus Syllogismis, tam simplicibus, quàm compositis, hypotheticis, modalibus, obliquis, directis *observa*, videlicet. *Quoties consequens non continetur in antecedente, argumentatio est mala: quoties verò consequens, seu propositio deducta continetur in antecedente, seu una præmissarum, argumentatio est bona.*

Ratio Regulæ est, quia omnis bona argumentatio est illatio unius propositionis veræ ex alia propositione vera, sed una propositio non potest ex alia deduci, nisi in illa contineatur (quomodo enim ex alio deduces, quod in alio non est? aurum v. g. ex crumena, in quâ aurum non est, gladium ex vagina, in qua gladius non est) ergo nisi contineatur, argumentatio non est bona, si contineatur, est bona; quià nihil aliud est argumentari, quàm unam propositionem ex alia, in qua continetur, deducere.

Exempla demus. Hic Syllogismus est bonus:

Omnis homo est bipes, Petrus est homo, ergo Petrus est bipes. Ratio est, quia ista propositio: *Petrus est bipes*: cum sit particularis, continetur in illa *Majori*, *Omnis homo est bipes.* si enim omnis homo, ergo & Petrus.

Et istæ (*Nullus homo est lapis, Silex est lapis, ergo Silex non est homo*) Est bonus; quia ista *conclusio*: *Silex non est homo*: continetur in *Majori*, non quidem *formaliter*, sed *virtualiter* in ejus conversa, illa enim propositio: *nullus homo est lapis*: convertitur in istam: *nullus lapis est homo*. Et consequenter neque Silex, Et

Et iste (*Omnis homo est rationalis, Omnis homo est substantia, ergo Aliqua substantia est rationalis*) Est bonus, quia *conclusio* continetur in *Majori*; si enim *omnis homo est rationalis*, ergo & aliqua substantia, nam *homo est aliqua substantia*. Et iste (*Si Petrus est animal, sentit, sed Petrus est animal, ergo Petrus sentit*) Est bonus, quia *conclusio* continetur in *Majori*, hæc enim *conclusio*: *Petrus sentit*: in illa *Minori* continetur, *Petrus est animal*, omne autem animal sentit. Et iste, *Necessè est, omne album disgregare visum, sed hoc ovum est album, ergo Necessè est hoc ovum disgregare visum*) Est bonus, quia *conclusio* continetur in *Majori*. Patet ergo in omnibus Syllogismis, verissimam esse datam Regulam, tunc videlicet esse bonum Syllogismum, quando conclusio in alterutra Præmissarum continetur. Jam ostendamus exemplis, tunc Syllogismum esse malum, quando *conclusio* in neutra Præmissarum continetur. Hic ergo Syllogismus (*Omnis homo est animal, Leo est animal, ergo Leo est homo.*) Non est bonus, quià hæc *conclusio*: *Leo est homo*; nec in *Majori* continetur, nec in *Minori*: nec enim sequitur: *est animal, ergo est homo*. Quia multa sunt animalia, quæ non sunt homines. Et iste, *Si Petrus est homo est animal, sed bos est animal, ergo Bos est Petrus.*) Est malus, quia *conclusio*: *Bos est Petrus*, nec continetur in *Majori*, ut patet (nec in *Minori*; non enim sequitur: *Bos est animal, ergo Bos est Petrus*: quia multa sunt animalia, quæ non sunt Petrus; animal ergo in ea *Minori* non continet Petrum, quia bos est tantum aliquod animal, & non omne animal. In omni ergo malo Syllogismo videre licet, contra datam Regulam peccari.

Et hìc finis sit Logicæ ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, Dei Crucifixi, Beatissimæ Virginis, Sancti Angeli Custodis, & S. Thomæ Angelici.



INDEX LOGICÆ.

LOGICÆ PRÆLUDIA. fol. 1.

§. I. Necessitas Logicæ. fol. 1.

SVMMARIA.

§. II. De objecto scientiarum in genere. fol. 20.

SVMMARIA.

§. III. De objecto Logicæ. fol. 40.

SVMMARIA.

8. Satis-

§. VIII

§. VIII. De Platone, Aristotele, & Philosophia Aristotelica, fol. 123

SVMMARIA.

§. IX. De Methodis, fol. 135

SVMMARIA.



LOGICÆ PARS PRIMA. fol. 143

CAPUT I. §. I. De Terminis, fol. 145

SVMMARIA.

§. II. De

Gggg

3. Ad

§. III. De Divisione Universalis in 5. prædicabilia, & de Genere.

SVMMARIA.

§. IV. De Specie.

SVMMARIA.



§. V. De Individuo.

SVMMARIA.

§.VI. De

natura

SVM-

SVMMARIA.

§. VII. De Qualitate. fol. 398

SVMMARIA.

§. VIII. De Actione Et Passione. fol. 404

SVMMARIA.

3. Quod

§. IX. De Prædicamento Ubi & Sitûs. fol. 423

SVMMARIA.

§. X. Prædicamentum Quando & Habitûs. fol. 430

SVMMARIA.

§. XI. De Post Prædicamentis, Et De Oppositis. fol. 431

SVMMARIA.

LIBER II. De Secunda mentis Operatione, Hoc Est Judicio. fol. 438

§. I. De Signis.

SVMMARIA.

5. Signa

§. II. De Propositione. fol. 461

SVMMARIA.

§. III. Alia quædam de Propositionibus, earúmque Oppositionibus ac Æquipollentijs. fol. 478

SVMMARIA.

LIBER III. De Tertia Mentis Operatione. fol. 491

§. I. De Syllogismo.

SVMMARIA.

§. II. De Demonstratione. fol. 523

SVMMARIA.

12. Mc-

§. III. De Scientia Actuali Et Habituali. fol. 545

SVMMARIA.

§. Ult. Regulæ Selectæ circa formas argumentationum. fol. 590

SVMMARIA.

FINIS.